





Eustachij a. Knobelsdorf
fr

IOACHIMI

FORTII RINGELBERGII ANDO uerpiani lucubratiões, uel potius absolutissima κυκλοπαιδεια: nempe liber de Ratione studij, utriusque linguæ Grammatice, Dialectice, Rhetorice Mathematice, & sublimioris Philosophiæ multa. Quorum ἔλεγχος subsequẽti pagina enumeratur. Atq; hæc omnia eo iudicio & ordine sunt tradita, ut uel sola cuiq; meliorum literarum studioso satis ad summum ingenij cultũ esse possint.

BASILEAE,
APVD BARPTHOLOMAEVM
VVESTHEMERVM
ANNO M. D. XXXVIII.

BIBLIOTEKA GÓRNICZA PAN
14148
420a 1968

INDEX LIBRORVM.

Liber de Ratione ſtudij.

AD GRAMMATICEN PERTINENT.

Elegantiæ

Libellus de uſu uocum quæ non flectuntur.

Libellus de conſcribendis uerſibus.

Elementa Græca.

AD DIALECTICEN.

Dialectica.

Tabulæ Dialecticæ.

AD RHETORICEN.

Rhetorice, & quæ ad eam ſpectant.

Liber de figuris ac uitijs orationis.

Sententiæ.

Liber de formis dicendi.

Opuſculum de Periodis.

Synonyma.

AD MATHEMATICEN.

Sphæra.

Inſtitutiones aſtronomicæ.

Coſmographia.

Liber de tempore.

Tabula de tempore.

Optice.

INDEX LIBRORVM.

Chaos Mathematicum.
Arithmetica.

AD DIVINATIONEM.

Horoscopus.
Astrologia, cum Geomantica,
Vrina non uisa, & Interpretatione somniorum.

COMMVNIS CVIVSDAM NATVRAE SVNT.

Chaos.
Experimenta.
Liber de homine.

His addentur aliaquædam.

Epistolæ aliquot Ringelbergij.
Oratio ad Senatum Parisiensem.
Oratio Hyperij in laudem Ringelbergij.
In fine catalogus indicabit quid in unoquoq; libro reperiatur.

FINIS.

IOACHIMI
FORTII RINGELBERGII Andouerpiani Liber de Ratione studij.

EPISTOLA AD LECTOREM.

Candidum

DE studij ratione nonnihil in Chao præscripsimus. Verum quando ea studiosis prorsus necessaria est, hæc latius explicabitur. Vale, Louanij Idib. Augusti, Anno M. D. XXIX.

ANTE OMNIA CERTVM præfigi scopum debere.

QVIS frugem aliquam cõsequi uelit, nec temerè quocũq; impetus rapit, uagarier: is initio constituat oportet, quousq; progredi in literis cupiat, quidúe desideret adipisci. Sic namq; in ijs duntaxat rebus elaborabit, quæ ad scopũ conferunt. Atqui uarium istiusmodi esse institutum liquet. Pulchrũ est enim mediocrẽ autorum æquare doctrinã. Pulchrius ad summorum uirorum scopus, excellentiã contendere. Pulcherrimũ longè superare

Triplex scopus,

maiores omneis, atq; eum tenere montis tractum, quò nec aliquis peruenisset unquàm, nec fortasse quisquã esset peruenturus. Primum prorsus facile. Mediũ arduum. Postremũ tale, ut nefas uideatur, si mente eiusmodi quicquam agitaris. Cæterum, quoniam fuisse homines constat, queis primas hactenus consensus mortalium parteis conceßit: in hominũ esse manu reor altius paulò quàm illi tot annis consedere, ascẽdẽre. Sed per deos immortales, quàm humilis, quàm pauidi, quàm abiecti deniq; animi est, mediocrẽ esse uelle. Cõtra, quãta mentis dignitas, quæ superatis hostibus arcem occupabit: unde clarior sole, uniuerso orbi cõspicua ad finem usq; æui erit? Quàm tot hominũ mul[illegible] nas oceani littora continent, perpetuò cel[illegible]

Adhortatio ad summum scopum.

circo omneis, quos dulces Musæ numine hortamur, uti illic scopũ figant, quò sortiſ sese cuperet peruenisse. Certe ego, si me aut comitem, aut sociũ, aut ducem quærant, spem omnẽ plane abiscere cogor. Sic nãq; interim meditantẽ calculi p[illegible] ut graui ipsa dolore mœreat mẽs, ut [illegible] abducat insomnes angor. Veruntamẽ [illegible] nõ ante quiesceт, quã sæuitia mortis, atq; extremus uitæ dies lumina nostra cõdat. Laborabimus semper, etiã si fructum nullum, gloriã nullam, nullam laudem cõsequamur. Metã cõtingat alius, alius castrum expugnarit, ego=

rit, conatus tamen noster nunquã est defuturus. In hoc animus arma sumpsit splendidiora auro, operosa magis, quàm strenuus unquã induit Achilles. Stricto manus ferro tremit, muntum galea caput est, corpus totum nunquã non ære resplendebit. Tubarum clangor implebit cœlum, campos pauor ipsos inuadet, ingruentibus undiq; copijs. Flammã concepit, quicquid in membris materiæ latet. Tacere non possum, quod ingens ardor, aut uis, quæ in corpore spirat, ut scriberem imperauit. Nec arrrogantis esse arbitror, laborẽ duntaxat, uictoriæ spe relicta, profiteri: ingrediq; uiã, qua tot uiri[illegible] irtutem contenderunt. Equidẽ me in mille [illegible] malim (dispereã si secus loquor ac sen[illegible] animũ ad summa euadendi. Vin[illegible] illos eloquentiæ principes, nõ superoris censeatur. In ijs etenim omnia [illegible] orata adeò, adeò absoluta apparent, ut uer[illegible] ullũ aut addere, aut detrahere, aut immutare [illegible] ere possis. At ego nil esse tam arduũ, tãq; [illegible] e in rebus humanis existimo, quod hominum [illegible] dustria comparari. Itaq; (ut semel finiam [illegible] uelim) si quis inter mortales sit, quẽ hæc uictoria, [illegible] claus, hic triũphus, hæc trophæa moueant, immensum pectore robur trahat, dicatq; cum Marone, Tentanda uia est, qua me quoq; possim

Autoris instituti & animus.

Tollere humo, uictorq; uirûm uolitare per ora.
Primus ego in patriã mecum (modò uita supersit)
Aonio rediens deducam uertice Musas.
Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas.
Aspirãtem ad altiora, quàm maiores peruenere, nemo cõpos mẽtis improbabit. Nec dubito, quin pleris q; inferioris doctrinæ uiris, quos secula superiora uidere, idẽ fuerit institutũ, licet euentus fefellerit. Quorum conditio nobis non aspernanda. Etenim in magnis rebus uel conatus laudari solet. Censent cõplures studendum esse, ut uiuamus molliter, nõ tanto furore sæuiendum, illi qui plus corporis, quàm animi bonis consulunt: qui nõ perpendũt, quàm speciosa, quàm cœlestis quàm diuina quædam res sit, mens ornata disciplinis uarijs. Ego sanè nõ uideo, quid hæc hominũ monstra, quæ corpus grãde circumferunt, uel ægrè trahunt potius, à bobus distent, nisi quòd loquantur, nõ mugiant. Facies stupida, aspectus hebes, crassa labra, semper terram et pabula spectant, uenter ingens, quẽ quater aut quinquies quotidie replent, isthæc animalia generosos spiritus ad alta natos, trahũt ad quietẽ: aliqua discenda arbitrãtur, quæ more suo apud imperitos inter cõuiuandũ queas ostentare. Agite ergo nobilior propago iuuẽtutis, quibus corpus omne ardore tremit (reliquæ turbæ nõ magis loquor, quã stupidis animãtibus)

Adhortatio ad summũ scopũ.

agitẽ

agite inquam, animi nostri pulchritudinem quæramus huius decore gloriemur, atq; contra breuitatē æui memoriam nostri quàm maximè longam efficere conemur. Cœlesti sumus omnes semine oriundi, illò pergamus igitur, unde nobis origo est. Quemadmodum radios solis contingere quidem terram uidemus, sed ibi sunt unde mittuntur: sic animus sacer conuersetur nobiscum, sed hæreat origini suæ, illinc pendeat, illuc spectet ac nitatur. Leonis sequamur ingenium, quod animal solitarium est, expersq; societatis. Nemo maiorē agnoscere debet in orbe, nisi illum solum, qui solus orbem condidit. Nihil placeat, nisi quod summū est. Hoc enim plus sapies in rebus æternis, quò magis stupes ad humilia. Vtinam è tot milibus unus animoso pectore, quo diximus, penetraret. Quem studiosis omnibus esse scopum optārim, hactenus dictum. Simile.

AMARI SEMPER LABORES, & contemni luxum debere.

AH libri leges excedere cogar: grauioreq; dicendi forma, quàm consuetudo postulat, animantes stupidissimas ad æternam gloriam excitare. Qui sub signis nostris merere studet, in primis amplecti uigilias ac labores debet: fugere luxum, delicias, et quicquid effœminatum reddit animum. Dormire malit subiectis corpori aut saxis aut lignis, quàm plumis De stilo huius libri.

pellibusúe. Vesci alimentis assuescat, quæ minimè placere sentit palato: auersetur ea, quæ uoluptatem ullam adferunt.

Quisquis enim duros casus, uirtutis amore
Vicerit, ille sibi laudemq́; decusq́; parabit.
At qui desidiam luxumq́; sequetur inertem,
Turpis inopsq́; simul, miserabile transiget æuum.

Corporis tamen ualetudinem curet: namq; sine ipsa nihil efficere animus potest. Stare malit quàm sedere: currere, quàm ire: nunquam arma deponat è manibus. Hæc omnia & corpori robur adferunt, & menti uigorem. Vt enim arborum robustiores sunt partes Aquiloni oppositæ, quàm quæ Austrum aut Zephyrum spectant: ita fortiores ac firmiores sumus in ijs rebus, in quibus nos aut aduersa fortuna, aut labor magnus exercuit. In labore uiget uirtus. Nec potest esse magnum, quod sine puluere, & sudore contingit. Ita namque naturæ parenti placuit, ut præstantißima quæque non nisi summis uigilijs consequamur. Res uerò uilißimæ sicut laborem non requirunt, ita finem habent inglorium: & facilè parta facillime dilabuntur. Si quis aliud meditetur, aut facturum sese putet, is nostris se copijs ne audeat adiungere. In militia hac maiorem à milite poscimus curam, quàm haberi consueuit in principum exercitu aliorum. Nec iniuria.

Illi enim

Illi enim exiguam ſolum orbis partem, nempe urbem aliquam: uniuerſam nos mundum petimus. Illi ad annos aliquot rerum futuri Domini ſunt: nos gloriam noſtram non niſi orbis, temporumúe fine metimur. Proinde ſi quisquam non alium hæc fore laborem ſperârit, quàm apud Imperatores, qui urbem aliquam milite cingunt, is hinc faceſcat pondus inutile ad medio crem turbam, ubi ſeſe rem pulchrè uidentur geſsiſſe, atq; mire ſibi applaudere in rebus etiam uilisimis conſueuere. Socrates ille non hominum modo, uerumetiam Apollinis oraculo ſapientiſsimus iudicatus, et perennis philoſophiæ fons, dicere ſolebat: Radicem quidem eruditionis per amaram eſſe, ſed fructum habere iucundiſsimum: initioq; magnos adferre labores, ſed honeſtiſsimum ſudantibus præmium reponere. Ergo ô tu quiſquis es, cui ignea uis in pectore exarſit, cui flamma in præcordijs micat: procul, procul abſint mollia, lenia, facilia, blanda, quæ animi impetum extinguere ſolent. Dura petamus, dura inquam, ferramur per ſaxa, per rupes, & ignes. Fatigare iuuet Scyllas, Syrtes, Charybdas, ac reliqua monſtra aquarum. Si quicquam in mundo ſit arduum, ſi uſquã pericula, eò contendamus. Exhauſtum ſudorem ingens comitatur gloria. Si magnum aliquid in orbe

Contentio.

Adhortatio ad laborem.

apparet

apparet, nostrum id est, adde momentum temporis. Summo ardore, impetu, ui, ocyus fulmine illuc spiritus celer transuolet, ubi propior aliquis uictoriæ esse locus poßit. Multa exilia patent fugienti. Patria est, ubi cunq; uirtus sedem sibi elegerit. Audendum est, audẽdum fortibus uiris. Fortuna ipsa aperit uiam, inuita etiam uelit nolit. Nulla uis sit, quæ uim istam poßit coërcere: huc omnes conatus aduolent: nihil hoc institutum mutare queat, nisi mors, quæ rerum omnium finis est. Dura aliquis præcepta uocet mea: dura fatemur esse, sed ut ualeas multa ferenda tibi. Secũdæ res fœlicem, magnum uerò faciunt aduersæ. Alexander tot uigilias, tot labores pertulit, quò neminem in orbe relinqueret, qui non suo subesset imperio, & nihil nos tentabimus? sic sine honore, sine memoria extinguemur? Ἀνδρῶδες οὐδὲν ἀπλεδεισμένοι? Plinius (opinor) uspiam refert, Pompeium Magnum inter Alpes & Hispaniã exteriorẽ octingentas urbes populo Rom. subiugasse: quur nos in re tam facili adeó sumus desides? Verum medius fidius prouerbium uulgi literatos omnes ignauos esse. Satis diu, heu nimium diu collegimus robur, aperto Marte agendum est. Ab eant qui uerba isthæc sapere clament arrogantiam. Abunde relata nobis gratia erit, nec laborem nos hũc frustra putabimus insumpsisse, si illorum consequi fauorem

1. Viri nihil operati Vel, Quũ uirile nihil ostenderimus? Vide annotationes autoris

uorem poßimus, quibus ipsa profuerint, quorumúe mẽtem ad altiora paulò, quàm erant ituri, incitârint. Si redamant aquilæ, redamant delphines amantem: quis pectore adeò duro, imò quis tam barbarus, tam ab omni humanitate alienus fuerit, qui non mutuo amore cõplectatur eum, cuius concilio uel labore profecerit? Ego semper excelsi esse animi duxi, quicquid uulgare est, fastidire: atque monumentum sui immortale inter mortales relinquere. Cæterum nos male sani dum florem terimus ætatis, uanis blandisq́; ducimur illecebris: post senio confecti, in corporis morbos, in uitæ finem pellimur.

NVNQVAM DESPERANdum esse,

SI nos interim successus destituat, deterreátue labor, non continuo desistendum censeo. Si fortè nos in sublime tendentes ad montis uerticem, decies præcipites deuoluamur, imò centies, millies: toties ardentius ac inflammatiore spiritu iter idem arripiemus, ad eundem uerticem aduolabimus. Rex Alexander generosi homo spiritus, dormiturus orbem, ad rupẽ uenit ita sublimem, ut aditum militibus nullum reperiret. Eò principes aliquot confugerant, aduecto commeatu in biennium, sperantes fore, ut interea homo aut moreretur, aut minus sæuiret cupidine imperandi. Hi ridentes num

ἄλλην θερία.

Historia.

Alexan

Alexander uolare posit exploratores illuc missos interrogabant. Nunciatum hoc regi est. Qui grauiter id ferens, uolensq; suos ad uictoriam incitare, aiebat: Nihil tam alte posuisse naturam, quò uirtus peruenire non queat. Nec multo pòst petram occupauit, pollicitus ante decem talenta illi, qui primus ad uerticem euaderet: nouem secundo: sequenti octo: quarto septem sic usque ad decimum decrescente numero. Qua de causa non malè habere quenquam debet, si non protinus incrementa doctrinæ sentiat. Sicuti enim horologij umbram progressam sentimus, progredientem non cernimus: & fruticem aut herbam creuisse apparet, non apparet crescere: ita & ingeniorum profectus, quoniam minutis constat auctibus ex interuallo sentitur. Leonis catuli informes nascuntur, uix ingrediuntur semestres, non mouentur nisi bimestres: sic aliquando egregia futura, tarde solent prouenire. Contrà, quæ spectatissimè florent, celerrimè marcescunt. Bene actum secum putat mercator, si pòst decennem nauigationem, pòst mille incommoda, mille uitæ discrimina, rem sibi comparauerit paulo uberiorem: & nos pauidæ animantes primo impetu spem omnem abijciemus? Quodcunque imperauit animus obtinuit.

OPES

OPES DEBERE CONTEMNI.

FAlso quæruntur, obesse literis egestatem: neq; facilè emergere, quibus res angustior sit. Contrà nihil uidetur accommodatius, nihil magis necessarium penuria: cuius beneficio artes omnes inuentæ sunt, ut scitè Theocritus de Penia perscripsit. Nam quemadmodum corpora habentibus pinguia et ualida, nullum erit ualetudinis emolumentum, si animus segnis fuerit ac deiectus: sic & illis, qui humili conditione sunt, nullum erit ex hac re nocumentum, si animus nobilis ac generosus fuerit. Corporis & fortunæ dotes euanescunt ocyssimè, uirtutis laus æterna est. Vidimus multos honore conspicuos celsarum dignitatum insedisse fastigijs, & diffuso usquaque censu per orbem patrimonia propagasse, quorum amplissimæ opes abierunt transierunt & ipsi tantarum opum domini. Quamobrem non omnino displicet sententia illorum, qui magnam auri uim coniecerunt in mare, nisi quòd idipsum non dederint ægentibus. Equidem eo ingenio sum, semper fui, & semper ero, ut summam inopiam, quàm summas opes malim. Metuerem enim, ne pernicioſa esca mentem occuparet meam? neue tam uilis metalli cura studia dulcissima impediret. Mediocrem tamen modum ad uitam tuendam necessarium esse non pernego. Nec aurum contemno, sed magnas opes, quæ

Similitudo.

quæ mentem à literis abducere queant. Ferè fit, ut bona animi corporis mala: rursus corporis bona, animi mala sint. Nihil sanè rarius, nihilq; magis arduum puto, quàm hominem esse & eruditum & diuitem. Quæ propter certum habeant illi, qui genere & opibus clari sunt, sese nunquam aliquid memoratu dignum effecturos. Fieri potest, ut opusculum non sine laude prodeat in lucem, sed ad summam illam gloriam perueniet nemo. Vidi complures nobili ortos genere, qui amplæ mercede conductis præceptoribus, optimas quasque disciplinas breuissimo tempore perdiscebant. Verum eosdem haud multò post inueni duxisse uxorem, alere familiam, seruos, equos, canes. Id fecerat cupido pernicioſa opum. Adde quod parentes facilius tolerabunt, te Deum peierare ipsum, homini uitam adimere, quàm ut auri amor decrescere uideatur. Et mihi sæpenumero obiectum est, in ijs me sudare rebus, quæ ad farinam non ita multum facerent.

ADFECTANDAS ESSE studioso laudes.

MAgnum futuræ victoriæ signum est excitari laude, si pulchrè gesseris quicquam: atque si ab alijs uel reprehendite, uel superari uideris, dolere, incendiq; ad altiora. Siquidem, ut Ouidius ait: non par ulas animo gloria dat uires, & fœcunda facit pectora laudis

laudis amor. Igitur gloriæ studiosissimum esse adolescentem oportet, qui ad summa conabitur. Nihil enim uideo quid possit eruditio sine laudum cupiditate: laudum cupiditas sine eruditione. Ita alterũ alterius præsidio semper innititur.

QVIBVS REBVS FACILE summa peritia possit comparari.

QVæ prima esse debeant adolescentis officia dictũ: nimirum ut summa petat, ut amet labores, desperet nusquã, contemnat opes, ut sit audus laudis. Reliquũ est uti doceamus, qua ipse uia literis incumbere feliciter queat, atq; sine negocio ad summa breui peruenire. Quẽadmodũ in Chao admonui, tres potissimum in studendi modo gradus sunt: audire, docere, scribere. Quoq; magis pauida mœreat multitudo, quæ ad celsiora nusquã ausa aspirare, uitam omnẽ inani metu perdidit, bonũ & facile est audire: melius ac facilius docere: optimũ & facillimũ scribere. Partẽ primã eò esse difficillimã iudicamus, quod nihil magis arduum sit, quàm attente audire una hora professorẽ Quum aliorum ego interesse lectioni solebã, singulas horas singulos fore dies arbitrabar. Quoniã tædiosum cogitationẽ liberam ad uocem legentis cohibere. Verũ quando aut docemus, aut scribimus, exercitatio ipsa omnẽ auferet tædiũ. Hæc te perterriti adolescẽtes, quia

& labores immenſos in ludo pertulerunt, & operã in ſequentibus, hoc eſt in docẽdo ac ſcribendo longe fore grauiorẽ opinantur, literas ſæpe deſerunt. Ad præceptores itaq; pertinet pueros admonere, nihil eſſe moleſtius, quã id in quo uerſantur: reliqua omnia futura leuiora. De partibus his tribus nonnulla deinceps eloquemur, ſi prius aliquid de lectione ſolitaria tradiderimus.

DE SOLITARIA Lectione.

SOlitaria lectio, qua oẽs penè domi tabeſcunt, minime placet. Ea ſiquidẽ ut maximũ faſtidiũ, ita nullum propè fructum adfert, et uehementer obtundit ingenij uires. Porrò ſi quãdoq; legere autorem libeat, id cũ alio fieri uelim. Mirabile enim ex alterius præſentia oritur iudicium. Adeò ut ſi adſit quiſpiã tanquam apertis oculis res ipſas introſpicere te: ſi nemo, ſomniare duntaxat exiſtimes. Ad hæc, quum proferenda ſunt ſtudia, caligãt in luce, et omnia noua offendunt, ut qui ſoli didicerint, quod inter multos faciendum eſt.

DE AVDIENDI FORMA.

SVnt qui dicãt ſatis eſſe, ſi quotidie horis duabus alios audieris, atq; eadẽ domi diligenter repetas. Verũ hi omnis expertes ratiõis ſunt, hi mente carent. Duabus horis oſcitantur audient profeſſorem, audita uix domi inſpicient, diem totum auferent luxus, ſomnus

nus, tædiũ, fabulæ. Quid hoc aliud est, quàm hortari imperatorẽ orbis Alexandrũ, uti domita uspiã urbe, ibi hæreat, ea fruatur, eã colat, desideat illic perpetuos? Absit. Alia ui rem aggrediemur. Nõ urbem enim, sed Europam, Aphricam, Asiam: nõ portum maris, sed Oceanum ipsum: non terræ portiunculam, sed mundum belli iure postulamus. Copiæ nostræ omnibus ordine ciuitatibus per orbem totum impetu summo ingruent, nec discedemus, nisi uictores. Ignauia iaceat in tenebris domi, fugiat laborem, fugiat pericula, fugiat lucem, fugiat gloriam, fugiat imperium. Sed ô pigrum animal, cui nihil ineſt cerebri, cuius omnia consilia ad desidiam tendunt, remedium aliud accipe. Quicquid didiceris, id confestim doceas. Sic ex tua firmare, ex prodesse alijs potes.

IN DISCENDO FAMAM VAnam debere contemni.

PLeriq; quum dubitant usquã, accedere ad professorẽ uerentur, retinenturq; pudore. Cogitant qua fronte illius pulsare fores auderent, cũ quo nulla extitisset necessitudo. Sic secũ deliberant per dies multos. Illis nõ momentum, non hora, non dies, sed uita ipsa, & spes omnis defluit superstitione. Tales igitur quàm primum dubitauerint, ad professorem accedãt interrogent libere. Sed paucis quæstionem absoluant:

nã mora uiris doctis semper infesta est. Si is dedignabi tur respõdere, currendum ad alios. Nihil refert, quis nam ille sit, cuius ope opes nostræ augeantur. Nec cogites decessurum quid existimationi, si aliorũ egere uidearis auxilio. Memineris potius nullã spectandã gloriam esse, ni ad finem laborum peruenerís. Ne in premijs humanis spem posueris rerũ tuarum, suis te illecebris oportet ipsa uirtus trahat ad uerum decus.

CVIVSMODI DISCENdæ sint Artes.

Grãmatice

SVmmo oratorí, aut poëtæ futuro cũ primis necessariæ formæ loquẽdi, differendi, dicẽdi. Grammatice aditum præbet ad alias artes: quo si careamus cæci per omnes disciplinas aberrabimus, nullã unquã optimarum pulcherrimarũq; rerum cognitionem cõsecuturi. Dialectice docendi modum exprimit: Rhetorice eloquendi. Ad hanc memoriæ artificiũ pertinet. Græca lingua adeò necessaria, ut uix quemquã dixerim eruditum, qui eam ignorauerit. Nec omittendæ historiæ: præstant enim & copiam orationis, & rerũ experientiã. Mathematicæ artes simul dignitate quadam pollent sua, tractant enim rerum sublimiũ descriptiones: simul ad uarietatem orationis faciunt. Astronomia legem naturãq; docet eorum, quæ ab extremo circuitu mundi usq; ad elementa sunt, hoc est, penè or-

Dialectice

Rhetorice

Græca lingua.

Historiæ.

Astronomia.

bem

bẽ uniuersum. In cœlo situm monstrat Helices, Cynosuræ, Boώτης, Erichthonij, Capræ, Vergiliarũ, Hyadum, Argus, Canopi, Syrij: quorum ortu obituq; tẽpora omnia describũtur. Velut apud Verg. Sub ipsum Arcturum tenui sat erit suspendere sulco. Item:

Antè tibi Eoæ Atlantides abscondantur,
Debita quàm sulcis committas semina. Et:
Multi ante occasum Maiæ cœpere.

Nec pauca huiusmodi exẽpla paßim obuia sunt apud Ouidium, præsertim in Fastis. Infra cœlum uagorum siderum progressus, regressus, stationes, defectionesq; Solem esse principem, eumq; superiora trigonis ferè radijs conuertere: inferiora, interuallo breuiore.

Felices animæ, quibus hæc cognoscere primum,
Inq; domos supras scandere cura fuit.
Sic petitur cœlum, non ut ferat Ossan Olympus,
Summaq; Peliacus sidera tangat apex.

O quanta uoluptas animi, non terras et maria solum, sed sidera ipsa cognatosq; cœlos pererrare, per tenuissima quæq; aëris spatia celeri impetu uolatuq; ferri, ac penetrare cũcta? Quò tandẽ gaudio adfici necesse est cum his habitantẽ pernoctantemq; curis? Contuearmur ergo candentẽ illum igneumq; æthera, cœlestium igniũ flãmas immotis oculis admirenur. Omnia enim quæ mundi circumflexus continet, non alij usui, quàm

ſpectaculo & admirationi ſacrarum mentiũ fabricator orbis uidetur deſtinaſſe: idq; uoluiſſe, ut tãtarum uarietate rerum in medio operis ſui ſpatio rationis capaces oblectaremur. Mens hiſce dedita ſtudijs, non ea concupiſcit, quæ uilia ſunt, nõ illicitis diſtringitur notis, tantũ id quod pulchrum eſt, quod purum eſt, quod diuinum eſt, nihil mortale ſapiens dulci ardore amplectitur. Pridem, ab hinc luce, opinor, ſeptima circa ſecundam uigilam noctis, ſolus eram in horto quodam haud procul à meo cubiculo. In cœna fuerat mẽtio facta de ratione ſtellarum eiuſmodi. Mirum eſſe ſic prædici defectiones: Solem eſſe maiorem terra, id ex umbra deprehendi: incredibilẽ eſſe diſtantiam, quæ ſidus facit tam paruum uideri: ad hæc, mirã celeritatem, quòd horis quatuor & uiginti nos non ſuper terram ſed tanto circuitu ambiat. Tali ſermone ultro citroq; habito, peractáq; cœna, ſub Ioue ſtabã erecto ſurſum uultu, placida nocte, quum iam omnia ſilerent, quum in proximis ædibus lumina nulla cernerentur: Principio lunam diu fixis oculis aſpiciebam, quæ tum plena circumfuſo rubore circulum ſuum deſcribebat. Spectabam deinde Helicen, Cynoſuram, Vergilias, Siriũ, Oriona. Poſt ſumptis in manum tabellis, carmine non nihil hiſce de rebus conſcribere cœpi:

Ὑποτύπωσις.

Oceani curſus mundiq; ruentis imago.

Mox

Mox abiecto stilo uarias rerũ uices altiore intellectu percurrebã, adeò ut & mei, & loci in quo eram, plane oblitus fuerim. Tandem cum gemitu sic cogitabam. Quur natura parens rerum tã breue tempus homini largita es? Quur nobiles spiritus è medio tollis, priusquàm orbem perspexerint? Quur cœli pulchritudinẽ gratiã solis ita repente oculis nostris subtrahis? Tua uis uaria uim animorũ superat, te admirabimur, dum uita manebit. O quàm triste erit orbari uita, in tãta uidendi cupidine? O me felicem Lachesis, si uel semel ante mortem tot species animantium, tot fructuum, quos terra profert, genera: deniq; tot artiũ formas in orbe successu ætatũ proditas cognoscere daretur. Heu me miserum, celerrimè uolãt Oceanus, Sol ac sidera cœli: & mihi tempus perit per ignauiã, etiã tum, quum diligentissimus uideor. Quis enim unquã adeò in peragendis rebus uehemens fuit, qui nõ multò esse possit uehementior, si extremas uires cogeretur experiri? Paucos annos Parcæ donãt, ijsq; negligenter utimur. Breui aderit dies, quum cõmuni rerum lege ad finem suũ huius uicissitudo corporis deueniet. Verum quãdo quibusue exactis seculis rediturus sum? Quo æuo eandẽ Lunã, Pleiades illas, Arctos ibi, hic Sirium iterum uidebit Ioachimus? Vtinam post annos mille ea, quæ tum naturæ, tum hominum industria conuersa erunt,

exiguo momento tẽporis liceat intueri. Miſer, de redi tu uerba facis? Quin lachrymas mitte, grauẽ mœro rem è pectore moue, miſſa fac inania uota, ac horis po tius fruere præſentibus. Quid te toties fatorũ memo ria cruciat? O ſi pueri libus annis uſus eſſẽ, quibus illi negocijs imprudenti defluxere? Sed quid ago? rurſus dolor recrudeſcit, quanquã fletus ratio nõ minus dul cis quàm iuſta apparet. Quid fœminarũ more lachry mas fundo? En unicum remedium, uigilantius omnia peragenda: hoc ocyus properandum, quò tẽpus dabi tur breuius: horis pro diebus utar, ſingulos menſes an nos putabo. De cœleſti illa cognitione dictum ſatis ar bitror. Næ ſenſu prorſus omni uacare iudico eum, quẽ non delectat tam iucunda contẽplatio, quem nulla re rum miracula mouent. Ex ea de qua nunc loquuti ſu Aſtrologia mus arte, proficiſcitur Aſtrologia, Medicis magis, præcipue ad uenas ſcindẽdas, et decretorios dies, quã ſtudijs noſtris neceſſaria: niſi quòd ſtilũ uarietatis lu ce cõmendet, uti abunde apparet in Lucani primo lib. Hanc falſo uulgus incertã uocat, propter errores non arti, ſed indoctiſſimorũ hominum inſcitiæ & temerita ti imputandos, qui citra delectũ omnia effutiũt. Quæ ex hac diſciplina ad literas magis conferunt, quæq; di ſcẽti fuerint iucũdiſſima, hæc ſunt. Quæ duodecim mũ di domus: quæ uis radij hexagoni, tetragoni, trigoni,

aduerſi:

aduersi: quid Fortunæ gradus efficiat, & qua uia reperiatur: atq; alia complura, quæ longum esset recensere. Necessaria & Cosmographia. Hæc enim demonstrat zonas, climata, περιοικους, antœcos, periœcos, ἀντιχθονας, amphiscios, periscios, heteroscios: longitudinem urbium latitudinemq;, hoc est, quot ipse horis absint ab occasu, quot cœli partibus ab æquatore. De ea libellum emisimus. Geographia cognitu facilior, constat enim sola locorum commemoratione. Id quantaxat indicat, ubi Tanais, Nilus, Tigris, Euphrates, Andros, Scythæ, Persæ, Arabes, sine ulla mentione cœli: sine circulorũ, latitudinis, longitudinis, umbrarum, zonarumq; descriptione. Geometria terrarũ mensuras tradit, hoc modo: Si quadrata forma oram habeat uiginti pedum, intus esse uigintiquinq;. Si cuneatus ager longus fuerit pedes quinquaginta: latus ex una parte pedes triginta septem, ex altera nouem, aream esse pedum mille centum quinquaginta: idq; deprehendi quæsito ex imparibus numeris medio, ducto que in longitudinem. In collibus uallibusq; plus soli esse quàm cœli. De his libellum conscripsimus, cui titulus Chaos Mathæmaticum. Quantum hæc omnia adstili prosunt ornamentum, uidere licet quum in locis permultis, tum in Ciceronis operibus de uniuersitate, de natura deorum, de diuinatione, in Somnio Scipionis: in

Cosmographia. Geographia. Geometria.

Quintiliani capite de agrorum mensura: in Vergilij Georgicis: Ouidij Fastis, & Metamorphosi: deniq; in Lucano. Arithmeticam primus Pythagoras in artem fertur redegisse. Hinc Pythagorei per numerum iurabant quaternariũ, quo nihil apud eos uidetur esse perfectius. Etenim quatuor elementa, ignis, aër, aqua, terra. Quatuor anni tẽpora, uer, autumnus, æstas, hyems. Quatuor qualitates rerum omniũ, calidum, frigidum, humidum, siccum. Quatuor cœli plagæ, ortus, occasus meridies, septentrio. Musice mentem labore fessam reficit: uerum inter discendum non parum aufert temporis: qua de causa præclarius reor frui concentu aliorum, quàm canendi artem discere. Eius inuentorẽ quoque fuisse Pythagoram putant. Hic primus dicitur ex malleorum ictibus uocum diuersarum numeros, modos inflectionesq; perpendendo, Musicam artem diuina quadam industria confecisse. Cytharam tradunt inuenisse Orpheum: qui, si Poëtis credimus, non solum homines rudes atq; agrestes, sed leones etiam ac tygres & inferos manes lyræ suauitate demulsit. Fistulã Pan Arcadicus primus inflauit. Nunc qui in his potissimum legendi sint autores. In Grammatica Diomedes, Perottus, Valla: in Dialectica, Aristoteles: in Rhetorica, Cicero & Fabius præcipui. In Astronomia legendi Proclus & Aratus: nam apud Latinos pauci de ea docte

Musice.

Qui autores in singulis artibus Legendi sint

docte scripsere. Si altiora spectes, adungere potes Ptolemæum. In Astrologia Iulius Firmicus, qui cæteris elegantius & uerius artem tradidit. Is tamen nihil profuerit, nisi composita prius ex Ephemeridum libris pictura domorum, et nisi habitis rudimentis è barbaris scriptoribus, quorum Alcabitius princeps. In Cosmographia Ptolemæum: in Heographia Pomponium Melã: in Geometria Euclidem censeo perdiscendus. Feliciter studia instituent, qui ante omnia è doctis autoribus artium cognitionem, hoc est, materiam seu instrumenta scribendi sibi comparauerint. Alioqui nihil sapiet stilus præter inanem loquacitatem. Summus non erit, qui nõ ex unaquaq; disciplina decerpserit, quod ad scopũ suum conferat. Id citra laborem efficeris, si nihil attigeris nisi locos communes, de quibus quum dabitur occasio libellum conscribemus.

ELOQVENTIAE LAVS.

DE oratoria facultate, luce omnium disciplinarum, plura prodentur. Non satis est tã leuiter doctrinarũ principẽ describere. Isthæc haud dubie cæteris, quod sol mundo, qd' animis deus. Sine hac nõ modo artes reliquæ, sed res omnes, in tenebris uersarẽtur. Quid essent Romani, si non fuisset eloquentia? Quid Camillus? Quid Cæsar? Quid Scipio? Quid maximi uiri, qui nunc mortui, eloquentiæ uiribus uiuunt? Nemo

fanè

sanè, aliquod præclarum facinus tentaret, si certũ esset à morte, sui nullam fore memoriam. Denique quid Demosthẽi, quid Ciceroni, quid L. Crasso tantam laudem peperit, nisi eloquentia? Hæc siderum meatus, uentorum fragores & impetus, crepitus flammarum, undarum murmura, montium celsitudines, nemorum umbras, fluminum discursus sic depingit, ut ea ipsa te oculis contueri existimes. Hac irritare torpentes, desides animare, temerarios retrahere, sontes damnare, bonos extollere possumus. Sed quid in re immensa laboro? Plenum insolentiæ uidetur, si quis huius laudes uel conetur commendare, quæ per se sunt amplissimæ: uel recensere, quæ sunt innumeræ: uel quouis modo demonstrare, quarum lumen & splendor omnium oculos iam mentesq; perstringit. Prode teipsam eloquentia. Sentiat fulgorem sol lucidissime tenebris immersum mortalium genus. Nemo te nisi tu exprimere ualet. Caligant in luce tanta oculi contuentium. Tu in excelso solio sedens, mundum illustras uniuersum. Te colentes similes tui, hoc est, immortales, atq; orbi toti per omne tempus reddis admirabiles. Quid me Fortiniteris extollere, cuius gloriam olim iam cognoscunt omnes, cuius tot extant monumenta, nullo æuo, nulla iniuria interitura? Via quæ ad me perducit primo ingressu est ardua, cõfragosa, saxis aspera, obducta sen-

προσωποποιία.

tibus:

tibus: ἐπεὶ δ' εἰς ἄκρον ἵκηται, lucida, plana et amœna. Quare multi initio laborem immensum prospicientes, abijciunt spem. Complures in medio deficiunt. Ad summũ perueniunt paucissimi. Hanc omnes penè perterriti malis fugiunt. Verum tanto maior gloria uictori, quanto uictoria rarior. Pulchrum si intra annos mille uel unus ad uerticem euaserit. Si quis ergo plenum istud sudoris iter ingredi uelit, componat sese ad tolerandum quicquid durum est. Euitanda mollia, quæqúe ad corporis gratiam faciunt, quò magis uigeat animus Dum alij conuiuijs ac fabulis fruentur, impallescere chartis oportebit. Nonnulli se simul & uoluptatibus, & literis dedunt: uerum hi nihil aliud efficiunt, nisi dũ utrunq; captant, neutro potiantur. Sine sudore, sine uigilijs, sine curis perpetuis huc perueniet nemo. Ferendi æstus, algores, calamitates: Sæpenumero lachrymæ fesso obortæ excident. Sæpe sedebit mœrens cogitansq́; cœptis ne desistere an perficere uelit quod cœperit. Tũ surgens ueluti furore quodam incitus, præceps feretur in labores, donec lassus uictusq́; humi ꝓstratus iaceat, aduolaturus iterũ simul atq; uel minimæ uires anhelum et sudore perfusum accenderint. Hic noctes plerunque insomnes ducet, cæteris dormientibus. Hunc sæpe labore multo fessum Phebus admirabitur. Tu perge quo cœpisti.

Iter ad Eloquentiam. i. postquam uero ad summum uentum erit.

ὑποτύπωσις

DE LE

DE LEGVM STVDIO.

Diuini origo iuris altius repetenda. Principio ciuitates non erant: per campos, per syluas, per montes passim homines sine ueste, sine legibus sub dio uagabantur. Nondum erant domus aut ædificia: frondibus, ac pellibus à pluuia, niue, grandine sese defendebant. Neq; uini usum, neq; frumenti nouerant: sed pomis agrestibus uescebantur. A posteris urbes extructæ terræq; cultura inuenta est. Cererem primam leges dedisse hominibus existimant. Digna sanè res, quæ diuinitati adscribatur. Quippe quæ dea fruges nobis alimentaq; dederit, leges quoq; dare uoluit, ut uitã corpusq; nõ solum sustentaremus cibo, sed legum etiam defensione tueremur. Athenienſibus postea Solon nouas leges instituit. Primam, ut qui parentes suos non alerent, patrimoniumúe dissiparẽt, ij perpetuo obscuri atq; ignobiles haberentur. Alteram, qui ocium sectarentur, & inertiæ dediti essent, eos iure ab omnibus tanquam nocentissimos accusari posse. Et qui in prælio pro patria cecidissent, eorum filios publice nutriendos erudendosq; præcepit. Item curatorem unà cum matre pupillorum nequaquã habitare. Eum præterea curatorem esse nõ posse, ad quem esset hæreditas pupillorũ morte peruentura. Postremo statuit temulentũ principem non pecunijs mulctandum esse, sed durissima atq; ignominiosissima

minosissima morte puniendum. Lyncurgus quoq; suis Lacedæmonijs leges condidit, è quarum numero hæc est: Pueros inopes non in urbe fouendos esse, sed in agros ad usum rei rusticæ deducendos: ut ab ineunte ætate laboribus adsuefacti, paratiores ad tolerandã inopiam per reliquum tempus efficerẽtur. Principatum obtinere uidentur Romanorum iura, quæ Iustinianus prodidit. Sine legũ præsidio uita humana constare nõ posset. Eæ siquidem nemini inferri uim, nemini iniuriã fieri patiuntur Vnũquemq; in suo gradu, suaq; dignitate tuentur. Virtutem nõ quærunt solum sed premijs exornant: nõ modo uitia reprimunt, sed ulciscũtur supplicijs. Quod stamus, quod incedimus, quod dormimus quod secure uitam agimus, id totum harum defensioni tribuendum. Quæ nisi hominum libidines atq; auaritiam compescerent, non uxores pudicas, non agros, non domos, non uitam tutam haberemus. Virgines è parentũ amplexibus eriperẽtur. Passim per uicos à sicarijs, à latronibus, à parricidis crudelissime necaremur. Omnia denicq; in uilissimorũ hominũ essent potestate. Possunt imperatores leges peruertere, sed suum unà cum legibus imperium peruertetur. Quãobrem? Quia nullum imperiũ, nulla Resp. sine legibus potest esse diutur na. Qua de causa harum cognitionem summe esse frugiferam nemo dubitauerit. Ea enim quo pacto inter ho Laus legũ

uines

mines uersari homo debeat edocet. Verum hic discendum duntaxat, quantum ad stilum, seu oratoriam artem (si studia nostra sectari uelint) conferat. Pulchrum fuerit seruare modũ Ciceronis, hoc est, attingere quantum satis est. Minus placent illi, qui sese ita huic studio dedunt, ut nihil nisi barbariem ament, ut omnia præ legibus fastidiant.

MEDICINA.

MEdendi facultas ualetudinem tuetur corporis De hac in libro de homine habemus, quantum satis fuerit ad lectionem poëtarum oratorumq;, atque si horum sequi stilum libet, qui semper & elegantissimus fuit, & rerum artiumq; uarietate mira nobilis, ad scribendum.

DE THEOLOGIA.

IN Theologiæ studio plura ne discat pietatis operá quàm uelit exercere. Facilius quippe rudem uulgum uitæ exemplo, quàm uerbis, aut uano clamore in sententiam tuam pertraxeris. Atqui contra euenit, ut uigilantior quisq; sit in scrutando modo colendi Deũ quàm in seruando. Alij alias precandi formas anxie præscripsere, omnes tamen eîdem obnoxij uitio sunt. Ore uerba proferuntur: mens, opes, honores, gloriam quærit. Optime hic officio fungi suo uidetur, qui studet bene uiuere.

Quædam

QVAEDAM DE LOCIS communibus.

IN autorum lectione loci cõmunes signandi, hoc modo. Principio Homericæ Οδυσσείας in margine scribendum PRVDENTIA ubi ait: Ανδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον Vlyssem poëta commendat, quòd multa uiderit à bello Troiano. Hæc ad Ethica, & laudes personarum spectant. Paulum infra, AETHIOPIA, è regione: Αλλ' ἢ ὁ αἰθίοπας. Aethiopes procul abesse à Græcia scribit, & in Oriente alios, alios in Occidente reperiri, quæ ad terræ descriptionem conferunt. In hunc modum utile fuerit communes locos, in Homero atque autoribus alijs depingere. Ad docendi formam transeamus.

DE RATIONE DOCENDI.

HEic etiã præcipiunt horas solum debere duas impendi, aut unam potius, quò rem accuratius queas explicare. At hæc præcepta secordiæ sunt, hæc fugienda, heic spectanda inertia uulgi. Aliud nos sentimus. Simul atq; in literarũ iudicio promoueris nonnihil, enitere, ut per diẽ totũ, si fieri poßit, doceas. Si nõ ita in disciplinis omnibus uersatus sis, si non tantũ opũ cõgesserit sedulitas, ut per multas id horas queas præstare: ea doce, quæ noueris, eaq; diuersis horis, alijs atq;

Exercitij fructus.

alijs conueniet inculcare, iuxta uulgarẽ sententiã: multum legendũ, non multa. Ita nihil erit difficile, sic perpetuò sine præmeditatiõe poteris profiteri. Satis sit si quispiam te audiat. Interea exercitio miram rerum cõpiam tibi comparaueris. Vbi decies rem eadem docueris, plus te senties profeciſſe, quàm si fugiens lucẽ magno te domi labore confeciſſes. Per singulos dies duodecim docere horis solebã. Præterq; ipsas semel interim declamare, uel de deo, uel de mundo, aut thematibus alijs exercitatiõis causa. Nonnulli insanire me uociferabantur, sed utinã sic ab ineunte ætate contigiſſet insanire. Tanti ego facultatẽ istam facio, ut malim iudicium adoleſcentis, qui perpetuò docuiſſet, etiã res humillimas, quàm eius, qui solitaria domi lectiõe autores optimos perlegiſſet. Multa sæpe legi, sed mẽsis unius intercapedo memoriã ita deleuerat omnẽ, ut uix dum scirem quos legiſſem. At quæ alios docui, ea tam mihi perspecta sunt, quàm corporis membra ipsa. Ea non aliter ac Solis splendorem ante oculos hærere sentio. Horum cognitionẽ firmã eſſe, certam eſſe, frugemq; proferre ampliſsimam experimento comperi. Horum memoriã uix morte credam extingui poſſe. Cæterum nolumus indoctos protinus autorem publice profiteri id enim furori eſſet simile: sed domi doceant, aut puerum unũ, aut duos, aut tres, donec maiore digni thea-

tro fuerint. Quod si mihi filius esset, huic ita studium instituerem. Quàm primum etiã in ipsis sermonis Latini, seu Græci elementis uerbum unum à præceptore didicisset, id extẽplò alios doceret. Professorẽ agricolæ haud incõmodè posse cõferri opinor. Illi nanq; munus prælegendi, quod alteri sementis est. Illi iudicium, & cognitio rerũ, quod alteri meßis. Duo sunt quibus ad exercitium maximè incitamur, ingens copia auditorum, & spes cuiuspiam magni lucri.

QVA RATIONE CAPTARI DEbeat occasio docendi.

Fit plerunq; ut auspicãti exercitium non semper præsto sint, qui audiant. Quare sedulò curandũ, ut uel precibus, uel pretio habeas unum, cui ea quæ uoles, poßis recitare. Si pro horis singulis exiguam pecuniam dederis auditori, atq; hoc modo quatuor aut quinq; aureos expenderis, tantum comperies te profeciße tum in literis, tum in forma docendi, ut uel palam eadem audeas profiteri. Sed quis istuc, inquis, faciet? Nemo opinor. Ideò dico, quòd pauci ad magna perueniant. Vulgus enim inertißimũ pecuniæ paruæ studio, cupidine ostentãdi, pudore uano, rebusq; friuolis præpeditur. Quocirca quando uniuersam cohortem inermem uidemus, & eiusmodi cura, hoc est, metu parui sumptus detineri, non ad summa euademus?

Vbi tam facilis victoria? Certum est, certissimũ est ex tali plebe sequuturum neminẽ. An posteritas fortè pe/ ctus aliquod nobile parturiet? Minime, hæc ipsa do= cet, inẽ impedimenta cum seculis crescunt. Quid tu co gitas ô Sol, qui cuncta intueris ac lustras, cui nulla un quam ab ortu mundi contigit quies? Quæ mens tibi, quum ocyssimè per cœlum ruis, uidesq; oculis tuis tã somnolẽtos homines? Lege naturæ odisse solemus gnã ui ignauos, docti inertes. Quur itaq; tu longo cursu lassus, iustissimam semper indignationẽ cohibes? Quin protinus perdis ignauam multitudinem? Hi sunt, qui turpi ocio transigunt uitam, nati fruges consumere. Cæterum quum res cunctas terra produxerit in com munem usum, quàm iniquũ uidetur, quod solus homo omnia sibi rapiat, & reliqua animalia passim per ui= cos, per campos, per syluas longa fame intereant? præ sertim quum apud nos sint tam nullius pretij, nec di= gni, ut uel semel pulcherrima solis luce fruantur. Ego medius fidius hæc aliquando cum tanta indignatione perpendo, ut uelim cæteras animantes omneis in horũ exitium conspirasse. Sed redeamus, unde inertiæ me tio nos deduxit. In profectiõe Germanica cõtigit mihi ut à media nocte non dormiuerim. Animaduerti mili= tes quosdã, qui nobiscum in naui erant, itidem uigilan tes. Cogitabã pulchrum fore, si horam unã eius noctis

mihi

mihi lucrifacerẽ. Docui illos Germanico sermone circuitum mundi, Solis, Lunæ, siderum reliquorũ. Quid orbes, circuli, axes, poli, Terram mundi centrum esse & nullam in cœlo stellam cerni, quæ non multo maior sit quàm terra. Quid annus, mensis, dies, hora, & è quibus motibus profluerent. Hæc ita perspicue illis deliniabam, reddita omnium ratione ac usu, ut iam totam sese faciem mundi tenere existimârint. Ista hæc cò scripsi, quòd censeam omni momento temporis, quærendam esse occasionem aliquid docendi.

DOCENDI MVNVS OB LEVEM causam non debere intermitti.

INter docendum non rarò usuueniet, ut minus te aptum ad futuram lectionem sentias. Id fit ob uarias cogitationes & studia diuersa, quibus domi fueris deditus. Pleriq; id præsentientes significare solent se nõ esse lecturos Verum hi in docendo famam magis, & gloriam spectant, quàm eruditionem, quæ paratur exercitio. Proinde relicta ostentandi libidine, quoquo modo adfectum te esse senseris, siue per noctem totam uigilaris, siue altior cogitatio in perquirendis naturæ arcanis mentem impedierit tuam, ad exercitium, ueluti ad messem currito. Præstantius est enim è professione iudicium solum, atque fructum quærere. Laudem uerò spectare nusquam, nisi in stili gloria, quæ

æterna esse debet. Nam quæ prælegeris audient pauci quæ scripseris, secula cuncta intuebuntur. Duo tamen remedia sunt, quibus μελαγχολίαν ex animo pellas. Alterum, ut bene nutrias corpus, ambules, ludas, conuiuer.., corpus uino impleas, ac alijs modis recrees mẽtem. Idcirco nonnulli ante concionem in ægros uini catharos spiritu uno exhauriunt. Alterum, ut multum dormias. Incredibile enim, quantum lucis, quãtum alacritatis res ea adferat animo. Somnum conciliari binis præcipuè modis posse, nemo est qui ignoret: magna corporis fatigatione, ac usu pharmacorum, inter quæ primus tribuunt papaueri. Corporis robur ac ualetudinem conferre ad ostentationem hoc modo discas. Nã ut uidemus ij, quibus crassum & pingue corpus est, uel magna caloris copia, facundiores sunt, & aptiores ad docendum, etiam si non admodum sint eruditi, quàm alij qui perpetuò chartis inhærent. Illi nanque membra, uel organa, quibus utuntur in sermone, robusta ac bene nutrita habent: hi contrà imbecilla, & exiguos in pectore spiritus. Quippe quanto magis animus, tanto minus corpus ualet. Verum in altero genere aliquid est discriminis. Quibus enim crassum corpus est, sermonem tardum cum grauitate: quibus gracile, & calidum, celerem habent. Cæterum in uniuersum id præcipio, ut fugias ea quæ mollia sunt;

ſunt: *ut manibus pedibusque ad ſcopum, hoc eſt, formam bene ſcribendi perferaris. Caue corpus alas, & impleas potu, quò maiore cum gratia pronunties ea, quæ per horam unam dictabis audientibus. Ne talenta tria abijcias, ut referas unũ. Alioqui ſatius fuerit nihil docere.*

IN PRAELEGENDO VITARI ſuperſtitionem debere.

VBI autor errauit, hoc eſt, obſcure ſcripſit, ibi lectores maximè laborant in eruendo ſenſu. Vt hoc fortaſſe malum non ſit, malim tamen interea diſci, quod magis eſſet frugiferum. Præſtaret igitur locum eum intactum relinquere, & admonere obſcurum eſſe: quod ſæpenumero fit inſcitia ſcriptoris. Etenim non autorum ſcripta, aut uerba, ſed artes quas tradunt perdiſcendæ. Eſt alia quædam obſcuritas artificioſa, ut in Perſij Satyris, & epiſtolis aliquot Ciceronis, de qua hic non diſputo. Mea ſententia nuſquam laborandum, ubi maior labor, quàm bonos ſeu commoditas. Itaq; è prælectione fructũ magis, quàm gloriam quære.

IN DOCENDO NIHIL CAElandum eſſe.

PLerique libentius imperitos docere, quàm doctos ſolent. Verentur enim ſi ſua ſic omnibus tradi-

derunt, ne non sint alijs superiores. Cæterum tales assi-
solum, fœminarum modo: non ui, non aperte student
uincere. Quapropter si literatus quispiam me inui-
sat, non occultabo ea, quæ assidua peperit consuetudo,
turpe enim id esse iudicarem. Verum ultrò ipsa pro-
dam, tradamq; alteri ferrum, quò me superare pos-
sit, si uelit. Sic etenim alijs indicando sæpe studij mo-
dum, ipse meliorem semper inueniam quem exercita-
tio illa suggeret docenti. Hoc pacto aperta ui euadere
uictores possumus. Præstat per uirtutem in pugna
» belli fortunam experiri. Inertis est, uenari do-
» lo, quod sanguine parari possit. Nec, si ad summa
niti uelim, aduersus unum aut alterum arma su-
mam, sed aduersus regiones omnes, aduersus tot
secula post me uentura. Si magno igitur animo si-
mus, conabimur efficere, ut non unus solum uinca-
tur à nobis: uerum ut nationes uniuersæ succumbant:
ut secula nulla alere possint aliquem, qui eodem sit
peruenturus. Itaque nemo existimet, me quicquam
alios cœlare uelle. Quin potius persuadeat sibi,
quicquid domi habemus, obuijs omnibus patere spon-
te. Quicunque nobiscum iter facient, eandem habe-
ant mentem oportet.

DE DO-

DE DOCENDI FORMA apud Peripateticos.

PRius, quàm ad alia transeamus, de Peripateticis scholis nonnihil dicendum. Hæc tria mihi consilia occurrunt non admodum ijs infrugifera. Primum est, ut cauillationes, uel sophismata, hoc est, suppositionum, coniecturas, atq; id genus deliramenta penitus abijciant: ut quæ nihil ad communem loquendi morem cõferant. Nec aliud illorum esse argumentationes uideo, quàm chartarum lusus, in quibus omnia ficta sunt. Fingunt enim in primæ formæ syllogismis themata conuersa, siue præposteras orationes, quæ nusquàm reperiuntur. Fingũt longe aliud esse: homo animal nõ est, quàm homo non est animal: hanc falsam esse, illam ueram: quæ tamen differentia nusquam obseruatur. Iucũdum fortè uidetur omnem uerborum, seu contextus uim perspicere. Atqui optabilius erat ijs, quorum nullus usus est, relictis, meliora persequi, seruareq; Poëtæ dictum: „ Ne quid nimis. Vitam quippe mortalibus breuem, ac „ artis innumeras natura concesßit. Alterum est, uti illa, „ quæ ex Aristotele prælegunt adolescẽtibus, ocyus, paulò absoluant, addito semper rerum quas produnt usu. Meminerint pueris longum superesse iter, antequam ad metam peruenerint. Postremum, ut nõ modo Dialecticen, & Physicen, queis duos tresúe annos tribuunt, doceant:

doceant: uerum alia quoq; non minus necessaria, elementa Græcæ linguæ, Rhetoricen, ac rationem scribendi. Vt pueri, quemadmodum Fabius monet, nonnunquam declament, proposito singulis mensibus, aut præmio, aut honore aliquo illi, qui uicisset. Si hunc docendi modum haberent, et uberiorem fortasse referrẽt fructum, & iuuentuti rectius consulerent.

AD SCRIBENDVM LABORES omneis, atq; adeò studia reliqua referri debere.

SEquitur id, in quo curam omnem, omnem spem, omnem uoluptatem ponere debes, scribere ipsum. Hunc scopum semper habere in pectore stude. Huc cogitationes, colloquia, labores, somnia, uigilias, mentem, ualetudinem corporis, opes, deniq; quicquid egeris, quicquid audieris, quicquid uideris, referas necesse est. Vbi perueneris ad prouectiora, puta te tantum profecisse, quantum quotidie scripseris. Etiam si natura facundus es, dedita opera loquaris incomposite. Nam ferè fit, ut qui loquuntur accuratè eminus erudite scribant. Dum enim uerum illarum uoluptate afficiuntur, imperfectiores oportet sint in altero. Nemo pari cura res duas unquam tractauerit. Nulla prælectio mihi tanti est, ut cogitationis aliquid illi uelim tribuere. Id nanq; me à scopo meo auerteret. Ea solum profero, quæ

Vide anno tationes autoris.

quæ primum ueniunt in mentem, quæ exercitatio longa mihi comparauit. Et si loquendum esset cum uiris summis, etiam in cœtu maximo, ne uerbum quidem unũ præmeditarer, tam libens inepte, quàm apte sententiã exprimerẽ. Quod si res maiorẽ curã postularet, talem rem, talem cœtum ueluti pestem fugerem, ac stili amorem continerem in pectore. Venusti loqui per se est bonum. Sed quia plerunq; facundiam consequuti, ea tantopere capiuntur, ut passim in uicis colloquendi ostentandiq́ue captent occasionem, arteis uerò pulcherrimas, quas necesse erat scire negligant, eò mihi minus probatur facundia. Quo pacto id genus homines, qui tanto plausu in tanta nugatorum corona nugari possunt, accuratè quicquam scripserint. Certè neminem unquam uidi (nisi me memoria fallat) doctè scribentem, cui ualde in promptu fuit colloquendi disserendiq; ratio. Ergo quicunq; gaudere se sentit, quum magnificè quenquam salutârit, quum recitârit eleganter euentum belli, is frustra è nostro certamine laudem expectabit. Non paucos Thrasones reperias, qui quum aut falsè aut scitè aliquid dixerint, id plus millies apud quosuis referant. Huiusmodi rebus uani homines occupantur. Accitus ad conuiuium, ubi fore putabis eos, quorum audire nugas deberes, ne accedas. Satius esset corporis membrum amittere,

tere, quàm cogitationem per horas duas tam inanibus fabulis impediri: quippe quum omnem corporis usum in gloriam hanc rear expendendum. Contrà, sicut hoc infrugiferum: ita utilius nihil existimo, quàm ut interprandendum unus adsit, quem uel formam studendi, uel scribendi modum doceas: atq; posteà mediteris, qua ratione eundem & graphicè depingere, & cum laude tradere posteris queas. Caue itaq; ne aut sermonis gratia aut fabulæ otiosæ scribendi cupiditatem ullo pacto diminuat. Memineris non semper æstatem fore. Οὐκ ἀεὶ θέρος ἐστὶν, ποιεῖ δε καλιάς. Aestas non semper fuerit, componite nidos. Vitæ summa breuis spem nos uetat inchoare longam. Famam puerilem aspernemur, uulgo inertes uideamur. Versetur ante oculos leonis habitus: qui quum iacet, aut ab humilibus rebus infestatur, apparet ignauissimus. At in corporibus magnis sternendis, miro pollet impetu. Pulchrum æternam laudem quærere stilo, & in fabulis quotidianis, è quibus tenuis gloria manat, exquisitum sermonem fugere. Verũ heus tu, tametsi uana colloquia damno, non tamen censeo fugiendum conspectum hominum ne μισάνθρωπον quempiam probare me putes, imò nil inutilius reor studio solitario: sed orationem uirilẽ esse, non adfectatam uolo; & è sermone uel exercitio non plausum uulgarem, aut paucorum hominum gratiam,

1. Non semper æstas erit, componite nidos.

2. Osorem hominum.

tiam, quæ momento interit: sed ueram atq; æternã frugem, quæ ad posteros pertinet, quæ cum ætate augebitur, quærendam esse arbitror. Fabulæ, non homines uitandi sunt.

QVIBVS SIGNIS COGNOSCANtur illi, qui ad magnam in scribendo gloriam peruenient.

AMoris istiusmodi certa sunt indicia. Quæ manifesta abunde erunt, ubi tres ardoris gradus exposuero. Nonnulli quicquam perdiscere apud me studentes, eas statui horas uolunt, quas uel prandio uel cœnæ nihil putent offecturas. Hos ego ad rem propensos uocari posse reor: hos infimo ordine colloco, ni forsitan uis alia excreuerit. Alij & cœnas & prandia cõtemnunt, hos propensiores nomino. Tertium genus rarum est. Tales essent, qui contemnentes & longam uiam, & horrorem tenebrarum etiam media nocte ad me uigilantem accedere non uererentur. Hos non propensos, non mediocres, sed uiolentos appellauerim. Si talis existeret quisquam, huic fortasse cederem, hunc putarem sine mora ad summa uelle penetrare. E medio genere multos reperio: è primo, plures, è tertio nullum. Ergo euentum ex ui animorum colligo: quod me Græcorum sententia perdocuit, τὸν πόνῳ ἀξίαν τύχην par est fortuna labori. Nam tanto quisq;

maiorã

maiora in quauis disciplina cõsequetur, quanto maiores tulerit labores: nihil paratur ignauia.

QVA RATIONE VITARE possis in scribendo tædium.

SI tædium mentem à scribendo auerterit, hoc utere remedio. Statue ac noue uoluntate firmate eo die non cœnaturum, quo non tot paginas, non tot uersus, ut decreueras, scripseris. Quòd si acciderit delinquere, tu tibi ignoscere noli, uolo cœna careas. Abstinere à cibo non parum quandoque ad corporis ualetudinem facit, & alacriorem reddit animum. Vel si mauis, alia tibi interdicere potes, quorum uoluptate plus senseris te adfici. Quia difficile scribere est, quia tædiosum, quia paucis datum, eò rem debes expetere. Si facile esset, si obuium omnibus, quam hac industria laudem posses consequi? Certe nullam. Equidem natura (non id gloriandi causa, sed excitandi alios dico) ut petam nihil, quod non uidetur arduum. Si sine negocio id fieret, nunquam me hercule scriberem. Mihi rem principio molestam fuisse iudicabit, qui uiderit, quando in ipsa cœperim elaborare. Nam ante paucos annos nihil scripseram unquam, nisi fortè quatuor aut quinq; paginas, si colligas omnia, quæ exercendi causa cogebar in ludo componere. Intra annos duos uix unam latine epistolam scri-

lam scribebam. Tractabam nugas alias, quæ nihil ad stilum conferunt, ut obiter exponam. Circa decimumseptimum ætatis annum regiam deserui. Didici Louanij latinæ linguæ rudimenta. Inde Aristotelis Dialecticen, ac Physicen. In quibus pædagogum habui Petrum Curtium in omni literarum genere apprimè eruditum. Atqui dum disciplinis hisce operam darem, ad res inanes mentem abduxi. Initio modum scribendi aulicum profitebar, quem habent in aula Imperatoris. Tantopere me tum delectabant characteres apte compositi, pulchri, & uarij, ut quindecim diuersas scribendi formas collegerim. Posthea relictis ijs in pingendi arte grassari cœpi. Literas descripsi maiusculas, non simplici ductu linearum, ut uulgaris typorum species est, sed è frondium, arborum, rerumqúe aliarum, qua litera patet, protractione. Sic apud me litera A est magnitudine palmorum trium aut quatuor, quam ad hunc composui modum. In dextera typi parte frondes ducuntur coloribus distinctæ. In sinistra arbor est, è cuius specu paulum infra uerticem puer feram iacentem humi nutitur configere. Sic pingebam mala, pyra, flores, ac res alias. Posthæc sum aggressus artificium cælandi picturas in ære leuigato conuersa imaginis forma, ut apposito atramento eadem in chartis multis premi possit

Inde

Inde apud me est species puellæ regiæ ornatæ gemmis atq; uestitu eximio, quam in ærea tabula sculpseram. Postea per annos aliquot didici, & publice professus sum Arithmeticen, Astronomiam & Græcam linguam. Postremò animum adiunxi ad curam latinè ac politè scribendi, cuius gloria inter humanos conatus omneis summum tenere locum uidetur. In hac finire uitam decreui. Quæ si dabitur mediocriter longa, in animo est opuscula millena (idq; summa, quantum in nobis fuerit, adhibita cura Latini sermonis) ante mortem conscribere: quorum corpori uniuerso inde titulus erit Chilias. Nec prius desistere certum est, quàm istæc quæ dixi, perfecero, nisi mors inuitum opprimat. Ex hoc numero libellos nuper undeuiginti absoluimus: speramus que nos breui ad centum, hoc est decimã Chiliados partem peruenturos. Hæc ideò recenseo, ne iuuenta desperet usquàm, sciatq; homini nihil esse arduum, si labori non defuerit. Mitto diuersa Musicorum organa, quæ tantum temporis abstulerunt, ut in ærea facilè sermonem Romanum perdisceres. Nihil magis doleo, quàm quòd hac uoluptate uita mihi perierit. Scio artem labore fessos instaurare, atqui si bene studiosorũ turbam inspicias, numium omnes, quæ mentem reficiant quærimus. Scilicet is, qui in rebus gerendis impetu uacat, & semper languet, & exiguo labore facile opprimitur.

Dolor

mala

Mala mille molestant affliguntq; hominem, cui segne atq; inutile corpus. Taceo lites, quæ per bienniũ mihi fuere in iudicio, dum opera daretur artibus. Præterea occupatiões alias, quas longum esset hic enarrare. Sed relicta uanitate ad rem eamus, unde plus satis digressa est oratio. Admonui qua solertia teipsum ad scribendum incitabis. Alterum est, ut alios quæras, qui ad laborem te prouocent, hoc modo. Dic chalcographis parent sese, librum te dare uelle excudendum, etiam sine paginam quidem paraueris. Tum facile totam uoluminis speciem animo concipere, inde singulas parteis leuiter in comœdiarum argumenti modum describere: deniq; quotidie, quantum illis satis erit absoluere poteris. Quum sic inceperis aliquid, perficere debes uelis, nolis. Id ego in omnibus penè libris feci, ac etiã in isto. Sed qua ratione infra dicam. Facillime scribo pedetentim dum quotidie typographus suas exigit chartas. Malim sic quinquaginta ædere libros, quàm ratione alia unum. Vbi Horatius inquit scripta in nonum seruari annum debere, non tempus, sed diligentia præscribitur. Verum ne tale quicquã audeas, nisi in ea re, quam scribere tentabis satis sis uersatus. Alioqui omnium dignus risu eris. Porrò istuc consilium esse, non præceptum uolo, præsertim illis, qui parua petũt, qui non terræ regnum totius, sed urbem solum unam quæ

Diligentia in scribendo in edendo cautio

runt. Non enim displicet æditionem premi, quò cõmendatior liber exeat. Mora tamen aliquid habet incommodi. Hominem facit tranquillum, desidem, ociosum, ignauum, somnolentũ. Et nescio quam adferat superstitionem, dum dissimulat quædã, dum rogari uult, ut librũ emittat. Quare animus, qui grassari uelit, nusquam patiens moræ sit. Expectent ita languido pectore ac pendula ceruice homines, quibus satis est, si nõ omnino sint imperiti, si ante uitæ finem quædam æditerint non minima cum laude. At imperator ille, cuius uirtus per omne æuum eminebit, nonumné expectet annum? Quin potius orbem uniuersum horæ interstitio unius sibi conabitur subiugare. Adde quòd nõnulli maiore cum gratia, decore, dignitate scribere quicquã cito possunt, quàm alij tarde. Studiosus itaq; hic sequatur, quod uidebitur melius. Sua cuiq; sententia. Verum tu qui summa petis, semper fuge moram. Plerique quicquid inueniunt apud Ciceronem, Fabium ac similes autores ueteres, in ore semper pro legibus habent. Hi & se ignorãt homines esse, et iudicio nullo rationis utuntur. Horatius uoluit temere nihil uulgãdum esse. Si quicquam tentaris proferre in lucem mediocri scriptum cura, quoscunq; uideris, cantilenã eandem occinent, differri æditionem debere.

QVEM

QVEM IN AEDENDIS LIBRIS scribendi modum nos habeamus.

Diximus librum à nobis perfici nullum nisi dum à typographo excudatur. Cæterum nolo ideò quisquam temere omnia, & sine cura effundi clamet. Quocirca ut uulgi opinionem hanc diluere, & studio sis non paruâ adferre frugem inuentione nostra possimus, exponetur, quàm in operibus cudendis seruare seriem consueuimus. Ante omnia animo concipio totius corpus operis futuri. Deinde in tabula lignea maximæ amplitudinis rubrica titulos solum capitum delinio. Circunspicio num cuncta bene cohæreant. Si res uidetur exigere, alios addo, aufero, muto, transpono. Titulorum capita, dum excogitatio recens est, rudi oratione leuiter singula in singulis chartis depingo. Eas chartas ordine pono in tabula, ubi titulos prius collocârã. Hos postremò magnis scribo typis, quò libri ordo uniuersus aspectu uno possit comprehendi. Non aliter me paro ante, quàm librũ incipio emittere. Tum singulis diebus capita aliquot ad prælum absoluo, ad hunc modum. Illis, quæ prius leuiter descripseram addo aliquid, uel adimo. Inde quum materiæ deesse nihil, aut redundare uideo, animum conuerto ad elocutionem. Quæ partibus quatuor consummatur. Primum enim si res tractetur magnifica, caueo ne particula

usquam iaceat humi infra dignitatẽ orationis. Ea tolli sursum potest, aut παρεφράσεως forma, aut uerborum contextu immutato, aut ratione quapiam alia. Vt si offendam: Homo ad omnia peruenit. Pauor inuadet ipsos campos, aliter scribo: Hominis cura, quò non aspirauit? Campos pauor ipsos inuadet. Prius in libro de homine habemus circa operis initium: posterius in hoc. Contrà si in structura humili inflatum reperio quicquàm, quod præ cæteris partibus nimium extumescat, id per uiam eandem, per eosdem gradus detracto regio cultu, demitto ad humiliora. Tum etiã uideo ne uerbum idem, aut syllaba, si fieri possit, bis ponatur: nisi forte repetitionis habeat colorem, hoc est, nisi insignis sit ἀναφορα. Sed miseri nos non uoces omnes semper uidemus, quæ speciosius possent immutari. Ita Pomponius Mela in hac re diligentißimus censor non perspexit, quod in præfationis suæ medio, bis posuerit autem. Ei loco maiestas quædam accederet, si uel prius, uel utrunq; tolleretur. Et apud Fabiũ crebra satis coniunctio Nam, præsertim in capite septimi libri de qualitate. Ad hæc do operam, ut numerorum gratia, siue concentus cohæreat, aut per omnes periodi partes, si tersius quicquam scribere coner, aut saltem in fine. Vbi oratio desinet, quæro spondæos, trochæos, epitritos quartos, παιωνας secundos, tertios &c

Ταυτολογίας, exempla.

Sed per uicißitudinem. Poſtrema cura eſt, ne multi ſint fines ſententiarum, qui pedes eoſdem habeant. Inſuaue enim quiddam, periodos tres, ſeu quatuor eundem habere παιωνα, epitritum, aut alium quempiam orationis exitum. In pedum concentu omnem propemodum elegantiam pono. Sed maxima hæc uarietas exquiritur. Quocirca maiorem multò tum laudem, tum occaſionem oſtentandæ doctrinæ conſequeris, ſi ita occulto nexu orationem uinxeris, quàm ſi ſcripſeris carmen. Illic nanq; uarietatem, qua ipſa in primis natura gaudet: hæc unum duntaxat florum genus proferre potes. Numeros equidem uitam uocauerim orationis, quod haud obſcurè apparebit, ſi ſententiam numeroſam ſolueris iiſdem ſeruatis ac tranſpoſitis uerbis. Quippe quæ ante efficax erat, ea ſoluta ridicula uidebitur. Quamobrē in omni opere prima curarum eſſe debet, ut res ſiue mēbra cohæreāt: proxima ut uerba, ſeu modulatio numerorū. His tamen nō ita anxiè per omnia ſeruiendum. Vt enim in ſaporibus quædam interdum ſuauiter amara ſunt: ſic aliquando modica in dictione aſperitas & uicißitudine oblectat aures, & cætera cōmendat. Singulis quatuor partiū modis item quatuor perficio: uocum aliquarum additione, detractione, immutatione, tranſpoſitione. Quod ad eundem penè modum non illepide exprimunt uerſus.

Simile

Dextra tenet ferrum, uacuam tenet altera cæram.
Incipit, & dubitat, scribit, damnatq; tabellas,
Et notat, & delet, mutat, culpatq;, probatq;.
Inq; uicem sumptas ponit positasq; resumit.

Hisce limis orationẽ politam, ac deinde scriptã ordine mitto ad chalcographum. Cæterum id neminem latere arbitror, non omnes libros eandem diligentiam requirere. Tum à nobis plus operæ uni impendi, quàm alteri, etiam ex industria. Deniq; aliâs ad stilũ aptiores nos esse, & omnia sponte profluere, aliâs uero nõ nisi labore, atq; longa cogitatione quicquam posse cõparari. Idcirco minus recte colligunt, non esse eiusdem autoris, quæ non pari cura perscripta sunt.

DE PVERORVM EXERCITATIONE in scribendo.

SCribere esse tædiosum suprà memorauimus, & arte animos debere incitari. Proinde felices pueros uoco, qui præceptorum plagis coguntur ad scribendum. At tamen ipsos ijdem admonere deberent, ut quicquid scripserint, ueluti gemmas seruent in futurũ stili usum. Vt enim in scriptis hisce elegantia prorsus nulla sit, postmodo tamẽ quum emittere librũ uolent, aut uerbum aptũ, aut sensum aliquem cõmodum inuenient, qui ad operis structuram faciat. Nec satis est flagris ad seruandum miseram cogere iuuentutẽ: sed illorum

lorum indicare est, quas olim commoditates ex ijs possint consequi. Deinde quàm primum epistolam composuissent, demonstrare, in quos locos cõmunes particulæ omnes sint digerendæ. Vt si pulchre quid de deo, de homine, de mundo, de animalium natura scripserint, id in locis ijsdem, dum memoria recens est, continuo esse reponendum. Istæc forte studiorum ratio non nisi prouectioribus conducere uideatur. Quur etiam non conferat alijs, quando nihil excogitari utilius possit? Satius est citra delectum illis temere obtrudi omnia. Seruent, abijciant quicquid uelint, quid hoc ad literatores? Quàm facile iuuenta ad maxima quæque peruenires, si superuacuum nihil traderetur? Sed ferè fit ut præceptores ipsi uix dum sciant, quid cõmunes loci sint: Sic cæcos cæci ducunt.

IN PVERIS MAGNAM ESSE spem perueniendi ad summa.

AD hanc uictoriam, quis aptior erit, quàm ille qui à primis annis optimis quibus literis imbutus est? Cui res nullæ facinus pulcherrimũ impedierint Felix puer, cui molles articuli, rubicundæ genæ, flos ætatis, spes longa annorũ. Vel infelix potius, quòd optimos dies tam imprudenter abijcit. O utinam mihi ad primos redire annos liceret. O utinam conuerso rerũ ordine rursus inter pueros humi sedere, præceptoris

Spes pueri.

audire præcepta, eiusq; dulceis ferre plagas daretur. Sed frustra queror, frustra mea hæc uota fluunt, frustra cadunt lachrymæ, Aetas abijt reditura nunquàm, ah nunquam reditura. Tametsi annum nunc solum trigesimum ago, spem tamen ademit calculi morbus, qui solicitudine assidua, ac dolore adficit mentem.

» Quod igitur restat cum Alexandro, non annos, sed
» victorias numerabo. Idem conentur, quibus melior uitæ pars sine fructu exacta est. O pueri, qui grandi cœtu itis ad ludum, si mens uobis esset, quam habebitis prouectiores, si temporis uobis esset cura, si uos in literis grassari uelletis, tãta præsente spe æui futuri, per immortales deos id certò scio, eò uos posse doctrinæ uenire, ut non homines, sed diuos uideretur terra genuisse. Eò uos ducere tempus posset, unde Græci omnes Latiniq; literarum præsides pueri uiderentur. O si mihi hic flos rediret. Quæ spes ardorem, quo pectus feruet, ad altissima quæque impelleret? Certe ego maiora multò, quàm mundus ipse est, animo agitarem. Sed tempus dum querimur præteriisse, præ-
» terit. Sudorem repete mens anhela, perge ad uictoriam. Præceps in media pericula rue; uincere omnia labor improbus potest.

CAVENDVM ESSE NE MOmentum temporis sine fructu abeat.

Tradidimus

TRadidimus modum audiendi, docendi, scribendi quæ tres præcipuæ in studij ratione partes sunt. Ante eas memoriæ quædam dedimus ad triplicem illum gradum adprimè necessaria, & sine quibus frustra quicquam tentaueris. Pari forma præceptiones quasdam hic ponemus, quæ ad partium perfectionem earundem adiumenti plurimum adferent. Ad summæ perueniet nemo, nisi tempore, quo nihil esse fugacius constat, prudenter utatur: nisi momento omni captet, quod ad futuram gloriam nonnihil conferat emolumenti. Hæc consilia dua trademus. Noctu ad manum tabulas ceratas, uel lapideas habe, aut membranas, quas ossibus adustis in usum eum præparant. In his somno intermisso notare poteris, quæ libebit, ac luce diurna melioribus typis rescribere. Easdem tecum circumfer semper, ut quum in mentem aut uenusta uerborum connexio, aut rerum obseruatio ulla inciderit, scribere ipsam in ijs queas. Bonam partem libri huius in tenebris scripsi, quando somnus me ob calculi dolorem reliquerat, idq; quum Sol aduersa nobis figeret uestigia nocte uagante in medio cœlo. Quur enim non utar Vraniæ uerbis, quum sese sponte offerunt? quum stilum trahit dulcis cœlestium rerum memoria? Ni refugis, subiungam plura. Vitæ domum obtinebat Orionis sidus, cum Ge- Duodecim
minis, & Eridano, Opum, Sirius, Procyon, Cancer, cœli domus

Fratrum, Canopus, Anguis caput, os Leonis. Sol, parentum, Sobolis, Coruus, cum Centauro. Fera, morborum. Arcturus matrimonij. Mortis Hercules. Religionis, cadens Cynosura, Draco. Cycnus, Telum. Κυφὸς altus, actionum. Vbi & Pegasus hæret æstum fugiens Phœbi aduersi. Proxima ora Medusæ uultum ac Capram Oleniam intuebatur. Deniq; Cœti, Tauri. Pleiadum atque Hœdorum simulachris pars mundi postrema cesserat. Nos spectabant Phænon, ac Gradiuus: errantes reliqui ἀντίχθονες. Nimium digredimur. Quò mentem abducit imago mira rerum? Sed iure ista commemoramus. Facies mundi est admiratione maiore digna si locus pateretur. Hic cœli situs erat, quum opus auspicabar. Horoscopi formam tui Roma contemplata es, aliarum alij rerum: quur huius originem libri nos pigeat inquirere? Si locum uestigas, à bruna abest sextante orbis, cum semuncia: binis propè horis ab occasu. Nunc ad rem. Deerat lumen, uerum tabulas habeo quibus etiam in tenebris utor. Altera de temporis parsimonia præceptio hæc est. Si qui ad te accesserint, qui res uanas, quæ nihil ad artes facere uidentur, proferant, fuge repente ad studia tua. Satius est, ut illi tuam mirentur impudentiam, quàm tibi pereat tempus. Illud enim unus aut alter, hoc tota sentiet posteritas. Quot uolumina

possem

possent scribi intra horas illas, quæ per annum pereunt? Nulla tam breuis uitæ portio, in qua non magnus ad felicitatem gradus sit. Adolescentibus anni supersunt admodum pauci, forte decem, duodecim, aut uiginti: uerum ipsi tamen sic studia instituunt, tanquã annis mille sint uicturi.

DE TEMPORE NOSTRO infeliciter exacto.

LAchrymare magis, quàm scribere nunc lubet, quum recordor sic tempus nostrũ abiisse. Quid infelix de pueris loquor? mihi misero anni defluxerũt mihi inquam, cui animus demum ad alta surrexit: Quid igitur? desistam né, quia serò rem aggressus sum? Minime, etiam si certum esset intra horam me moriturum. Dulce erit extingui labore literarum. Adhuc alta spes in pectore sedet, quæ non nisi cum uita migrabit. O dura fata, quæ optimum tempus imprudenti eripuerunt. O fures, ô latrones, ô tyrannos crudelissimos, quorum consilio mihi unquam periit hora. Quod saxum mecum non ploret, si & gemitum meum fletumq;, & ordinem fatorum immutabilem uideat? Miram uarietatem, certam legem, impar æuum rerum cunctarum in mundo contemplamur. Oritur Sol & occidit, & ad locum suum reuertitur. Idem sidus Lunæque uices, ut nos uidemus, ita Cicero uidit,

Plato

" Plato uidit, & antiquißima secula. Cursu sese terram-
" que fatigat Oceanus, nec ullam ullo tempote quietem
" nouit. Omnes aquæ fluunt in mare, & ipsum non re-
" dundat. Eædem uapore sursum trahuntur, nubeq; so-
" luta decidunt, ut iterum fluant. Sic tacito casu ripas
" flumina prætereunt, rerumq; nostrarum exprimunt
" imaginem. Frigora mitescunt Zephyris, abit æstas,
" abit autumnus, nec quicquam diu infra Lunam eadem
" facie uisitur. Mortali corpore ueluti plumbo in ima
" mundi ualle præpotens mergitur teneturq; animus, mi
" ratur naturæ miracula, nec mirationis unquam finis
" est. Breui momento hominum uita præterit. Vbi pius
" Aeneas? ubi Tullus diues? ubi Cæsar? ubi Alexander
" terræ dominus? in tenuem puluerem, in umbram ina-
" nem conuersi sunt: uirtus sola, si qua fuit, permanet.

Natura fluminum.

Apostrophe.

1. In uerè, sed cito senescit. Et forma pulchra est in puero, sed non diu durat.

Duc mentem per gradus ætatum, nihil adeò splendidũ offendes, quod non tandẽ conciderit. Qui scis, qui formose puer, an crastinam lucem hodiernæ superi adijcient? Quum semel occideris, non genus, quo frustra tumes, non turba eorum quibuscũ bonam uitæ partem abstulerunt fabulæ, te ab Orco reuocabunt. Rosa pulchra est, sed citò marcescit. Candidum lilium, at perit, quum ceciderit. Viola pulchra ἐν εἴαρι, ἀλλὰ τὰ χὺ γηρᾷ. Καὶ κάλλος καλόν ἐστὶ τὸ παιδικον ἀλλ' ὀλίγον ζῇ. Quotidie ad interitum certam iti-

ueris

neris portionem absoluimus. Mitto quod sæpenumero antè in ipso cursu obruimur, quàm portum attingere liceat. Ad hæc ludibria nascimur. Agitur humanum genus rapida in occasum mortalitate, omnisq; posteritas succedentium seculorum lege decurrit. Maiores nostri præterierunt, nos abimus, posteri sequentur. Quid istuc quæso, quid istuc est? Nihil ita crebro, ut mortem uident, nihil ita obliuiscuntur, ut mortem, Quis inter tot uitæ discrimina. At pauidum animal quò decidis? Quid mœres, fatumq; times oblita tui mens? Quid te falsæ malorum umbræ terrent? Quid quæri, aut lachrymare proderit? Ad institutum redeat oratio.

NON CVRANDA ESSE aliena studia.

Scio non paucos esse, qui solum quærunt, quid agatur apud alios: quàm sint alij uel periti, uel diuites. Hi nihil agunt aliud, quàm si tribus aut quatuor montem conscendentibus, unus eorum uideat, quo modo scandant cæteri, & in medio montis flores ac frondes contempletur, dum illi uolant ad summa cacumina: dum de gloria, de laude, de uita denique ipsa unò momento concertetur.

NE NIMIO SOMNO depereat tempus.

Fit quandoq;, ut plusquam satis est dormias: Hic studiose cauendum, ne horas somnus auferat non necessarius corpori. Itaq; aut horologium habeto, qd pulsu, quum uoles, te possit excitare. Aut quod sæpe ego in itinere feci, siue locis alijs, ubi instrumenta eusmodi defuere, saxa seu ligna per transuersum lateri supponito. Ea nanq; principio non senties, & post horas aliquot duritie magis, quàm prius premente membra sponte excitaberis. Arduum id fortasse uidetur, at arduum est, quicquid conducit ad uirtutem.

Vide annotationes auctoris.

QVOT TEMPVS APTIVS studio sit.

Solent à cœna horas quasdam tribuere amicis, ambulationi, aut rebus operæ leuioris. Cuiq; sua natura & consuetudo. Mihi placet omne tempus aptum esse studio, quo animus promptus est ad laborem. Iccirco quum incitari me sentio ad legendum aliquid scribendum ue, nulla patior occasione impetum eum cohiberi quocunque id fiat tempore, etiam si nocte media relicto somno id contingeret. Post lectione, seu stilo defessus, nihil nitor repugnante natura: sed exercitij genus aliud quæro, quò tædium uarietas minuat.

ACCVRATE NOTANDVM esse, si quid per diem proficeris.

Id quoq;

ID quoq; perutile fuerit, ante somnum notare, quæcunq; luce ea peracta sunt, hoc modo. Iouis die primo Martij quinquaginta in Cicerone paginas perlegi, decem in Plinio. Horis tribus alios docui. Octoginta uersus aut paginas quinq; in stili exercitio perscripsi. Quanto pluris feceris exiguum prouentum, tanto ad altiora doctrinæ fastigia es euasurus. Qui uilissimos quosq; nummos admirantur, intuentur crebro, & seruant accurate, ad summas sæpenumero diuitias perueniunt. Contrà qui ipsos contemnunt, ac uiles putant, tales ad extremam plerunq; redactos egestatem uidemus. Pari modo si quis optarit sudorum metam bene scribere, discat mirari bene scripta, discat gaudere, si uel nomina duo coniunxerit uenuste. Illa seruet maiore cura, quàm auru, gemmas cæteraq; opes. Equidem in libris excudendis, cum speciosum aliquem uocum contextu, aut uerba duo ornata inuenio, lætitia exulto maiore, quàm si aureum reperissem. Tum mirus splendor pectus illustrat, hac εὐβροσίαν uiuimus, hoc dulci gaudio mens tranquilla fruitur. Ea mihi sententia est, atq; uti spero ad uitæ exitum permanebit, ut prosingulis uocibus nitidis, significantibus, appositis, singulos recipere aureos nolim, etiam si summa me premeret inopia. Malo dictionem esse decoram, aut uoces duas commissas apte, aut splendide dictum aliquid in

opuscu-

opusculis meis, quàm aureum in manibus. Illud nanque imperatorem animum uoluptate incredibili adficit: hoc uitiorum fomes est, hoc est corpus solum, & luxum spectat. Illud perpetuò meum erit: hoc ad breue tempus.

DE EXERCITIO corporis.

LOnga quies eneruat corpus, & calculum parit, ideò præcepere, ut studiosi quandoque æreum globum manu agitẽt, torqueantq; ad fatigationem. Verum hoc exercitium nonnihil aufert temporis. Modum igitur alium excogitaui. In uestibus interioribus aliquando consuo plumbum dissectum in minutas laminas tanti ponderis, ut utraq; manu uniuersam leuare molem uix possim. Has induo mane, has robur corporis commode sustentat. Caueo tamen, ne inferior spinæ pars plus æquo prematur. Id facio ad octo ferè dies donec æstu laboris nimium membra accenduntur. Sed pondus dictum sensim augetur, ac minuitur. Repentina nanq; mutatio, lædere non parum naturam solet. Milonem sequor, qui quotidie uitulum ferre solitus, tãdem gestauit taurum. Hac ratione tempore eodem & scribo, & firmo ualetudinem. Sic reuera sum armatus ut in libri exordio descripsimus. Nec deceret, quod tanto clamore alios ad dura excitarem mollia quærẽs ipse

Hac de re diligẽter lege annotationes autoris post finẽ huius libri.

Non

Non erit post principia, qui primum se urbes expugnaturum esse professus est, modo uita supersit. Animum quisq; sumat, hæc belli uis & summa quærit, et summe est honesta.

FORMA PELLENDI desidiam.

VBi nos desidia inuaserit, sententias quasdã habebimus in promptu, quibus nosmetipsos commoueamus. Quales sunt: μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς δὲ λοντες εὐτυχεῖν. Omnis spes in uirtute ponẽda. Cõtuebimur subinde Solem, cogitabimusq;, quantũ cœli intra horas duas aut tres transierit, quæ nobis perierunt fabulis. Hic horæ spatio quindecim cum mundo partes percurrit: quarũ singulæ tam sunt amplæ, ut quinquaginta terræ globi, ne unã quidẽ implere possint. Pecuniam numeramus omnes: quàm pauci temporis dãna perpendunt? Si perierint opes perpetuò dolemus: si sine fruge abierint dies, æqua mẽte ferimus.

i. Laborare debẽt, uò lentes esse felices.

QVANDOQVE QVIESCENdum esse.

QVieſcere ſubinde, ſeu luſibus uires, inſtaurare licebit. Quippe omnes in ore ſententiam habent, quod requie alterna caret, durare non poſſe. Cæterum hic etiam quærendum, quod ad uictoriam conferat. Quapropter ut gnauus miles pugnat ad

palum, iaculatur ad scopum, torquet fundam, uibrat hastam, decertat palestra, concurrit lanceis, armatus in equum insilit, deniq; sic feriatur à belli munijs, ut ad ea redeat uegetior: ita adolescēs lusum captet, quò et mentem reficere, & iuuare doctrinā queat. Quale est, si inter ambulandum de literis disceptatio sit. Si in pratis amœnis themate proposito alterum alter conetur superare. Sic uterq; incitabitur ad laborem, uel laude uel ignominia. Verum tu, qui spiritu generoso, & uirtutibus alto præter cæteros emines, tametsi nō nunquam urget fatigatio, quietem tamen quantum potes, fugias, quies à morte dabitur longissima. O dulcem lucem, nunc omni conatu, à nugis, à fabulis, à luxu arcendam. O tristem horam, quæ postremam lucem adferet. Cæterum nos tempore fugiente, laborante Oceano, ipso currente mundo, iacemus, dormimus, atque ad umbras, Stygaq; horrendam celeri motu tendimus.

MVTANDVM ESSE subinde locum.

QVò uigilantiore spiritu, & artium discere præceptiones, & docere alios, & scribere possis, locum mutare interdum oportebit. Sēper enim deprehendes aliquid, quod antè nusquam uideris. Plerig; manere satis ducunt, quod non sine periculo, & gra-

ui

grandi sumptu, & iactura temporis graui, iter face-
re liceat. Verum plus tamen ex huiusmodi peregrina
tione compendij, quàm dispendij tibi comparaueris.
Quippe animus & uarietate mirè excitatur: & sæ-
penumero rerum conspectu nouarum permotus effi-
cit ea, quæ domi nũquam agitasset. Quantulum enim
audeat ille, qui in eodem semper loco hæret? Iulius
Cæsar, quum in insulam Gades uenisset, animaduersa
in Herculis templo Magni Alexandri imagine, inge-
muit: pertesusq; ignauiam suam, quòd nihil à se me-
morabile actum esset ea ætate, qua iam ille orbẽ terra
rum domuisset, missionem continuò efflagitauit, ad ca
ptandas maiorum rerum occasiones. Ad tantam glo-
riam adipiscendam commotus forsitan non fuisset, si
semper permansisset domi. Pari forma certum est ad
literas quoq; nouitate animos incitari. Mea sententia
senis ferè mensibus, aut singulis annis urbem quæres
aliam. Curas omnes, quæ hunc impedire morem
possunt abdicabis. Equidem infeliciſsimos uoco, sem-
perq; uocabo, dies illos, quibus usquam ultra mensem
desederim. Quòd si profecturos metus inanis peri-
culorum terreat, cum Cæsare dicant: nunc te Fortunæ
sequamur. Peregrinatio præcipuè confert ad exerci
tationẽ. Postquàm enim in una urbe continua lectione
eos, qui te audiũt, fatigaueris, transire licebit in aliã,

ubi rursus nouos habiturus sis. Sunt prætereà res complures, tum in campis quos peragramus, tum in ciuitatibus, ad quas uenimus, quæ nos impellunt ad altiora. Quis non increpet ignauiam suam, quum tot Syluas ueſtitas frondibus, tot campos floribus herbisq; distinctos contuetur? Quis non doleat se tam diu domi latuisse? Quis non miseretur eos, qui iugi ocio, uel ut illorum uerbo utar, tranquillitate, in urbe marcescũt? Nec nobis tempus itineris omnino perit. Tum confestim arrepto stilo tot miraculis exciti, aliquam naturæ industriam nitimur exprimere, eamq; monstrare posteris. Tum penitet sic optimos annos defluxisse. Tum statuimus nos nunquam in uno loco, nisi per dies uiginti duraturos. Tum censemus extremo impetu omnia peragenda. In agris, naturæ uires: in urbe, hominum opera magis contemplamur. Ergo extẽplò euolandum, omnia lustranda, ubi Musæ uersantur: nõ semel, sed decies, uicies centies. Neq; id, quò πόλεως μεγέθη, καὶ λαμπρότητας, καὶ τὴν τῶν ἀφθονίαν spectemus, quæ ad institutũ nihil conferunt: sed ut omnia trahamus in occasionem eruditionis. Literas uenabimur, literarum gratia proficiscendum. Res quidem aliquando aduersæ in itinere accidunt, ferendi, æstus, algores, pluuiæ, uenti. Sed ut sæpenumero dixi, dura durum faciunt, mollia mollem. Magis op-

1. Vrbium magnitudines, et splendores, et rerũ uænaliũ copiam.

tauer.m

tauerim leonis robur nusquam cedens, quàm luxum muliebrem. Palmæ naturam sequi lubet, neſciam ſuccumbere. Quis perpetuò ſecundam Fortunam tolleret? tantum ubiq; uarietas iuuat. Nec ego ſemper proſperam expertus ſum. Quum puer eſſem, ex alto loco in mediũ flumen incidi, ita ut omnis penè uitæ ſpes perierit. Mox caſu aduenere, qui non ſine ſuo periculo iam fermè mortuum liberarunt. Nunc ingens malorum agmen occurrit, quæ fata ſuperarunt noſtra. Verum iſtæc cõmemoratio huc non ſpectat. Apage ergo ſtolida dea, quæ immeritò & bonos uiros opprimis, & flagitioſos blandis afflatibus in altum uehis. Tua Virtus ueſtigia ſequar, mille laboribus, per ſaxa, per ignes. In hac ſemita, nec aſcenſus arduus, nec minæ, nec diſcrimina, nec uulgi terrores properantem detinebunt. Hic dulciores ſudores cum ſpe ſummæ uictoriæ, quàm fortunæ luxus cũ perenni ſolicitudine. Hic inlachrymis ipſis eſt quædam conſolatio. Hic gratũ eſt inter imbres, procellas fulmina, tonitrua per altiſſimas rupes manibus pedibusq; niti. Quippe ardens amor nullum admittit tædium. Hic iucundũ uulnerari ſertibus, ex alto præcipitari, nullis nõ agitari incõmodis, modo indies propior ſpes uictoriæ fiat. Hæc alit laborantem. Hæc efficit, ut in medijs malis pleno gaudio mens exultet. An ego queam tot labores perpeti,

nunc ſcribendo per decem dies, nunc docendo ab aurora ad Heſperum, nunc iter faciẽdo æſtate per æſtus, fulmina, tonitrua: hyeme per frigora, niues, grandines niſi ipſa aliquando fatigato ocurreret? Lateat uulgus in ædibus, ſequantur ſomnia tenebras, cauẽant pallentes umbræ ne leuis aura faciem lædat, ne madeant imbre, ne tegulæ caſu intereant, domi etiam non deſunt pericula, curent ſe longis cõuiuijs, tum horis præſcriptis deambulent, alternis diebus mentem, ſi quam habent, in tanto contemptu temporis, inſtaurent luſu, ne lentæ animantes labore nimio conſumantur. Nos in luce uerſari, atq; ſub diuo mundum ſpectare decreuimus. Certum eſt uiſere uaria gentiũ ſtudia. Quis ſemper inter eoſdem uultus ſine tædio tranſigat uitam? Sed dicat aliquis, qui ex puerorum conuictu colligit pecuniam. Quid? etiam in primis Latinæ linguæ rudimentis ſic mutandum locum cenſes? Maxime: Grammaticæ ferè quatuor annos tribuunt, & plerunq; in uno loco. Quanto ſatius eſſet, ſi interea octies ſchola & urbe cõmutatis, toties ſummam artis, quæ breuis eſt, puer didiciſſet: relictis omnibus præceptionibus, quæ non omnino ſunt neceſſariæ. Nunc cõtra, quo diu detineant adoleſcẽtes, ea inculcãt, quæ me puderet hic recenſere, tam ſunt humilia, tam rarò occurrũt apud autores. Quum principio nihil docere deberent, quod

non

non creberrimi usus sit. Causæ huius cõsilij sunt, quòd à multis plura, uel saltem aptiore omnia ordine discent, quàm ab uno. Deinde, quòd eã ætatem cuti nos non parum excitabit nouus conspectus eorum, inter quos uersabitur. Haud ambigo complures fore, qui faciendi secus iudicent: sed his non omnino summa erit & temporis, & uictoriæ cura.

QVOS SECVM LIBROS VEHERE debeat studiosus, qui mutabit locum.

QVi aliũ petere locum decreuit, & longã ingredi uiã, libros secum conferat solũ, in quibus diligẽter res aliquas notauerit. Quod si in uolumine duæ tantũ tresue paginæ notatæ sint, eas è libro exi mat, reliquũ uẽdat. Nec sit adeò sordidus ut exigua iactura rei conatũ remoretur. Cogitet semper, si ad summa peruenerit, nõ defuturas opes. Superiore anno Basileã profecturus è nouo opere Plinij secundũ librũ à me notatũ excidebã, ut mecum ferrẽ. Amicus interueniens me mentis esse parũ sanæ opinabatur. Sic tracta ui libros cõplures, semperq; faciã quũ id postularit occasio. Tametsi mihi essent noui codices Ciceronis, Platonis, Demosthenis grandi cõparati ære, omnes tamẽ paginas erumperẽ, in quibus scitu dignum aliquid scripsissem, quãdo esset proficiscendũ. Ob duas causas id facio. Quod in illis fixa memoria sit, & qđ scripta ea

nonnihil conducere queant ad ſtilum. Qui hoc mirantur, mirentur ijdem, quur in terram agricolæ abijciãt ſemen, ut cum fœnore plura recipiant. Nobis certior multò quàm ruſticis ſpes eſt rerum maximarũ, ſi uixerimus. In hunc modum iter faciam ad uarias hominũ nationes, noua diſcendi gratia. Idem facient, qui mecũ proficiſcentur, ſi meum ſequi conſilium uelint. Librorum ingentem ubiq; reperiemus copiam. In itinere autem cogitatiõe utemur, & mentis uis noui ſem per aliquid parturiet.

STVDIOSOS DEBERE eſſe liberos.

HAVD facile emergunt, qui conducti ſtipendio, uel pueros priuatim inſtituunt uel publice in academia non omnino celebri profitentur diſciplinas ad ſpatium anni, duorumúe, uel apud typographos ſcriptores emendant. Cauſæ mihi duæ occurrũt. Quod hi non magno uideantur animo, nec amplius tendere ad altiora, qui huiuſmodi rebus poſſunt detineri. Meo iudicio per campos apertos laxis habenis quacunq; fortuna monſtraret iter tendendum erat ad ſcopum. Altera, quod ex ea tranquillitate ſocordia quædam exiſtit, quæ perſuadeat nobis deſiderari nihil, quod ad triumphi nomen faciat. Itaque ô iuuentæ illuſtre robur, dehinc contemptis & ſtipendijs, & ille-

& illecebris cunctis, quæ uel horæ intercapedinem
unius possint impedire, petamus sedem, quò nemo un=
quam aspirauit. Ingentis est ignauiæ semper alios uel=
le sequi, semper ducem quærere. Antè mori certum sit
quàm ulli cedere mortalium. Pulchrum est sexcentos le
ones in pugnam spectaculo uno committere: pulchrũ
fortè multis populis imperare: sed pulchrius propria
uirtute eò ueræ laudis penetrare, quò nemo te sequi
poterit. Victoria in manu est. Magno Alexandro (quis
non crebrò tam animosi pectoris meminerit?) quum
nunciaretur Darium regem triginta militum adduce=
re myriadas, εἰς μάχιμος ἔφη, πολλὰς προβατους
οὐ ποιμένας. Sicuti leo citius sæuit in uirum, quàm
fœminam, pueros non nisi summa fame coactus attin=
git: ita & nobis leonum more, maxima quæq; maxi=
mo arripienda sudore sunt. Hominis uita temporis pũ
ctum est, sed quid non uincit labor ac sedulitas? Fingat
se quisq; nudis pedibus in medio positum igne, cogitet/
que quanta tum agilitas in membris pigris esset, solũ
pro salute corporis: nunc nunc multò maior sit pro sa
lute animi. Hoc spectaculum semper sit in pectore.
Quum ædificia quinq; aut sex simul flagrant incen=
dio, tum cursitãt, in flammas ruunt, ut aliquid igni eri
piant: pars tecta conscendunt, funduntq; aquas, pars
opes è domo rapiunt, nec ea tempestate magna somni

1. Vnus la=
nius, inquit
non timet
multas ouis

aut uentris cura est: sic nostra tractanda studia sunt. Isthic uideas, quid humana uis efficiat, si uires experiatur: quid intra annum, imò breuissimum tempus præ
» stare posit. Fulminis modo ad ea feremur, quæ poscimus. Sermones omnes, nõ nisi tonitrui ictus erunt. Mẽs
» momento orbem totum peragrabit. Quid celerius mẽte? Manum usus corporis q; motiones globos emissos
» puluere accenso imitabuntur. Occyssime Sol in occidu-
» as mundi plagas tendit, nisi hunc sequamur, nihil effi-
» cimus: Vix esse credam cœli uolatum uehementia nostra concitatiorem. Tu igniaua Græcia non perpetuum
» dabitur decennium Troiæ primo impetu omnia ruent.
» Etiam mundo egredi facile est, si pauidum animal tenuerit, si semel tantum fecerit periculum. Non arbi-
» tremur deos esse, qui solertia mediocri summa hacte-
» nus occupauere. Quorum admiratio ita cœpit po-
» steros, ut uix dum quisquam sequi eôdem contenderit.
» Non priscorum eleuare decus, uerum ad maiorum a-
» lios impellere conamur.

PERORATIO.

NE fortè surdis auribus hæc, quæ diximus, præterierint, nonnulla repetemus unde communis omnium salus pendet. Ante omnia summum tibi scopum præfige, nisi prorsus effœminato sis animo. Nec te moueat scripsisse quosdam, nihil sibi esse magis in

uotis,

uotis, quàm ut uel umbram Ciceronis adsequantur. Ne tibi adscripseris uetusta stemmata, aut à maioribus partam laudem, pulchrius erit decus, cuius autor ipse, quàm cuius hæres fueris. Animaduerte nihil interesse inter eos, qui nunquam nati sunt, & eos, qui nulla re memorabili gesta obscuri ex hac uita migrarunt. Nihil ames, nisi laborem: luxum, & fabulas fugito. Semper quære occasionem audiendi, docendi, scribendi. Euitãda lectio solitaria, tempusque omne exercitio impendendum. Non uerear adfirmare tanto quosque esse doctiores, quanto crebrius docuerint. Quapropter σοφίαν apud Poëtam dicere reor: Vsus me genuit, mater peperit memoria. Dum audimus, uigilantissimo simus animo. Quum docemus, fugienda ostentatio, & uanitas illorum, qui horæ interuallo uix decem uerba proferunt, adeò lentè rem aggrediuntur, adeò sese ad laborem componunt, captantes autoritatem. Omnis ipsorum cogitatio est, ut habeantur in prætio, ut docti à uulgo censeantur. Illi ad summa peruenient unquam? Impetus impetus mihi placet, quàm in rebus omnibus, tum in docendo. Quod enim agricolis messis est, hoc tempus istud, si fructum spectes, eruditis: ubi obsecro quis non moram damnauerit? Nostris potius uiribus nitamur: ac horas illas, quæ infeliciter aliis pereunt assentatione, seu conciliando fauore

hominũ,

hominum, impendamus literis. Sapiens animi magnitudo ueram laudem in factis positam, non in uaga fama iudicat: principemq; se esse mauult, quàm uideri. Tametsi nonnunquam inter legendum animus lassus aut labore, aut cogitatione perpetua langueſcit, laborandum tamen, quoad spiritus ullus in corpore fuerit reliquus: à morte licebit quieſcere. Nuſquam umbra, ſemper lux, & hominum cœtus placeãt. Dij boni, quãtus intra breuiſsimum tempus euaderet ille, qui nullam diei intermitteret horam, qua non aliquid uel audiret, uel doceret, uel ſcriberet. Si fieri poteſt, docendi magis quàm audiendi occaſionem captabimus. Quippe non paucos uideas, qui aliud nihil, quàm audiunt, in hoc ſe neſcunt, nec apti ſunt, ut uel autorẽ profiteri, uel quicquam politè ſcribere queant: Si mentem exornare ſtudes qua ſola diſtamus à cæteris animantibus, perdiſcenda omnia è toto diſciplinarum orbe, quæ ſcitu digna iudicas. Illi quorum maior eſt cura corporis quàm animi, aiunt pulchrum eſſe in una arte excellere, at pulchrius multò excellere in pluribus. Nullæ ſunt fœminæ tã à Muſis alienæ, quæ non unam diſcere queant: imò picas id efficere poſſe intra annos uiginti, quos hæc hominum monſtra uni ſtudio impendunt, arbitror. Vt Fabij uerbis utar, hi non perſpiciũt, quantum natura humani ingenij ualeat, quæ ita eſt agilis ac uelox, ut ne

poſsit

possit quidem aliquid agere tantum unum. Postremũ est, ut mutes locum: alioqui, & somnolentus, & imperitus semper permanebis. Nunquam me penituit, (nec quenquam penituisse puto) quòd literarum gratia in academiam aliam transierim. Contrà semper magno, & sero dolore deprehendi, me nimium diu in urbe una desedisse. Haud abijciendus animus, licet non cõtinuò ex sententia omnia successerint. Nihil enim uidemus, nisi ex paruis principijs, ad summa rerum fastigia emergere. Habent omnia doctrinarum genera amari nonnihil, quod initio ingruentium pectus deterreat. Verum ipsum illud comes pensat utilitas. Proinde leui incõmodo offensi non protinus resiliemus. Olim principes Græciæ uellus aureum per tot maria et pericula petitum, uirtute duce, comite fortuna, urgentibus acrioribus gloriæ stimulis, uexerunt: spirantes ignes, indomitos & rebelles tauros domuere: sopitum draconem occidêre, satisq; dentibus obortam segetem illam militum, ut rueret in mutua uulnera, coëgere. Amazones dexteram mammam exurebant, quò plus alimenti ad manum uicinam perueniret. Democritus quum uideret animi aciem impediri aspectu oculorũ, ipsos sibi eruit, ut commodius rerum naturas mente cõprehenderet. Hæc nos nonnihil accendere debent. Demus itaq; operam omnes, ut aliorum exemplis excitati,

dehinc

dehinc summo labore ad maiora enitamur. Luxus, fabulæ inanes, & muliebres animi linquantur mulieribus. Τὴν ἀρετὴν ἱδρῶτι θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν. Fingamus reliquum tempus abstuliſſe ſomnum abſtuliſſe pericula, abſtuliſſe morbos. Sed tamen dolẽdum hactenus florem ætatis ſine fructu periſſe, periſſe tempora nunquam reditura. Memoria quiſq; repetat omnia malorum genera ab ipſo uitæ exordio: ſubeat recordatio quot dies, quàm frigidis rebus abſumpſerit, ut indignans dolẽsq; tot annos ſine fruge abiiſſe, tãto maiore furore graſſetur. Valeat ignauia: ualeat cũ ea iniqua fatorum ſeries, quam nemo ſapiens metuit: animus ubi ad gloriam uirtutis uia ſæpe abunde potẽs eſt, neq; Fortunæ indiget. Verè etenim nobiles exiſtimo, non qui funes aureos collo circũferunt, quiq; parietes & ueſtibula pictis maiorum magiſtratibus ornant: ſed qui ueris ac ſuis bonis hoc eſt, eruditione, moribus eloquentia ſe ſuoſq; illuſtrare conantur. Pauci nouerunt, quàm certa ipſos ſolidaq; maneat felicitas, qui ad hanc æternam ſedem penetrare ſtatuerũt. Fortunæ munera ut regna, & urbes, & decor formæ pereunt, parta uirtute ac labore fixa ſunt. Hæc poſſeſſio non ferro, non flammis, non rapinis, non tempeſtatibus ullis obnoxia eſt. Sed finem facio. Breue ſpacium uitæ noſtræ, per horas id dilabitur, occiſimè perit hora (utinam iſt æc ô

i. Virtuti ſudorem dij præpoſuerunt.

formoſæ

formosa iuuenta perspiceres, in te spes longè maxima est) cito dies, citò mensis, celeriter etiam annus, quũ tamen paruus annorum numerus sit, ad hæc dimidium æui aufert somnus, magnã partem conuiuia, lusus, morbi, præposteri conatus, quodque durissimum, incerta morte Lachesis atrox omni momẽto immines, nisi summo studio temporis fructum quæramus, sine gloria pecudum more summus morituri.

IOACHIMI FORTII RINGELbergij Anduerpiani in librum suum de Ratione studij annotationes.

AIVNT nonnulli concitatam plus æquo esse orationem. Sed hi non uident, quòd Horatius iubet, talem esse debere aut poëtam aut oratorem, cuiusmodi esse auditores cupit. Si dolore me uis, inquit, dolendum tibi prius est. Si incitare uelis alios, id nunquam efficies sedato sermone. Etenim, quemadmodum Fabius ait: non incendit,

incendit, nisi ignis: nec madescimus, nisi humore: nec res ulla dat alteri colorem, quem ipsa non habet. Citius quisquam manu cœlum attingeret, quàm animos moueret, ipse tranquillus & immotus. Pulchrum est enim mediocrem) Triplex studiosorum institutum, siue scopus est. Infimus, quum esse uolunt mediocres. Medius, quãdo pares esse student illis, qui primas hactenus partes tenuere. Summus, quum euadere conantur supra summos. Quam tot hominum milia) Adhuc perpetua manet interrogatio & admiratio, ideò post celebrabunt etiam nota interrogationis ponenda. Immensum pectore) Hoc est pulmone, quo spiritũ attrahimus, continens pro contento. Qui sub signis nostris) Complures in studij ratione demonstrauere, qui libri quo ordine legendi sint: quum multò magis necesse erat expellere ignauiam, quæ pãssim dominatur. Nanq; sine ipsa nihil efficere animus potest) Corpus enim instrumentum animi est. Quod si bene adfectum fuerit, facilius ea, quæ uolet, animus operabitur: sin malè, maiore conatu atq; sudore opus erit, quia multa tentabit repugnante natura. Ἀνδρῶδες οὐδὲν ὦ δεόμενοι?) Ad imitationem Luciani ubi in deorum dialogis Aesculpio Hercules obijcit: Σὺ δὲ ῥιζοτόμει, καὶ ἀγύρτης νοσοῦσι μὲν ἴσως ἀνθρώποις χρήσιμος ἐπιδημεῖν τῶν φαρμάκων, ἀνδρῶδες

Triplex studiosorum institutum

Nota

Corpus Animus

οὐδὲν ἀνδρώδες μένον. Ante ἀνδρώδες ponẽ da nota interrogationis, atq; etiam post ἀνδρώδες μένον. Quod sine puluere) Metaphora sumpta à pugnantibus in prælio. Alia ui rem aggrediemur) Hic ui scribendum duabus literis, nõ tribus. Quod dico ne typographi per imprudentiam pro ui ponant uia. Qui error et frequens est, & sæpenumero faciẽ mutat orationis. Eadem causa me plerunq; scribere cogit, quod alioqui non eram scripturus: præsertim, quum leuis immutatio, tum numeros, tum structurã totam inuerteret. Si nihil attigeris, nisi locos communes) Hi sunt res aut uoces, quarum frequens usus est: ut deus, mundus, homo, animus, animal, iusticia, fortitudo. Optimè hic officio fungi suo) Hic aduerbium, hoc est, in Theologiæ studio. Non satis est tam leuiter) Siquidem prius de ea aliquid dictum hoc loco: Necessariæ formæ loquendi, differendi, dicendi. Cuius tot extant monumenta) Vt opera Homeri, Ciceronis, Vergilij, Ouidij. Solem superiora trigonis ferè radijs conuertere) Quoniam hac distantia stare coguntur. Ea doce, quæ noueris) Et si parum feliciter doceri uidetur is, qui istiusmodi lectorem audit: discenti tamen plus adferri frugis opinor exercitio tali, quàm labore solitario. Primas tribuunt papaueri) Marsilius Ficinus ait studiosis edẽdum papauer, quòd semen illud somnum

Error frequens apud typographos

inducat. Mihi rem fuisse principio laboriosam) Digressio usq; ad eum locum: sed ad rem eamus. Etiamsi natura facundus es, data opera loquaris incomposite) Hoc omnino necessarium ijs, qui summi esse uolunt in scribendo, ad quod omnia nostra tum studia, tum præcepta tendũt. Inquiunt bene posse scribere eos, qui bene loquuntur. Fateor id uerum esse, si de rebus ijsdem et loquerentur, & scriberent. Sed colloquia ferè sunt de rebus familiaribus, de euentu belli aliquo, quũ scribendum sit de communibus locis, de deo, de mundo, de homine, de animo siue animalibus. Quid hic profuerit, quòd aliquando domesticas nugas scitè recitaueris? Hoc ergo tempus, quod ijs impendisti, certum est tibi maiore ex parte perijsse. Porrò quibus animus non est ut scribant, totis uiribus niti debent, ut politè loquantur. Discant hi, quemadmodum res omnes memorare eleganter possint. Illorum tamen gloria à nostra laude distat, quo momentum ab æternitate. Grassari cœpi) Id uerbum quoq; in bonam partẽ accipi potest. Velut apud Sallustium: Animus ubi ad gloriam uirtutis uia grassatur. In hac finire uitam decreui) Hic obiecere nonnulli uitam potius honestam debere esse finem. Qui non rectè uidentur ratiocinari. Nam fieri potest, ut aliquis probè uiuat, & sit eruditus. Nec credo ullam esse occupationem,

quæ magis ab illicitis adfectibus hominem abducat, quàm studia literarum. Mirum dictu, quantum uitiorum è pectore humano tollat luxus opumq; contemptio, quam necessariam hic esse diximus. Postmodo tamen) uox crebra apud Suetonium. Sic aliquando modica in dictione) Hoc est oratione, ne uocabulum quis putet significari. Ad maxima quæq; peruenires) Apostrophe ad pueros. Felix puer, cui molles articuli) Oratio iucunda, quæ est quoties describuntur syluæ uirentes, flumina currentia, res seu lusus puerorum. O utinam) Ouidius in epistolis: O utinam tunc, quum Lacedœmona classe petebat. Quum Sol aduersa nobis figeret uestigia) Sermo est de media nocte. Tunc enim Sol est in parte circuli meridiani, quæ nobis perpetuò sub terra occultatur supra caput antichthonum. Nocte uagante in medio cœlo) Nox aliud nihil, nisi terræ umbra est, quæ surgente Sole occidit, oritur occidente. Vitæ domum) Describitur horoscopus libri de ratione studij, hoc est, situs seu facies cœli, quæ erat prima media nocte in Augusto anni milleſimi quingenteſimi uigeſimononi. Duodecim cœli domus sunt. Quarum prima, significat uitam: secunda opes: tertia fratres: quarta parentes: quinta prolem: sexta morbos: septima, matrimonium seu nuptias: octaua

Nox

mortem: nona religiones & peregrinatiões: decima actiones: undecima amicos: duodecima inimicos. De his plura in institutionibus nostris Astronomicis. Sol parentum) Sol semper media nocte in principio domus quartæ est. Pars mundi postrema) Id est, duodecima domus, quæ attingit horoscopum. Nos spectabãt Phænon) In nostro Hemisphærio erant. Facies mundi est admiratione maiore digna) inter alia felicẽ sortita est locum Luna tribus de causis: quod in domo secunda sit, quòd in Cancro domicilio suo, quod cum parte Fortunæ sit. Horoscopi formam tui) Apostrophe ad Romam. Horoscopus est pars signiferi, quæ alicuius rei exordio emergit: qua parte cognita, etiã reliquæ habentur domus. Sed quoniam in figura duodecim domorum ascendens gradus præcipuus est, quemq; ante omnia solent contemplari, fit ut horoscopus hoc loco, & identidẽ apud autores alios pro toto cœlo in plana forma depicto, distinctoq; partibus duodecim accipiatur. Si locum) Hoc est, urbem, in qua librum de studij ratione perscripserim. A bruma) A circulo Capricorni, in quo bruma siue breuissimus dies est. Sextante orbis) Hoc est, duobus signis. Cum semuncia) Semuncia mundi quindecim continet gradus. Bimis propè horis) Id est, penè triginta gradibus: quia inter orientem & occidentem transitus quindecim gradu-

Quid Horoscopus.

duum cœli unam efficit horam. Ab occasu) Ab insulis fortunatis, ubi occidens terræ totius collocatur. Quò facilius istæc omnia accipi queant, domorum formam depingemus. Horoscopus habet Geminorum partẽ undetrigesimam: proxima domus, decimamsextam Cancri: tertia, primam Leonis: quarta sideris eiusdem partem duodeuigesimam: quinta, decimamsextã Virginis: nonam sexta Scorpij. Oppositæ regiones eodem graduum numero constant. Draconis caput in domicilio sexto: λαστροβάζων, in duodecimo: in secundo Fortuna. Isthæc in adposita pictura satis apparent.



Quis inter tot uitæ discrimina) Ἀποστρώφησις quæ admodum apud Vergilium: Quos ego, sed motos præstat componere fluctus. Voces duas cõmissas apte) Metaphora sumpta à tabulis ligneis, quæ propriè dicuntur committi: unde & cõmissura dicta. Saxa aut ligna per trãsuersum lateri supponito) Si qui hãc præceptionem mirentur, legant id, quod mox de plumbo admonebimus, nam idem utriq; respondemus. In uestibus interioribus aliquando consuo plumbum) Cauillantur hic præscribi de exercitio corporis, quæ ne Geta quidem faceret: sed hi quibus ad stilũ minus est ardoris, qui hanc tantam gloriam nondum concepe-runt animo. Quum ad summa tendenti nihil non tentandum sit, unde uel minimam frugem sperem. Quis nõ esse furoris dicat, quod Demosthenes fecit, circa flumina & montes calculis iniectis ori insani modo currere, clamareq; uocis augendæ gratia. Id tamen uno ore laudamus omnes. Nemo est, qui ignoret pro animorũ uehementia remissioneue aliud nos tum sentire, tũ facere. Vt uno uerbo omnes eiusmodi obiectiones diluã omnes sermones laboresq;, qui paulum excedunt communem consuetudinẽ uulgi, hoc est, fabulas inanes, desidiam, ostẽtationem maximam in minimis & semper ijsdem rebus, insani iudicantur. Quicquid infra suam industriam uident, pigritiam uocant, si maius quicquã

inuenerint

inuenerint, furorem. Eos qui magnos crateras hausto uno siccare possunt, qui sic crassum illud et torrosum corpus uino implēt, ut per cutē humor erumpat (Nā tum se satis inquiunt potasse, quum positis quinq; super mensam digitis (quod ipse aliquando uidi) totidē guttæ excidunt) laudant, hos uiros esse & homines dicunt, indignos hominis uocabulo. Reliquos qui spreta hac fœdissima uita ad altiora se conuertunt, qui animi cultu certare malunt, quàm poculis, nuncupant insanos. Age dic mihi quid aliud curāt per totos dies, quā pabulum, armentorum more, & obscœnas libidines? ad hæc duo omnes suas cogitationes, omnia studia referunt: in his duabus uoluptatibus summum bonum hoc est, summam humanæ naturæ felicitatem ponunt: opes colligunt in hunc usum. Aiunt se uelle colere deum, ac iuuare pauperes, sed nihil minus aut cogitāt, aut faciunt: ad corpus omnia referuntur. Animus noster sæpe multò maiora concipit, quàm palàm ausit profiteri, propter cōmunem stuporem plebis, quæ uel minimā diligentiam furorem appellat. Quoties me insanum uocarunt, quum per integrum mensem quotidie docerē ab ortu Solis ad occasum? quoties dixerunt fieri non posse, quin ante finem mensis inter labores exspirarē? Fatigor quidē, id non nego, etiam penè usque ad spiritus defectionem, sed fatigatio ea dulcis est.

Complures alijs occupationibus impediti ad lectiõem ueniebant non tam audiendi, quàm spectandi gratia. Si quenquam studiosum lentè & grauiter, composito & adfectato gressu uideant incedere, hunc sapientem hunc grauem uirum nominant. Quod si currentẽ aliquem conspicerent, hunc extemplò exclamarent esse furiosum, & in uincula conijcerent. Quamobrem? quia segnius ipsi laborare cõsueuerunt, quia nihil probant, nisi quod ipsi faciunt. Sed stupida multitudo non uidet illo lento aggressu nil nisi uulgare posse cõparari. Paulò maiora petenda sunt, si sapimus. Vtinã ij, qui turpissimas corporis uoluptates sequuntur, sic sæuirent in rebus honestis. Quàm admirabilis tum esses hominis natura nobilissima? quàm te dignam censeremus, cui uitæ necisq; potestas sit reliquarum animantiũ? In rebus omnibus usus nitorẽ & gratiã: quies sitiũ ac squalorem parit. Nihil peius ocio. Quid in Oceano Sole, stellisq; cœli, præsertim circa medium orbis, magis admirabile, quã uelocissimus cursus, quò quotidie terram totam ambiunt? Nos animo omnem corporis usum dicamus. Hoc seruire etiam inter imbres, procellas, fulmina, tonitrua, æstus, algores, & nocturnas tenebras, inter mille pericula, dum alij conuiuijs, lusu, somno fruentur: illũ imperare uolumus. Scio me scripsisse in hoc libro multa, quæ ociosorum hominum

fabulas

fabulas non effugient: nec me scripsisse penitet. Nam paruipendo iudicium eorum, quibus diuersum institutum est, hoc est, qui decreuerunt lente omnia aggredi quæ ad mentis decorem faciunt: ac uigilantius quærere, quæ ad corpus pertinent. Meminisse oportet per breue superesse tẽpus, fortè annos quinq; aut sex (certè non plures nos expectamus, ob calculi morbum, ad uersus quem uix ullum est remedium) perinde aut laborandũ esse, aut cadendũ sine honore, sine gloria, cũ ignaua multitudine in fumi modũ, cuius uestigia nulla relinquũtur. Multa sanè pertuli: sed quia magna nõ nisi magno cõparantur, hac mercede placet, quicquid Fortuna intuleris. Ingruat simul uniuersa malorũ multitudo modo aliquãdo liceat per tot rerum discrimina eo quò decreuimus, euadere. Pulchrum est inerti turbæ insanum uideri: imò turpissimum, illorum sequi uestigia. Qui primum se urbes expugnaturum) Allusio ad Terentij dictum: primum ædes expugnabo. Omni momento immines) Apostrophe ad Lachesin: ne tertia persona pro secunda ponatur.

IOACHIMI
FORTII RINGELBERGII
Andouerpiani Elegantiæ.

Inan.

Ioan. Fortius Iacobo Castrico. S.

ELegantias aliquot Latini sermonis Iacobe charissime tibi dedicamus, quæ filio tuo ad literas discendas promptissimo nonnihil conferent emolumenti. Vale. Anduerpiæ, pridie calendas Apriles. Anno M. D. XXVIII.

DE ORTHOGRAPHIA.

PARTES methodicæ Grammatices quatuor sunt: Orthographia, Prosodia, Etymologia, Syntaxis: quibus respondent litera, syllaba, dictio, oratio. Recta scribendi forma, quam Orthographiam nominant, modis tribus corrumpitur adiectione, detractione, immutatione. Vt quum scribimus religio per duplex ll, ordeum sine aspiratione, set per t: pro religio, hordeum, sed. Corrigitur totidem: autoritatem, ἐτυμολογίᾳ, ἀναλογίᾳ. Autoritas è Cicerone, Plinio, Liuio atq; uiris alijs Latinis petenda. Etymologia ut quum dicimus inchoare cum aspiratione scribendum, quod sit à Chao dictum, quod rerum cunctarum initium fuit. Proportione, ut quum dicimus seruus in casu genitiuo serui habere, quod uoces omnes inflectionis secundæ sic uertantur. Plerumque & plerique sine diphthongo scribuntur. Autor sine c & sine aspiratione. Deductum uidetur à Græca

uoce

uoce αὐτός, & à dicto uulgari αὐτὸς ἐφα. Penultimam superlatiui syllabam per u scribebant. Plautus: Semper cogites id optumum esse, tute ut sis optumus: si id nequiuiris, saltem ut optumis sis proximus. Antiqui dicebant pultare, fœdum, fariolum, fordeum: ubi nos pulsare, hœdum, hariolum, hordeũ. Terent. Horresco semper, ubi pultare hasce occipio fores. Idem, Sed quis ostium hoc pultauit? Ciceronis temporibus, paulumq; infra quoties s litera media uocalium longarum, uel subiecta longis esset, geminabatur: ut causæ, casus, diuisiones. Longas syllabas geminis uocalibus signabant. In Caius, Cneus, amurca, c per g proferendum.

DE ANALOGIA ET Etymologia.

QVemadmodum ait Quintilianus, sermo constat ratione, uetustate, autoritate, consuetudine. Rationem præstet præcipue Analogia nonnunquã & Etymologia. Autoritas ab Oratoribus, uel Historicis peti solet. Nam Poëtas metri necessitas excusat, nisi si quando nihil impediente in utroq; ratione pedum alterum ipsi eligunt. Qualia sunt: Imo de stirpe recisum, & silice in nuda. Analogia proportio siue similitudo dicitur. Eius hæc uis est, ut id quod dubium est, ad aliquid simile, de quo non quæritur, referat,

referat, quo incerta certis probet. Hæc in nominibus genera ac declinationes deprehendit: in uerbis tempora, modos aliáq;. Iuxta eam dicimus dogmata inflexionis esse tertiæ atq; generis neutri, & feruêre uerbum productam mediam non correptam habere: quoniam sic est in uocibus similibus climata docere. Iuxta etymologiam, id est, originem uocabuli in nomine Aristoteles penultima sine aspiratione scribenda est, quoniam ita fit in dictione τέλος, unde ipsum ducit originem.

VARIAE NOMINVM DEscriptiones sine lege positæ, quibus in prælegendis autoribus professores uti possunt.

Concio significationes treis habet. Accipitur enim quandoq; pro suggestu, siue loco ex quo uerba fiunt ad populũ. Cicero: Ascendi in concionẽ. Interdũ pro oratione ipsa. Sall. Concione habita. Nõnunq; p populo conuocato. Sall. Concione aduocata, huiusmodi orationẽ habuit. Gentiles dicũtur qui ex eadẽ familia sunt, & eiusdem nominis. Cice. Si paterfamiliâs moritur, familia, pecuniaq; eius agnatorum, gentiliumqúe esto. Gentiles etiam uocantur idolorum cultores, qui aliter, quàm Christiani de Deo sentiunt: ita nuncupati, quia in gentilium, hoc est, maiorum suorum fide perstiterunt

ſtiterunt. Gentilitia nomina ſunt quæ originem gentis uel familiæ declarant: ut Portias, Tullius. Gentilitium ſacerdotium, quod ad eius familiæ pertinet. Ingenium, eſt natura cuiq; ingenita. Salluſt. Caſtriſq; collatis, pugna tamen ingenio loci phibebatur. A gignendo deductum eſt. Literæ à lituris dicuntur. Litura eſt macula uel nota, qua delemus ea, quæ ſcripſimus. Ouid. Quaſcunq; aſpicies lachrymæ fecereituras. Hoſpites amici ſunt in diuerſis locis habitantes, qui ſe mutuo recipiũt, quum alter in alterius patria peregrinus eſt. Sub diuo uel ſub dio, idem eſt quod ſub cœlo, uel aëre, Pli. In Iu nonis ara ſub diuo ſita cinerem aiunt immobilem eſſe perflantibus undiq; procellis Id genus pro talis uel hu iuſmodi accipitur. Gel. A genethliacis iſtis, & quibuſdam alijs id genus, qui futura omnia dicturos polli centur. Idem, Quàm facete ſophiſma id genus remune ratus ſit. Terent. Id genus hominum eſt peßimũ. Lactan. Vt nulli adhuc extiterint, qui id genus uitæ ſequerentur. Dicimus & omne genus, Gell. Ariſtotelis libri ſunt, qui problemata phyſica inſcribuntur lepidiſſimi, & elegantiarum omne genus referti. Malus, eſt arbor erecta in nauigio. Malus dicitur à malis, uel nodis circundantibus, quorum uolubilitate facilius attollitur, et demittitur uelum. Nauis partes, prora, puppis, malus antenna, carina. Antenna, eſt lignum per tranſuerſum

in malo

in malo positum, cui uelim alligatur. Carina, est insima trabs, ubi nauis fundatur. Ouid. Dum mea puppis erat ualida fundata carina. Pisones dicuntur à pisis leguminibus, quæ optime serebant, ut Fabij à fabis, Lentuli à lente, Cicerones à cicere. Chilones, uel Labeones nominantur, qui sunt maioribus labris. Luscus, qui altero captus est oculo, qualis fuit Annibal. Vnde Iuuenal. Quum Getula ducem portaret belua luscum. Androgyni, uel Hermophroditi dicuntur utriusq; sexus homines. Capitale est facinus pœna capitis dignum. Syl ua quandoque accipitur pro rebus temerè congestis: ut quum Probum aiunt reliquisse non mediocrem syluam obseruationum sermonis antiqui. Punctus magnitudinis principium uocatur, quod in nullas diuidi parteis potest. Capitur pro fauore uel suffragijs quoniam suffragia non scribebant, sed puncto duntaxat notabant. Horat. Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci. Consultor duplicem habet uim. Significat enim quandoque eum, qui consilium petit. Cicero. Vigilas de nocte, ut consultoribus tuis respondeas. Horat. Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat. Interdum ipsum, qui alijs consulit. Sall. Simul ab eo petijt, ut fautor consultorq; sibi adesset. Limen est, quod ex transuerso ponitur in ianua. Non inferiorem solum partem significat, quæ pedibus calcari solet, sed

etiam

etiam superiorem. Neuius. Exime limẽ superum, quod mihi misero sæpe confregit caput, inferum quoq;, ubi ego omnes defregi digitos. Munus tria significat: donũ, onus, officium. Donum, ut munera multa donauit. Onus unde sumpta sunt immunis, & immunitas. Officium ut munera reipub. Munia, sunt obsequia lege debita. Colu. Sic & magistri singulorum officiorum sedulo munia sua exequuntur. Municipia uocabantur quæ aliunde ueniebant in ciuitatem Romanam, & ibi suo iure uiuentes, muneribus & honoribus fungebantur populi Romani. A quo munere capescendo dicta sunt municipia, & eorũ incolæ municipes. Embryo ἔμβρυον est quod in utero matris uiuit antequam lineamenta suæ speciei accipiat, quasi intus germinans. Βρύω ὑσω emano, uel germino dicitur. Lumen est defluxus quidam splendoris à corpore lucis, per aëra fusus. Pulchritudo corporis, est apta figura membrorum cum coloris quadam suauitate. Ciuitas est multitudo collecta, ad statum rerum suarum tuendum per se sufficiens, quæ consensu sit legum, uitæque conuncta. Penula uocatur uestis uilis, & densa, qua cæteras ab imbre custodimus. Epicœna genera siue promiscua sunt, in quibus sexus uterque per alterum apparet. Radius proprie fulgor siue splendor est. Accipitur pro uirga qua Geometræ lineas indicant. Vergili. De-

Munus

munia

municipia

Embryo

Lumen

Pulchritudo corporis

Ciuitas

Penula

Epicœna

Radius

scripsit

scripsit radio totum qui gentibus orbem. Quandoq; idem est quod aspectus: unde dicimus Iouis radios salutares esse, Saturni radios pernicioſos. Turba est multitudo, & etiam turbatio. Cicero. Quanta in turba uiueremus? Perpetuum dicitur, quod solidum est non concisum in fruſta, sed continuatum, non interruptum, aut temporis spacio intermissum. Cæsar: Perpetuæ fossæ quinos altæ pedes ducebantur. Verisimile est simile uero. Terentius, Mihi quidem hercle non sit ueriſimile. Idem. Non ueriſimile dicis. Matrimonium dicitur legitima perpetuaq; uiri, ac mulieris studio gignendæ sobolis coniunctio, uitæ ac fortunarum omnium indiuidu am societatem adducens. Fortuna, est accidentium rerum subitus atq; inopinatus euentus. Fortuitum dicitur, quod casu accidit. Auguſt. de ciuit. dei: Fortuita dicunt esse, quæ nullas causas habent, uel non ex aliquo ordine ueniunt. Idem signant uoces tres: rerum natura orbis, mundus. Sic dicimus in tota rerum natura nihil esse pulchrius Sole. Plin de impari numero: Quæ obseruatio etiam in alijs multis rerum naturæ partibus uales. Ordo, est sua cuiq; loca tribuens disposítio. Oriundus, idem est quod originem ducens. Lactantius: Cœlesti sumus omnes semine oriundi. Liuius. Nati Carthagine, sed oriundi à Syracusis. Iumenta & armenta dicuntur à iuuando & arando, quibus utimur in agricultura.

tura. Fatum est inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam prouidētia suis quæq; nectit ordinibus. Vel breuius: fatum est certus rerum ordo. Præceps pro profundo capitur. Pli. Spiritus dū in præceps fertur. Idem: Vasto in præceps hiatu. Ostenta nuncupantur quia ostendunt. Portenta quia portendunt. Monstra, quia monstrant. Prodigia, quia prædicunt. Tumultus quasi timor multus. Copia pro facultate accipitur. Sall. Quod ei per maximā amicitiā maxima copia fallendi erat. Prius & posterius quatuor modis dicūtur: natura, tēpore, ordine, dignitate. Natura id prius est, à quo uerti nō possit consequentia. Vt si currit, mouetur. Quippè nō contrà dicas, si mouetur, currit. Moueri itaq; quā currere prius est. Tempore autē sic: Romolus prior Camillo fuit. Ordine: ut exordium narrātione prius est. Dignitate: consul prætore.

DE ASSIS PARTIBVS AC nominibus numerorum.

As, integrum est, uel res tota. Diuiditur duodecim uncias, quæ partes minores uocari possūt. Maiores uerò quæ sequūtur. Triens quatuor uncias, uel tertiam integri partem complectitur. Quadrans tres. Quincunx quinq;. Sextans duas, id est, sextam partem. Semis sex. Septunx septē. Bes uel bessis octo. Dodrans nouem. Dextans decem. Deunx undecim.

Pari modo unciam in uicenos quaternos ſcrupulos, ſeu grammata à numero uiginti quatuor literarum diſtribuunt. Partes unciæ maiores ſunt hæ. Semuncia duodecim ſcrupulos cõtinet. Sextula quatuor, hoc eſt, ſextam unciæ partem. Duella octo. Drachma tres. Siciliquum ſex. Scrupulum in duos obolos diuidunt. Hoc loco pauca de ſeſtertijs ac talentis ſubijcienda. Decem ſeſtertia, & decem milia ſeſtertium nummorum pro eodem ponuntur. Item hæc quinq;: mille ſeſtertij, mille nummi, mille ſeſtertium, mille nummum, & mille ſeſtertium nummum, numerum eundem efficiunt, nempe uigintiquinq; coronatos. Centũ ſeſtertia, ſunt centum milia ſeſtertium. Centies ſeſtertium, centies centena ſeſtertia, uel centies centena milia ſeſtertium. Decies uerò ſeſtertium, decies centena milia ſeſtertium, quem numerum uulgus milionem uocat. Romanorum ſupputatio hæc eſt. Apud Græcos autem talenti uocabulum uſurpatur. Id multiplex erat, ſed frequentiſsimum Atticum in hiſtorijs, quod coronatos ſexcentos continebat. Vnde colligitur, mille talenta, ſexcenta millia coronatorum uel aureorum efficere: & decem milia talentum, ſexagies centena milia. Vocum quæ numeros ſignant, octo ſunt genera: Nomina numeralia cardinalia: Vnus, duo, tria, octoginta, ducenti, trecenti, nongenti. Numeralia diſtributiua, Singuli, bini, terni, ſeni, octoni, noueni, undeni, deniterni,

uiceni, triceni, quadrageni, quinquageni, octogeni, nonageni, duceni pro ducenteni, treceni, quadringeni, quingeni, sexceni, septingeni, octingenteni, nongeni. Ordinalia primus, uicesimus uel uigesimus, octogesimus, ducenteſimus, trecenteſimus, quadringenteſimus ſexcenteſimus, nongẽteſimus. Numeralia in arius, Ternarius, quaternarius, quinarius, ſenarius, ſeptenarius octonarius, nouenarius, denarius, undenarius, duodenarius, ternariuſdenarius, uicenarius, tricenarius, quadragenarius, quinquagenarius, ſexagenarius, ſeptuagenarius, octogenarius, nonagenarius, centenarius, ducentenarius uel ducenarius, trecentenarius, quadringẽtenarius, quingentenarius. ſexcentenarius, ſeptingentenarius, octingentenarius, nongentenarius, millenarius. Numeralia in anus, Primanus, ſecundanus, tertianus, quartanus, quintanus, ſextanus, ſeptemanus, octanus, nonanus, decumanus. Numeralia multiplicatiua in us. Simplus, duplus, triplus, quadruplus, quintuplus, ſextuplus, ſeptuplus, octuplus, noncuplus, decuplus, centuplus, millecuplus. Numeralia multiplicatiua in ex. Simplex, duplex, triplex, quatruplex, quintuplex ſextuplex, ſeptuplex, octuplex, noncuplex, decuplex centuplex, millecuplex multiplex. Aduerbia numeralia, Semel, nonies, undecies, duodecies, tredecies, quatuordecies, quindecies, decieſſexies, uicies, trigecies,

ordinales

uel tricies, quadragies, quinquagies, sexagies, septuagies, octogies, nonagies, ducenties, trecenties, quadringenties, quingenties, sexcenties, septingẽties, octingenties, nongentîes, millies, toties, quoties. Numerorũ uoces uarie componuntur. Plinius 2. lib. cap. 108. Octogies quinquies centena septuaginta octo millia passuũ Idem: Nonagies, octies centena & decem & octo milia passuum. Item quinquagies bis quindecim milia passuum. Iterum: tricies quater quinquaginta milia passuum. Et: quatuordecies centena & quinquaginta milia passuum. Item: Octogies quinquies septuaginta octo milia passuum.

ALTER PRO DVO, SECVNdus, primus. Et iterum pro bis uel secundo.

PRO unus & duo, unus & alter, uel unus aut alter Latine dicimus. Teren. Venit unus et item alter. Cice. Quid est tantum in uno, aut altero die? Idẽ pro Aulo Cluentio: Vnus & alter dies interceſſerat quum res parum certa uidebatur. Et: Habetur una & altera concio uehemens & grauis. Idem in Verrẽ: Vnum & alterum menſem. Horat. in ſermonibus: Ducendus comes unus & alter. Idem in epiſt. Si uersus paulò concinnior unus & alter. Liuius: Vno aut altero abrepto, Idem: Vni aut alteri militi. Idem de bello punic.

punico: Vno, aut ad summũ altero precio. Simili modo pro secundum, alterum scribimus. Cice. pro Aulo Cluentio: Vnũ, alterum, tertium annum quiescebat. Idem de natu. deo. Vnus is modus est, de quo satis dixi qui est susceptus ex præsensione rerum futurarũ: alter ex perturbationibus tempestatum: tertius ex cõmoditate rerum. Sic quoq; dicimus: alter & uigesimus, alter et trigesim , pro uigesimus primus, trigesimus primus. Cice. pro Cornificio, Literas accepi tuas, quas mihi Cornificius altero et uigesimo die, ut dicebat, reddidit. Idem pro Milone: Centesima lux est hæc ab interitu P. Clodij, & opinor altera. T. Liuius ab urbe condita: Anno trigesimo altero, quàm condita Roma erat. Eadem ratio in aduerbijs semel iterum, tertium uel tertio, pro semel, secundo, tertio. Ciceronis de diuinatione: Quod semel ille iterumq; neglexit. Liuius: Iterum ac tertio uenisse tradunt. Quandoq; nõ unum & alterum: uel primum & alterum, sed alterum & alterũ dicimus. Cicero in Tuscul. quæst. Duæ sunt ex opinione boni, quarum altera uoluptas, altera cupiditas.

DE ID TEMPORIS, ID ætatis, idem mentis.

ID temporis, pro eo tempore. Cicero de finibus bonorum & malorum: Quod is locus ab omni tur-

ba id temporis uacuus esset. Idē Attico: Venit id tem poris, ut retinendus esset. Idem pro Milone: Deinde profectus id temporis, quum iam Clodius, si quidē eo die Romam uenturus erat, redire potuisset. Titus Li uius ab urbe condita: Vt purgaret se, quod id tempo ris uenisset. Id ætatis, pro ea ætate. Plautus in Asina ria: Neq; puduit eam id ætatis sycophantias struere. Cicero Torannio: Ita uiximus, & id ætatis iam su mus, ut omnia, quæ nostra culpa accidunt, fortiter fe re debeamus. Idē pro Aulo Cluentio: Se in balneis cū id ætatis filio fuisse. Idē pro Lucio Flacco: Qui quoniā est id ætatis. T. Liuius ab urbe condita: Quis & cuias et cur id ætatis in castris fuisset? Simili modo hoc æta tis pro hac ætate dicimus. Plautus: Hoc demū est, quod percrucior, me hoc ætatis ludificari. Idem mentis, pro eandē mentē. Q. His adijcio præceptores ipsos nō idē mentis ac spūs in dicendo posse cōcipere singulis tantū præsentibus.

VOCVM DIVERSA rum differentiæ.

Locus dicitur omne illud, quo risus moderatus conci liari potest. Comitas est in loco, & dicendo, & au diendo, quæ oportet, laudabilis mediocritas. Scomma est cōtumelia leuior, quæ urbanitate tegitur, ut aliud sonet, aliud intelligas. Contitiū est cōtumelia aperta, grauior et petulantior. Iudiciū est res quæ causam, li temq;

tem̃q; determinat. Præiudicium dicitur res quæ quũ ſtatuta fuerit, adfert iudicaturis exemplũ, quod ſequã tur. Dimidiatũ eſt, quaſi in partes duas pares diuiſũ. Dimidium uocatur, quæ ex dimidiato pars altera eſt Dimidium de diſcretis: Dimidiatum de continuis nõ minant. Dimidiatam horam uel dimidiam partẽ horæ dicimus. Dimidiatum diem, digitum dimidiatum, uel digiti dimidiũ. Legi dimidiatum librum, dimidiatã fã bulam. Gellius: Si è ſextario fuſa ſit hemina, nõ dimi diatum ſextariũ fuſum dicemus. Si ſcyphus argenteus mihi cum alio cõmunis in duas partes diſſectus ſit, di midiatum ſcyphum eſſe dicemus. Argenti, quod in eo ſcypho ineſt, dimidiũ meum eſt. Teren. Dedit in ſum ptum dimidiũ minæ. Pli. Latitudo terræ dimidio ferè minor eſt quã longitudo. Idè, Arcus nõ apparent, niſi dimidia circuli forma. Q. Curtius: Quũ dimidio fer mè maior eſſet exercitus, quàm in Cilicia fuerat. Me diũ eſt, quod æquo interuallo abeſt ab extremis. Mi mus dicitur, qui mores hominũ imitatur præſertim ob ſcœnos. Ouidius: Scribere ſi fas eſt, imitantes turpia mi mos. Hiſtrio q perſonatus in ſcena comœdias agit, aut tragœdias. Actor pro oratore ponitur, & hiſtrione. Orator dicitur actor ab actione cauſarum. Quintilia nus. Quare diligẽter æſtimet uires ſuas actor oportet Hiſtrio nuncupatur actor ab actione comœdiarum.

Cicero: Gestus penè summorũ actorum est requirẽdus

Comœdus

Comœdus, qui comœdiam repræsentat, & qui præest actoribus. Quintilianus: Debet etiã docere comœdus quomodo narrandum, qua sit autoritate suadendum,

Commus

qua cõcitatione consurgat ira, quis flexus deceat miserationẽ. Comicus, qui scribit comœdiam, ut. Terentius. Littus per duplex tt, extrema terræ pars est, quã

Littus

alluit mare. Littus proprie de mari dicitur, ripa de fluminibus. Ripa dicitur extrema terræ pars circa flumẽ

Rpa

na. Fœtus uocabulum generale est, refertur ad omnia

Fœtus

animantia, etiam ad fructus arborum. Vergilius: Arborei fœtus, alibi Oua etiam fœtus dicũtur. Partus in-

Partus

terdum pro fœtu accipitur. Pl. 2 nat. hist. Martia princeps Romanarũ icta grauida, partu exanimato, ipsa citra ullum aliud incommodum uixit. Interdũ pro actu

Prolẽs

pariendi. Teren. Nec satis digna cui committas primo partu mulierẽ. Proles idem est, quod progenies. Colu. lib. 8 de caprino pecore: Parit autẽ si est generosa proles, frequenter duas, nonnunquã trigeminas. Soboles

Soboles

succesio dicitur. Plin. Quorum armenta pascit, maribus interemptis, præterquàm sobolis causa. Exẽplar

Exemplar

plerunq; animatum est: exẽplum inanimatũ. Sic probum uirum exẽplar uocamus: uirtutẽ eius exemplum

Exemplũ

Lactan. Tullius eloquentiæ unicum exẽplar. Historiæ nõ modo res gestas ordine explicat, sed cõsilia quoq;,

quibus

quibus gestæ sunt ponunt, conciones continent, acies instruunt, ac situs locorum describunt, ut apud Sallustium. Annales sunt quando singulorum annorum gestu breuiter solum notantur: ut annales Pisonis. Diarium, quum singulorum dierum res gestæ scribuntur, Græci ephemerida uocant. Socij uocantur, qui pari consilio, & autoritate rem aliquam aggrediuntur. Comites, qui consulendo operamúe præstando subsequuntur Cæsar: Quum se uictoriæ Pompeij comitem esse mallet, quàm socium Cæsaris. Sodales in rebus leuioribus dicuntur, ut in conuiuijs, quasi simul edales. Furtum generale nomen est. Peculatus, pecuniæ publicæ, aut principis furtum. Sacrilegium, sacrorum furtum. Differunt Poëtæ, Philosophi, Sophistæ. Poëtæ, res tractãt commentitias. Philosophi, certiori iudicio ueritatem et rerũ cunctarũ naturã scrutantur. Sophistæ olim dicebantur Philosophi, postea Rhetores, postremo abijt nomen in inuidiã, ut ij dicerentur sophistæ, qui fictã quandã sapiẽtiæ speciẽ iactitarẽt. Homonyma, una uoce multa significãt, ut canis. A Dialecticis æqui uoca dicuntur Synonyma, multis uocibus idẽ, ut ensis et gladius. Notus idẽ est, qd' cognitus. Notos, uentus. Notus, qui ex uxore non legitima natus est, uel adulterinus. Exules, dicũtur qui iure pulsi ab urbe sunt. Proscripti uerò, exules, quorũ bona uendebantur, & quos ubiq; licebat im

Necessitas pune occidere. Necessitas est uis aliqua, quam amplecti debemus, si salui & incolumes esse uolumus. Necessitudo, est uinculũ aliqd per amicitiam, aut familiaritatẽ partum. Necessitudo interim pro necessitate ponitur Sallustius: Quos magis dominationis spes hortabatur, quã inopia, aut alia necessitudo. Ceruix, posterior pars colli est. Iugulus, anterior, unde procedit halitus. Petere iugulum, uel ferire iugulum, interficere, uel qd est potentissimum inuadere. Iugulare occidere. Horat. Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones. Gula, colli pars est, qua cibus & potus deuoratur. Strangulare stringendo gulam necare. Plinius: Fabius senator in lactis haustu uno pilo strangulatus. Sinus est intra pectoris, & brachiorũ complexũ, Vt quum lactantur infantes, ad sinum admouentur. Gremium uerò, intra complexum femorum, Vt pueri à sedentibus matribus ad gremium accipi solent. Vergilius: Hæret, & interdum gremio fouet inscia Dido. Consilium per s scriptum, est faciendi excogitata ratio. Concilium uerò per c, idem est quod cœtus siue concio. Commeatus, est facultas quæ datur militi abeundi, quò uelit, ad præscriptũ tempus reuersuro. Accipitur etiã pro uictu omni publico, præsertim in exercitu. Cice. Iam cõmeatu, & priuato, & publico prohibemur. Penus, significat uictum omnem priuatũ domi repositũ. Vnde penarium,

Necessitas
Necessitudo
Ceruix
Iugulus
Gula
Sinus
Gremium
Cõsilium
Cõcilium
Cõmeatus
Penus

locus

locus ubi cibus reponitur. Dicimus penus penus ui, pe/ Cuniculi.
num i, penu penu, uel penus penoris. Cuniculi uocan=
tus meatus latentes in terra. Scrobes, foueæ intra terrã Scrobes.
manu factæ, ad uineas, seu arbores conserendas, uel ad
metalla fodienda. Colu. Ante annum, quàm poma dispo
nere uelis, scrobes fodito. Dicimus arbor illa plantatur Foueæ
scrobe pedali. Foueæ, scrobes, à fodiẽdo dictæ. Scyphus Scyphus
poculum est, ex quo bibitur. Cyathus, idem. Patera, po Patera
culum late patens. Sall. Humani corporis sanguinem
uino permixtum in pateris circũtulisse. Patina, lanx Patina
late patens. Plura comparatiuus est, & dici potest de Plura
duobus. Complura, dici de duobus non potest, neq; cõ= Cõplura
paratiuus est. Vt si tantum duo dixerint innumerabi=
les esse mundos, non apte dicemus, complures dixisse
innumerabiles esse mundos. Laus, uocabulum genera= Laus
le est. Hymnus, laus deorum. Encomium, laus hominũ, Hymnus
& aliarum rerum, ut encomium stultitiæ. Trophæa, Encomiũ
sunt hostium spolia, arborum truncis, aut saxis adfixa Trophæa
Triũphus, honor dicitur, qui uictoribus ducibus publi triũphus
ce dabatur. Luca. Quumq; superba feret Babylon spo
liando trophæis Ausonijs, umbraq; erraret Crassus in=
ulta, Bella geri placuit nullos habitura triumphos. Fa Facultas
cultas, potestas est. Plin. Si mihi facultas daretur, utrũ
mallem eligendi. Indulgentia, mollis permissio, opponi Indulgẽtia
tur seueritati. Quint. Mollis illa educatio, q̃ indulgen=

tiam

tiam uocamus, neruos omnes, & mentis, & corporis frangit. Licentia, impunita quædã facultas agendi quic quid uelis. Luca. Quis furor ò ciues, quæ tanta licentia ferri, Gentibus inuisis Latium præbere cruorem. Venia, condonatio, & remissio culpæ. Cicer. Peccaui, uenia peto. Officina dicitur ubi opera fiunt. Taberna, ubi uenduntur. Opus, est id quod efficitur ab artifice, ut domus est opus fabri. Operatio, ipsa operandi actio Opera uerò, labor & industria operantis. Insomnia, sunt uisa in somno, quibus per diem homo uigil occupatur. Insomniæ, est uigilia, uel carentia somni, Sallust. Neq; in somnijs neq; labore fatigari. Collega in officio. Consors in præmio. Aerarium, quò publica pecunia referebatur. Fiscus, quò principis. Domini olim dicebantur tyranni. Vnde dominatio tyrannis. Sallust. Hunc post dominationem Syllæ libido maxima inuaserit reipublicæ capiundæ. Heroës, qui geniti erant altero solum parente mortali. Nos heroas appellamus uiros nobiles, & generosos. Heroidas mulieres nobiles, & generosas. Papist. lib. 3. Qua ueteres latias graias qúe heroidas. Herus, dicitur Dominus, sed in minoribus. Teren. Herus me relictis rebus omnibus. τελώνης, uel publicanus est, qui uectigalia exigenda certo redimit precio. Cicer. Flos equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentum reipublicæ, publicorum

norum ordine cõtinetur. Fœnerator, qui quicquam dat ad fœnus. Fœnus uel fœnero, do ad fœnus. Cicer. Vt enim benefici, liberales q; simus, non ut exigamus gratiam, neque enim beneficium fœneramur. Fœnus, quod sorti accrescit. Sors est, quod datur à fœneratore. Vsura idem quod fœnus. Vectigal, quod ex uectura penditur. Capitur pro fructu priuato. Cice. Ex meo tenui uectigali capio ego ducenta. Victigalis le, quod uectigal, uel tributum principi aut ciuitati pendit. Cicer. Et syluas, locos q; publicos Romani uectigales habuere. Stipendiarij, qui stipem pendunt, siue soluunt. Siquidem ueteres non numerare pecuniam, sed ponderare solent. Tributum est, quod principi, aut ciuitati penditur. Tributarius, qui tributum soluit. Iustinus. Sed ciuitates Medorum, quæ tributariæ fuerant. Reditus, prouentus annuus. Ouid. At reditus iam quisque suos amat, & sibi quid sit Vtile sollicitis supputat articulis. Toga Romanorum erat: pallium Græcorum. Grates in uersu: in prosa Gratiæ. Alter de duobus: alius de multis dicitur. Triclinium à tribus mensis, uel thoris nuncupatum, est conclaue discubitorium. Quintilianus triclinium uocat, quod Cicero conclaue, ubi loquuntur de conuiuio in quo Simonides inuenit artem memoriæ. Quintil. Vix eo egresso triclinium illud supra conuiuas corruit. Cicer. Hoc interim spacio conclaue illud

dicitur

dicitur concidisse. Conclaue generalius est. Aula, atrium est. Capitur p regia. Seneca. Quum quidam illum interrogaret, quo modo rarissimã rem in aula consequutus esset senectutem? iniurias, inquit, accipiẽdo, & gratias sæpe agẽdo. Regia, domus principis est. Liuius Eo tempore in regia prodigiũ uisu euentuq; mirabile fuit. Atrium, dicitur prima domus pars, ubi deambulare solent. Frutex, qui ad iustam magnitudinẽ arboris nondum assurgit. Differt ab herba, quia nõ moriatur quotannis sicut herba. Factio, est consensus malorum inter se. Amicitia, bonorum. Acini, sunt fructus minutiores arborum, uel fruticum, qui densius nascuntur, ut grana uuæ. Baccæ, fructus minutiores arborum, uel fruticum, qui rarius nascuntur, ut fructus oliuæ. Poma dicuntur, quæ molli sunt cortice ut cerasa, pruna. Malum, species pomi Græce μῆλον, ut malum punicũ Nubes appellantur, quæ duro sunt cortice: ut amygdala, iuglandes. Instituta sunt mores boni longa consuetudine inducti. Quintilianus: Tamen optimis institutis formari mentem infantium iudicat. Institutiones dicuntur libri, uel præcepta, quibus elementa traduntur aliquarum artium: ut institutiones oratoriæ Fabij, & institutiones legum, quas non recte instituta nominant. Consuetudo ius est, quod sine lege propter uetustatem æque ac si legitimum sit usitatum est. Mos uerò

institutum

institutum uitæ, aut uiuendi ratio. Differt à consuetudine, quod mores mutare liceat, consuetudinem non liceat. Sæpenumero tamen sine discrimine nomen unum pro altero ponunt. Lex ius est, quod aut populi, aut imperatoris iussu sancitum est. Quintilianus aliquid interesse inter uim & uiolentiam censet: Vbi dicit libro secundo. At illi hanc uim appellant, quæ est potius uiolentia.

DE PRONOMINE.

SVus, uel sui refertur ad suppositum tertiæ personæ ut quisq; fauet suis. Terent. Tum ipsa timet, ne deseras se. Cicero: Hic non recusat, quin id facinus suum iudices. Vel ad obliquum qui uim habet suppositi tertiæ personæ. Horat. Aut famam sequere, aut sibi conuenientia finge, id est, ea quæ sibi conueniunt. Terent. Scio hanc meritam esse, ut memor esses sui. Si autem duo sint suppositæ tertiæ personæ, refertur ad prius, uel principalius. Cicero rogat fratrem tuum, ut ueniat ad se. Nostrum & uestrum referuntur ad mis, tis Vt nemo nostrum. Nostri, uestri ad mei tui. Vt habe curam nostri Tute, id est, ut ipse. Terent. Quamobrē id tute non facis? Egomet, idem est, quod ego ipse. Idem Proximus sum egomet mihi.

Suus & sui

VERBORVM DESCRIptiones aliquot

Supersedere

Supersedere

Caligare

Facere operæpretium

Concedere

Designare

Agere animam

Queri

Miserari

SVpersedere cum ablatiuo significat intermittere. Cicer. Supersedeas hoc labore itineris. Idem ad Herennium, Exemplorum multitudine supersedẽdum est. Caligo, est repentina luce offendor. Quintil. Deinde cum proferenda sunt studia, caligat in sole, & omnia noua offendit. Facere operæprecium dicimus, pro commoditatis nonnihil adferre. Vt, me operæprecium facturum existimaui, si omnia hæc breuiter tradidero. Liuius in præfatione. Facturus ne operæprecium sim, si res populi Romani perscripsero, nec satis scio, nec si sciam dicere ausim. Concedere cum oblatiuo interposita præpositione de, significat permittere. Terent. Si de tuo iure concessisses paululum, id est, tuum ius permisisses. Designare, est rem nouam facere, sæpius in malam partem accipitur. Terent. Modo quid designauit? fores effregit. Agere animam, est mori. Seneca. Apparebit quum animam ages. Quæror sine diphthongo significat lamentor: ut queruntur semper aliquid. Cicer. Multa de mea sententia quæstus est Cæsari. Idem sunt miseret me tui, miserior tui, & miseror te. Postremum casui accusatiuo iungitur: ut, nec est miseratus amantem. Claudianus. Nam prima Chaos Clementia soluit Congeriem miserata rudem. Varijs dictionibus iungitur uerbum facio. Dicimus enim facere finem. Terent. Iam finem faciam, Facere fidem, Cicer. Fidem fa-

ceret oratio mea. Facere conuitium est contumelijs ali quem lacessere. Quod inepte dicunt dicere iniuriam. Plau. Sic & præsenti tibi facit conuitium. Facere naufragium. Cicer. Multi naufragia fecerunt. Facere iter Facere copiam. Plau. Feci enim ei, quod orauit mei copiam. Facere lucrum. Plau. Vnde tu prægrande lucrũ facias. Facere potestatem. Varro de re rust. Secundum cibum large ut bibant, faciunt potestatem. Facere insidias. Cicer. Vt huic faceret insidias. Ore rotundo loqui est paucis multa exprimere. Horat. Graijs dedit ore rotundo musa loqui. Consultare est de dubijs et incertis, quo pacto peragenda sint, per rationem inquirere Descisscere militare uocabulum, deficere ab imperatore. Tueor uerbum duplicẽ habet uim. Significat enim ut plurimũ defendo. Vnde deducuntur participiũ tuitus, tutus nomẽ, tuitio uerbale. Quãdoq; uideo. A quo intueor, & contueor, pro inspicio & conspicio usurpamus. Cice. de sole. Ipse enim hic radiatus me intueri uidetur. Idem: Quum totam terram contueri licebit Tuor uerò tertiæ inflexionis significat uideo. Vnde intuor intutum, cõtuor contutum, obtuor obtutum, pro inspicio & conspicio. Existere. proprie oriri uel emergere significat. Cicero in Partitionibus: Existit illa disceptatio, minueritné maiestatem, qui uoluntate populi aliquid per uim egerit. Idem paulum infra: Tum

disceptatio ex scripti contentione existit. Plin. Quin & repentinos ignes existere. Idem: Maximus terræ extitit motus Tyberij principatu. Idem: Extra has causas non negauerim existere imbres uentosq;. Plin. Iunior. Postremo adhuc nemo extitit, cuius uirtutes nullo uitiorum confinio læderentur. Fraudi esse, significat adscribi, nocere, uitio dari, unde pœna aliqua, p=ueniat, antiqui enim fraudem, pœnam uocabant. Cicero pro L. Murena. Id erit eius uitrico fraudi ac crimini. Idē, Pro Sexto Roscio Amerino. Id erit ei maxime fraudi. Idem: Quibus certe pietas fraudi esse nō debet. Idem, Eis fraudi ne sit, quod cum M. Antonio fuerint. Idem pro Cluentio. Quæ res nemini unquam fraudi fuit. Liuius: Alij metu, ne nō ueniſſe fraudi esset. Idem: Latum ad populum est, ne Seruilio fraudi esset, quod patre uiuo ædilis plebis fuisset. Idē: Vt sine fraude Punicum emitteretur præsidium. Idem: Iudicibus ne fraudi ea res sit, curare. Duco pro puto accipitur, ut apud Græcos ἡγοῦμαι Cic. Ne fas esse ducebam uersari me in uestro ueteri curriculo. Idem: Tu umq; hostem esse duxit suum. Indignari est cum tædio aspernari, et ægre ferre. Vlciscor est pœnas sumo. Terent. Satis mihi id habeā supplicij, dum illos ulciscar modo. Idem: Ego te pro istis factis ulciscar, ut ne impune in nos illuseris.

Differentia

DIFFERENTIAE VERborum aliquot.

GRatias agere, est uerbo ostendere nos memores esse beneficij accepti. Gratiam habere, est animum ac mentem gratam habere, & inuicē gratificandi uoluntatem. Referre uerò gratiam, est facto beneficium acceptum compensare. Simulamus falsa. Terēt Quur simulas igitur. Dissimulamus uera. Idem: Ibi tum exanimatus Pamphilus bene dissimulatum amorem, et cœlatum indicat. Vel simulare, est fingere aliquid esse, quod non est. Dissimulare, fingere aliquid non esse, quod est. Suadere est hortari aliquem, ut faciat, quod ante facere noluerit. Dissuadere est suadere ne faciat. Persuadere, dicendo aliquem in suam sententiam inducere. Reliquum feci, id est, reliqui. Missīe feci, dimisi. Peruenimus ad altiora: deuenimus ad humiliora. Mutuo tibi, uel fœneror tibi, id est, mutuum tibi do. Mutuor uero, uel fœneror abs te, hoc est, mutuum recipio. Flagrare est ardere: fragrare, bene olere: à frangendo, quod fracta uehementius oleant. Triplex uerbum Cedo. Primum cū diphthongo, quod habet cæcidi cæsum. Inde præcido, incido, concido. Secundum sine diphthongo, quod habet cessi, cessum. Hoc triplicem habet significationem. Est enim cedere sæpenumero locum dare, ut cede repugnanti.

Interdum discedere, uelut cedere bonis, id est, discedere à bonis. Quãdoq; in ius uenire. Terent. Cedũt mihi ea bona. Ouidius in principio Metamorph. de discecto Chao. Cesserunt nitidis habitandæ piscibus undæ. Tertium cedo imperatiuus est, in multitudinis numero habens cedite, id significat idem, quod dic & dicite. Terent. Cedo cuium puerum apposuisti? Differunt, Lino, Linio, & Lenio. Nam posteriora duo quartæ conIugationis sunt. Lino & linio habent primam correptam: Lenio productam. Lino habet lini, liui, & leui. Linire est leniter aliquid inducere, & quasi lineã protrahere. Qui mentitur fallit. Qui mendacium dicit fallitur. Accubare dicuntur cœnaturi. Recubare, desides uel ocioſi. Verg. Recubans sub tegmine fagi. Decubare ægroti. Lachrymo, est lachrymas emitto. Fleo lachrymis dolorẽ ostendo. Gemo pectore, quum præanguſtia in sonum prorumpit. Refertur quoq; ad inanimata. Verg. Gemuit sub pondere cymba. Ploro est uoce triſti dolorem ostendo. Imploro cum dolore auxilium peto. Plango, est præ dolore pectus, caputúe, aut membrum aliud percutio. Eiulo, uoce elata fleo. Vociferor, non modo dolorem, sed indignationem uoce effrenata demonstro. Lamentor, idem quod ploro, uoce triſti dolorem ostendo. Postulamus iure, poscimus imperioſe, petimus quum precamur. Cieo es, & cio is,

Linere
Linire
Lenire

Accubare
Recubare
Decubare

Lachrymor.
Fleo
Gemere
Plorare
Plangere
Eiulare
Vociferare
Lamentor.

Postulare
Petere

ambo

ambo ciuicitum habent. Sed à cieo citum breue: à cio productum. Ouid. in Metamorph. Vigilantibus excita curis. Idem in Trist. Accitus toties, in genus omne ioci Cieo, est moueo: Cio, uoco. Iuro, est sancte aliquid promitto, ita seruatum iri, ac si ius esset. Iuratus participium significationem tam actiuam quàm passiuam habet. Cicer. Ex eo, quod ait se non potuisse adesse, ita ut iuratus fuerat. Iniuratus, qui non iurauit. Cice. in Verrem Malo ei iurato suam, quàm iniurato aliorum tabellas committere. Deiero, est ualde, sancte, uel libere iuro. Gell. Nam quũ amicus eum rogaret, ut pro re, causáq; eius deieraret, his ad eum uerbis usus est. Deiurium, est sanctum iusiurandum, Gell. Octo ad hostes redire uoluerunt, quod deiurio uincti forent. Peiero, est animo fallẽdi iuro, aut non seruo, quod iureiurando promisimus. Plin. Alij in ipso Capitolio fallunt ac fulminantem peierant Iouem. Periurus nuncupatur qui iusiurandum uiolat. Verg. Talibus insidijs, periurio; arte Sinonis. Iusiurandum est affirmatio religiosa. Quint. Iusiurandũ litigatores, aut offerunt suũ, aut non recipiunt oblatum, aut ab aduersario exigunt, aut recusant quum ab ipsis exigatur. Coniuro est in perniciem alterius conspiro. Liuius. Trecenti coniurauimus principes iuuentutis Romæ. Conceptis uerbis iuramus, quum alto iusiurandum dictante, aliquid

certa forma uerborum promittimus. Aedere est emittere uel generare. Horat. Mecœnas attauis ædite regibus. Parere, fœtum emittere ad fœminas pertinet. Excludere, incubando pullum emittere. Plin. Quædam gallinæ omnia gemina oua pariunt, & geminos interdum excludunt. Sustuli filium ex uxore dicimus, pro habui filium. Quintil. Cupidus ego librorum uxorem duxi, filium sustuli, atq; educaui. Quod sustuli à tollo descendit. Quandoq; tollere significat educare. Terent. Quicquid peperisset, decreuere tollere. Tulit filium, id est, sustulit. Suetonius. Vxorem Domitiani, ex qua filium tulerat, repudiauit. Primas ferre, primas deferre, primas tenere, ueteres dicebãt: in quibus omnibus sub intelligimus partes M. T. Cicero: Et si utriq; primas: priores tamen deferunt Lelio. Idem in Oratore. Quis unquam dubitauit, quin in rep. nostra primas eloquentia tenuerit: secundus, iuris sciẽtia. Primas deferre, hoc est, primas partes alicui cõcedere. Primas ferre, primas secum portare. Horat. Omne tulit punctũ, qui miscuit utile dulci. Dicimus etiam posteriores ferre. Terent. Si id fit dando, atq; obsequendo, nõ posteriores feram. Et priores partes habere. Idem Sine illũ priores partes per hosce aliquot dies apud me habere. Mereo, uel mereor sine dipthongo in præterito habens merui, uel meritus sum tria significat.

Aedere
Parere
Excludere
Tollere filium

Primas ferre

Mereo

Quandoq;

Quandoq; dignus sum. Ouid. Quàm meruit pœnam solus, digessit in omnes. Interdum cõfero, ut bene de te mereor, male de te mereor. Nonnunquã stipendij gratia milito. Lucanus: Aere merent paruo. Huius composita uerba quatuor sunt. Demereor est beneficio aliquem concilio, beneuolum reddo, uel sibi astringo. Quintil. Simul ut pleniore obsequio amantissimos mei demererer. Emereor, perfecte mereor. Vnde emeriti milites dicuntur, qui præsenio amplius merere, uel militare non possunt. Lactan. lib. 4. Etenim quũ constet homo ex carne, ac spiritu, & oporteat spiritum emereri, ut fiat æternus. Commereo est committo. Terent. Quid feci, aut commerui pater. Iterum. Si senserit te timidum pater, arbitrabitur cõmeruisse culpam Promereo est beneficium præsto. Teren. Quum is nihil promereat. Est & aliud mœreo diphongũ habens & in præterito mœstus sum, id significat doleo uel dolore afficior. Cice. Quum grauiter filij mortem mœreret. Inde nomen mœror. Habere fidem, est credere. Dare fidem, promittere: do fidem futurũ, hoc est, promitto. Facere fidem, persuadere. Accidunt mala, contingunt bona. Quintil. Hinc accidunt & oris plurima uitia. Oratores dicunt ius dicere, & reddere ius: Poëtæ uerò dare ius. Vergilius: Iura dabat, leges q; uiris, operum q; laborem Partibus æquabat.

Militesemeriti.

Sacrificare est sacrificium facere. Litare, impetrare uota. Suetonius in Cæsare: Calendis Martijs quum sacrificasset, litare non potuit. Plautus: Si hercle istuc unquam factum est tum Iuppiter faciat ut semper sacrificem, neque unquam litem. Amplificare Rhetorum uox, est aliquid manus uel grauius ostendere, quàm est. Dilatare uerò pluribus uerbis aliquid explicare.

IO. FORTII RINGEL. ANDOVERPIANI libellus de usu uocum, quæ non flectuntur.

De Aduerbijs.

ADVERBIA omnibus iungũtur casibus. Demonstrãdi enim uoces nominatiuum postulãt. Verg. Deus ecce deus. Iterũ: En priamus. Quando quos accusatiuum. Plau. Ecce me. Verg. En quatuor aras. Quadruplicia sunt aduerbia, quæ genitiuum exquirunt, temporis, loci, quantitatis ac gradus superlatiui. Temporis quidem: ut interea temporis. Loci: Terentius, Quocunque hinc asportantur terrarum. Et nusquam gentium &c. Quantitatis, ut parum pecuniæ, satis uestium.

Superlatiui

Superlatiui gradus: ut omnium ornatissime orauit Cicero. At uerò pridie, & postridie ratione nominis inclusi genitiuum habent: ut pridie illius diei Calendarum. Poscunt etiam accusatiuum ratione præpositionum ante & post, subaudiuntur, ut pridie Nonas, postridie Calendas. Obuiam datiuum habet, ut obuiam tibi. Terentius. Curre pueris obuiam. Propius & proxime accusatiuo iunguntur sicut prope. M. Cicero Castra propius urbem mouentur. Sallust. Proxime Hispaniam Mauri sunt. Quandoqúe datiuo. Verg. Quum propius stabulis armenta tenerent. Huc referenda en, ecce, pridie postridie. Vocandi aduerbium uocatiuum habet. Verg. Heus iuuenes monstrate uiam. Idem: O socij neq; ignari sumus ante malorum. Aduerbia gradus comparatiui ablatiuum, ut cunctis eruditius orauit Cicero, eo melius scripsit nemo. Item aduerbiorum alia omnia uerborum tempora admittunt, ut prudenter. Alia certa, ut heri, hodie, perendie. Alia omnes modos, ut diligenter curas, diligenter cura, utinam diligenter curares, quum diligenter cures, diligenter curare uelis. Alia certos, ut ne. Deniq; aduerbia alia primitiua sunt, ut non, ita, ceu, sæpe. Deriuatiua uel ab alijs aduerbijs deducuntur, ut propius à propè: uel à nominibus, ut docte à docto. Præpositio in compositione efficit tria, auget, mutat, minuit, ut in his: perdoctus

De Præpositione.

indoctus, subtristis. Quoties præpositio per se absque casu ponitur fit aduerbium. Et nomẽ quandoq; pro aduerbio ponitur. Ouid. Dulce Venus risit.

De Interiectione.

Interiectio uox est, quæ animi lætitiam, dolorem, admirationem, metum, aut similes adfectus exprimit. Aut: Interiectio dictio est, uel sonus, animi adfectum significans. Verbis additur, quemadmodum aduerbia. Complectitur enim proprium adfectum seu significationem uerbi, etiam si uerbum non ponatur: ut papæ, eheu, ubi includuntur admiror, doleo. Nomina quandoq; & uerba pro interiectione ponuntur. Verg. Nauibus, infandum, amissis unius ob iram prodimur. Hic infandum pro interiectio posuit. Cicero in epistolis: Sed amabo te cura.

VOCVM, QVAE NON FLEctuntur, literarum ordine descriptio.

ABhinc idem quod ab hoc tempore, uel ante hoc tempus. Quàm dudum obijt pater? abhinc tres menses. Horum pater abhinc duos & uiginti annos mortuus est. Terent. Mulier quædam abhinc triennium commigrauit huc uiciniæ.

Abunde

Ad

Abunde significat copiose, uel satis. Sall. Abunde magna præsidia nobis in uestra amicitia fore. Ad aliquando pro circa accipitur. Cicero. Ad undecimum Calendas Iunias legatus tuus mihi præsto fuit. Interdum comparationem notat. Teren. Sed nihil ad nostram hanc.

Quandoq;

Quandoq; significat iuxta. Quint. Curtius: Erat ad ri
pam fluminis ingens arbor. Adeò quando præponi= Adeò
tur cõiunctio atq; significat potius, uel etiam. Cic. Hoc
consilio atq; adeò hac amentia impulsi. Idem, Insector
posco, atq; adeò flagito. Ah modo dolentis, siue cõmi=
serãtis est. Verg. Ah tibi ne teneras glacies secet aspe= Ah
ra plantas. Idem: Quem fugis ah demens? Modo ad=
mirantis. Plautus: Ah quid agis? Alibi. Plinius, Varie
terra quatitur, alibi prostratis mœnibus, alibi hiatu Alibi
profundo haustis, alibi egestis molibus. An, Quintil.
Ad quam scribendo plus, an legendo conferatur, sole= An
re quæri scio, Sall. Quæ postea fecerit, incertũ habeo
pudeat magis an pigeat disserere. Antehac, Terent.
Quæ antehac facta sũt omitto, modo quid designauit?
At particula sæpenumero cum admiratione pariter,
ac interrogatione laudat uel uituperat. Teren. In Eu At
nucho. Fucum factum mulieri, at quem deum? Cicero
pro domo sua. At quæ dea est? Idem pro A. Cluentio
Vna mater oppugnat, at quæ mater? quam cœcã cru
delitate & scelere ferri uidetis. Idem pro Milone. Ita
que anteuertit, at quo die? Idem pro Publio Sylla.
At quos uiros? Idem pro Lucio Flacco. At quos te=
stes? Quandoq; saltem significat: Cato de re Rust.
Si non eodem die, at postridie. Cicero: Nostram suffra
gationẽ si minus potentem, at probatam tamen, & iu=

stam

ſtam. Idem pro Luc. Flacco. Si non propinquitatis, at ætatis ſuæ, ſi non hominis, at humanitatis rationem haberet. Interdum pro ſed accipitur. Cicer. pro Milone. Quid porrò quærendum eſt? Factum ne ſit? At conſtat. Aliquando execrantis eſt particula. Terent. At tibi dij dignum factis exitium dent. Quandoq; optantis.

Cedo Plau. At tibi dij omnes bene faciant. Cedo aduerbium pro dic, aliquando pro dicite poni ſolet. Cicer. de ſenectute: Cedo qui ueſtram rempublicam tantam amiſiſtis

Certe & tam cito? Certe quando ſequitur ſcio, mutat e in o,

Ceu ut certo ſcio. Terent. dixit: Atq; certo comperi. Ceu. Pli. Stellæ antennis nauigantium, alijsq; nauium partibus, ceu uocali quodam ſono inſiſtunt.

Circiter Circiter. Pli. Vnde circiter ducentis milibus ſiſtat. Idem, Olympiade circiter quadrageſima ſecunda. Sall. Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis inſtructa.

Circũcirca Circumcirca. Seruius Sulpitius Ciceroni: Ex Aſia rediens cœpi regiones circumcirca proſpicere.

Contra Contra Verg. Carthago Italiam contra. Quintil. Nam contra plures reperias, & faciles in excogitando, & ad diſcendum promptos. Idem lib. primo: In quibus patrium pro poſſeſſiuo dicitur, aut contra. Salluſtius. Eorum fortia facta memorando, clariores ſeſe putant, qd' contra eſt.

Coram Corã. Terentius: Ah uereor corã in os te laudare amplius. Idem: Non imperabat coram quid facto opus

opus esset. Cum. Terent. Dignus es cum tua religione odio. De pro propter. Cicer. His de causis ego huic causæ patronus extiti. Pli. Hyeme & æstate rara fulmina contrarijs de causis. Idem. Varijs de causis. Idem. Contrarijs de causis. Teren. Ecquid nos amas de fidicina istac? Cicero pro M. Marcello: Nam lætari omnes, nõ ut de unius solum, sed ut de communi omniũ salute sentio. Demum aliquando significat tandem. Terent. Nũc demum uenis? Idem: Nunc demum intelligo. Interdum prorsus, quando præcedit is, ea, id, uel ita. Cicero in Sallust. Ea demum magna uoluptas est, parem uerbis uitam agere. Idem: Quasi iniuriam facere, id demum sit imperio uti. Terent. Id demum iuuat, si quem æquum est bene facere, is facit. Quintil. Id demum bonum est, quo nemo male potest uti. Idem: Ita demum mihi satisfacies, si apud patrem fuisti. Idem: Ne ita demum uitiũ credat esse puer, si pro alia parte ponatur alia. Idem: Ita demum studere liberos suos, si quàm frequentissime declamauerint, credunt. Verg. Sic demum socios consumpta nocte reuiso. Denuo idem est quod iterum, quasi de nouo. Terent. Metuo ne denuo hinc aliquò extrudar. Diu nihil aliud significat, quàm per longum tempus, ut diu nauigaui, Non diu receßi aut dudum dicendum. Aduerbio dum sæpenumero iungitur Dum moror seu expecto. Plautus, Ne expectetis, dum redeam Te-

Cum

De

Demum.

Denuo

Dum

am. Terent. Expectabo dum ueniant. Cice. Scribis te in Italia moraturum, dum literæ meæ ueniant. Idem Cn. Pompeio: Non expectaui, dũ mihi à te literæ rederentur. Idem in Philippicis: Num expectas, dum te ſtimulis fodiam? T. Liuius: Ne expectent, dum à Roma legati ueniant. Idem: Moratus dum imperatores conſuleret. Idem: Expectantes, dum ab hoſtibus clamor inciperet. Idem de bello Punico: Paucos morati dies, dum ſocij uenirent. Idem: Nolite expectare, dum fugiant. Idem: Expectate, dum uobis obuiæ ueniant. Idem de bello Macedonico: Paucos moratus dies, dũ ſe copiæ aſſequerentur. Duntaxat à ſolum, tantum eo modo diſtat, quod tria hæc poſteriora conſequi poteſt particula ſed etiam, duntaxat uero non. Cic. Vt tradamus ea duntaxat quæ nos uſus docuit. Quint. In his dũtaxat qualia hæc ſunt. Minus apte ergo ſic loquimur: Non Rhetorice duntaxat, ſed etiam omne doctrinarũ genus cognoſcendum. Eatenus poſt ſe ut, quoad et quatenus admittit, ſignificatq; tamdiu, uel uſq; ad id. Cic. de optimo genere oratorum. Verba proſequens eatenus, ut nõ abhorreãt à more noſtro. Idẽ ad Quint. Fratrem: Quorum ſi quis fortè eſſet ſordidior, ferret eatenus, quoad per ſe negligeret eas leges, qbus eſt aſtrictus. Caius de inſtitutoria actione: Eatenus dabitur in eum actio, quatenus ex ea re locupletior factus eſt.

Duntaxat.

Eatenus.

Quin=

Quint. Dandum aliquid comœdo quoq;, eatenus qua pronunciandi ſcientiam deſiderat. Ecce nominatiuum habet. Quare apud Terentium in Eunucho legẽdum eſt: Ecce autem alter, neſcio quid de amore loquitur, non alterum. Raro accuſatiuum, ut ſemel apud Plautũ Opus né erit tibi aduocato triſti, ir acundo? ecce me. Ecce

Eccum & ellum non per ecce eum & ecce illum, auto re Valla, interpretamur: ſed per ecce hic, & ecce illic. Vt eccum aut ellum Parmenonem, ecce hic uel illic Parmeno, ſeu Parmenonem. En nominatiuum pariter & accuſatiuum deſiderat tum indicando, tũ exprobrando. Indicando, Verg. En Priamus. Exprobrando: En agros, & quam bello Troiane petiſti Heſperiam metire iacens. Seneca in Agamemnone: En Paridis hoſtem. Oratores ſæpius, exprobrando, & ſæpius per nominatiuum. Quintil. En improbitas. Cicer. En crimen, en cauſa, cur regem fugitiuus, dominum ſeruus accuſet. Sine cauſu. Vergil. En ipſe capellas protenus æger ago. Eò pro ideo. Cic. in Partitionibus: Nec eò dicuntur ſine arte, quòd ita ſunt, ſed quod ea non parit oratoris ars. Teren. Quæſo inquam Strato, eò ne es ferox, quia habes imperium in belluas? Saluſt. Quia uos cognoui fortes, eò animus auſus eſt pulcherrimum facinus incipere. Eouſq;. Quintil. Neque inficiabor aliquem ex ijs, qui

Eccum, & ellum.

En.

Eò.

Eouſq;.

Grammaticen

Grammaticen profiteantur, eouſq; ſcientiæ progredi
Et poſſe, ut ad hæc quoq; tradenda ſufficiat. Et, trifariam accipitur. Quandoq; enim exponi poteſt per axioma copulatiuum. Vt, Philippus & Alexander mille habent talenta, hoc eſt, Philippus mille habet, & totidem Alexander. Aliquando per ſimul exponi poteſt. Vt hæc, Philoſtratus & Aſpaſia nouem talenta habent, ſi intelligamus opes utriuſq; collectas eam ſummam efficere. Interdum exponitur per hoc eſt, quando præcedit interpretationem. Tum enim non res diuerſas connectit, ſed orationes, quæ eundem plane ſenſum habent, et quæ inuicem ſeſe declarant, Vt apud Terentium, Hãc tibi committo, & tuæ mando fidei. Valla ait hanc coniunctionem aliquando pro quia accipi, ut apud Ouid. in Faſtis, Nil aliud Veſtam, quàm puram intellige flã-
Fruſtra mà corpora nulla uides. Fruſtra. Sall. Quippe cuius neque conſilium, neq; incœptum ullum fruſtra erat. Idem Poſtquam id fruſtra fuit, Iugurtham placandi gratia
Heus accedit. Heus. Terent. Heus heus Syre, rogat te Cteſipho ut redeas. Idem, Heus heus dico tibi Chærea. Idẽ, Heus heus Aeſchinus ego ſum, aperite aliquis actutũ oſtium. Hinc gẽmatum. Quintus Curt. Itaq; hinc morientium gemitus, hinc ad ſuos recurrentium miſerabi-
Hodie lis facies. Hodie eleganter capitur pro hoc tempore. Vt uideas hodie multos qui pluris faciũt uel ſordidiſſimũ

mum quæſtum, quàm ſummam eruditionem. Quintil. Sunt clari quoq; hodie autores. Iam quandoq; pro tũc Iam accipitur Quintil. Quod ſi ſatis prudenter ea uide= rint, iam prope cõſummata fuerit præcipientis opera. Idem Chryſippus quamuis nutricibus triennĩ dede= rit, tamẽ ab illis quo q; iam formandam quàm optimis inſtitutis mentem infantium iudicat. Ouidius in epiſt. Phyllidos: At ſi noſtra tuo ſpumeſcant æquora remo, Iam mihi, iam dicar conſuluiſſe meis. Verg. Iamq; iu gis ſummæ ſurgebat Lucifer Idæ, Ducebatq; diem. Idem: Iamq; ferè mediã cœli nox humida metã Conti gerat. Idem: Depreſſo incipiat iam tunc mihi taurus aratro Ingemere. Aliquando pro nunc. Idem, Iamq; hos curſu, iam præterit illos. Teren. Ego iam proſpi= ciam mihi. Interdum pro præterea. Verg. Iam maris immenſi prolem, & genus omne natãtũ. Iam uarias pe lagi uolucres. Iam iam ſignificat mox uel repente, ut Iamiam iamiam aderit, ſimilis iamiam morituro. Ibi pro tunc. Ibi Teren. Sed ſi tu negaris ducere, ibi culpam in te trãs ferret omnem. Imò aduerbium eligendi eſt, ſignificatq; Imò quin potius. Varro, Non humanitas, imò ſæuitia eſt lædere innocentem. Pli. Nihil addiſci noua inquiſitiõe, imò ne ueterum quidem inuenta perdiſci. Indidem ad= Indidem uerbium compoſitum ab inde et idem, ſignificat ex eõ dem loco, uel ex eadem re ſeu cauſa. Vt indidem exi=

ſtit auaritia. Gellius, Oritur Sol non indidem ſemper.

Inſtar. Inſtar proprie ad magnitudinem ſignificat, licet non= nunquam ſimilitudini attribuatur. Vergilius, Duc̃to= res Danaum tot iam labentibus annis, Inſtar montis equũ diuina Palladis arte Aedificant. Marſilius in cõ uiuium Platonis, Agatho amorẽ hominum inſtar for= moſum pingit. Inſtar quandoq; non ad ſimilitudinem, ſed ſimilitudinem ſignificat. Ouid. in epiſt. Vnũ in me ſcelus eſt, quod te ſcelerate recepi, Sed ſcelus hoc meri

Interea ti pondus, & inſtar habet. Interea idem quod intra illud tempus. Teren, Tu hic nos dum eximus interea opperibere. Idem, Ego uirum interea opperibor. Idẽ Cenſen̄ me poſſe perpeti ne redeam interea? Idem,

Interim Interea mulier quædam abhinc triennium. Idem, Inte rea dum hæ ſileſcũt turbæ, edormiſcam hoc uilli. Idem ſignificat interim. Terent. Tu cum illa te intus oblecta interim. Idẽ, Interim dum ante oſtium ſto, notus mihi

Inuniuerſũ quidam obuiam uenit. In uniuerſum eſt, quod uulgus dicit in genere. Quint. In uniuerſum autẽ, ſi ſit neceſſe duram potius, atq; aſperam cõpoſitionem malim eſſe quàm effœminatam, et eneruem. Idem, Verum ante= quàm de ſingulis loquar, pauca in uniuerſum de uarie

Itaq; tate opinionũ dicenda ſunt. Itaq; quũ in media ſyllaba tonum habet, ſignificat et ita uolo, itaq; poſtulo ut fiat Chreme. Cice. pro Deiotaro: At eodẽ te, quũ cœna= uiſſes,

uisses, redituru dixeras, itaq; feciſti. Quãdo aũt in antepenultima tonus eſt, ergo uel igitur. Vt, itaq; tu uel tu itaq; da operã, uti cõualeſcas. Quin. Nõ longe itaq; Latina ſubſequi debent, et cito pariter ire. Iuxta quã doq; ſignificat ad. Pli. Duo ſunt montes iuxta flumen Indum. Interdũ æque. Vt uir eſt doctus iuxta ac bonus Pli. Iuxta diebus noctibusq; tacitus labitur mũdus. Idẽ In Italiæ partibus quibuſdã iuxta hyeme & æſtate fulgurat. Salluſt. Hyemen atq; æſtatem iuxta pati. Idem, Nunc uerò quo loco res noſtræ ſint, iuxta mecum omnes intelligitis. Mirum ni apud Poëtas ſignificat certe uel nimirum. Teren. in Eunucho: Mirum ni ego me turpiter hodie hic dabo, cum meo decrepito hoc Eunucho. Idem: Mirum ni hanc dicit, huic quæ data eſt dono. Modo pro ſi. Vergilius. Primus ego in patriam mecum, modo uita ſuperſit, Aonio rediens deducam uertice muſas. Næ adfirmandi aduerbium eſt, idem ſignificans quod certe. Terent. Næ ille haud ſcit hoc paulum lucri, quantum ei damni adportet. Idem: Næ ille haud ſcit, quàm mihi nunc ſurdo narret fabulã. Idem: Næ iſte haud mecum ſentit. Idẽ: Næ illiuſmodi iam nobis magna ciuium penuria eſt. Idem Mihi ſi unquam filius erit, næ ille facillime utetur patre. Idem: Næ ego homo ſum infelix. Idem: Næ ego fortunatus homo ſum. Idem: Faciunt næ in-

Iuxta

Mirum ni.

Modo

Næ

telligẽdo, ut nihil intelligãt. Plau. Næ tibi herde haud longe eſt os ab infortunio. Sall. Næ iſta uobis manſuetudo atq; miſericordia, ſi illi arma ceperint, in miſeriam conuertetur. Nedum idem quod non modo, non ſolum non tantum, ſed aliam in contextu ſeriem habet. Nedum Nã in oratione adfirmatiua id quod maius eſt, præponitur. Vt talentum tibi darem, nedum aureum. Vel duobus uerbis: ſanguinem pro te funderem, nedum pecuniam darem hoc eſt, commutatis partibus orationis non modo pecuniam tibi darem, uerum etiam ſanguinem pro te funderem. In oratione negatiua præponitur id, quod minus eſt. Aureum tibi nõ darem, nedum talentum. Vel duobus uerbis: Pecuniam non darem, nedum ſanguinem pro te funderem: id eſt, non ſolum pro te ſanguinem non funderem, ſed ne pecuniam quidem darem. Ni ſubiunctiuo iungitur. Teren. Ni metuã patrem. Niſi quoties in principio ſententiæ ponitur, uerbum principale indicatiui modi poſtulat. Plautus: Ni Niſi annuus penus mihi datur, non ſubſiſtam. In medio Niſi orationis uerbum minus principale habet, nunc ſubiunctiui, nunc indicatiui modi. Vt uapulabis, niſi ſtudes, uel niſi ſtudeas. Non, nunquam adiungitur imperatiuo, niſi in compoſitione, ut noli: alijs modis ſæpiſſime. Optatiuo: Vergilius: Non illa quiſquam me nocte per altum Ire, neque à terra moneat conuellere funem

ſinem. Subiunctiuo: Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraq; centum, Ferrea uox omnes ſcelerum comprendere formas, Omnia pœnarũ percurrere nomina poſſim. Alia ſatis nota ſunt, non ſcribis, ſcio te non ſcribere, ſeu non ſcripſiſſe. Pro hoc aduerbio aliquãdo ponuntur nihil et nullus. Terentius: Nihil circuitiõe uſus es. Idem: Nihil me fallis. Idem: Memini, tametſi nullus moneas. Num aliâs indicatiuum, aliâs ſubiunctiuum habet. Num ego te ſpoliaui? Viſe num redierit Num Terentius: Num immemor es diſcipuli? Idem: Num ſolus ille dona dat? Quintilianus: Num tamen ille totum in uno diem conſumpturus eſt? O, aliquando no O tat admirationem. Vergilius: O fortunatos nimium bona ſi ſua norint Agricolas. Quandoq; indignationem: ut, O ſceleſtum hominẽ. Nonnũquam deſideriũ: ut: O mihi tam longe maneat pars ultima uitæ. Interdum exclamantis eſt, O fortunati quorum iam mœnia ſurgunt. Ob ſignificat aliquando ante, uel contra. Ob Plautus in Militẽ: Nunc demum experior ob oculos calignem prius mihi obtigiſſe. Idem in Truculento: Irata eſt, quia ſcortum ob oculos adduxerit. Cicero de finibus bonorum & malorum: Cuius incolã Sophocles ob oculos uerſabatur. Titus Liuius ab urbe cõdita: Fœda mors ob oculos erat. Obuiam datiuum Obuiam poſtulat. Terentius: Hic ſit mihi obuiam. Idem Curre

pueris obuiam. Idem: Notus mihi quidam obuiã uenit.

Obuiam Idẽ. Nihil est quod malim, quàm illam totam familiam dari mihi obuiam. Sallustius: Sæpe obuiam eundo periculis. Idem: Obuiam ire factionis potentiæ. Penes sig-

Penes nificat apud. Sed usurpatur frequẽtius in his quæ spectant ad dominium, laudem uel uituperium, cõmodum aut incõmodum. Varro, Seruorũ cura penes dominos sit. Liuius, Vt penes eosdem pericula belli, penes quos præmia essent. Per, primo refertur ad locum & tem-

Per pus, ut per forũ. Plinius: Per septem dies sidus crinitũ apparuit. Idem, Aestate arcus per meridiem nõ cernũtur. Iterum, Per hyemem cadere niues non grandines Secundo, iurandi est particula, ut, per Iouem. Tertio obtestantis. Vergilius, Per connubia nostra, per incertos Hymeneos. Quarto abnegantis in compositione, ut periurus, perfidus, qui iusiurandum fidemq; non seruat. Quinto, significat usq; ad finem. Inde perlegere, perferre. Sexto, ualde, ut perpulchre, perbelle. Septimo, nimis, aut uehementer, quo modo in partem peiorem accipitur, pertinax, id est, nimis tenax. Aliquando pro præter usurpatur, Sallustius, Neque eos pudet, aut pœnitet, sed incedunt per ora uestra magnifice. Per, syllabica adiectio significat per tempus. Vt paulisper, aliquantisper, parumper, tantisper, pro paulum, aliquantum, parum, tantum temporis.

Perinde

Perinde significat tria: ita, simul, multum. Ita, sequente ac uel acsi: ut, Fac perinde acsi res tua esset: faueo rei tuæ perinde ac meæ. Simul, Plinius Iunior: Funus Rufi clarissimi & perinde felicissimi. Multum, Sueto. quare aduentus eius non perinde gratus fuit. Porrò significat cæterum uel autem, & nouo ac maioris cuiusdam sermonis initio conuenit. Cic. Quid sit porrò animus. Idē pro Milone, quid porrò quærendum est, factū ne sit? At constat. Quintil. Porrò qui confessum defendit, non absolutionem sceleris petit, sed licentiam. Plinius Iunior: Igitur cogendus fuisti, cogi porrò non poteras nisi periculo patriæ. Interdū pro certe accipitur, Cic. Nihil porrò tam inhumanū, tam immane, tam ferum quàm commitere, ut beneficio non dicam indignus, sed uictus esse uideare. Quandoque est dictio expletiua. Terentius in prologo Andriæ: Dehinc ut quiescant porrò moneo. Præ aliquando comparationem quandam inducit, ut præ nobis beatus uideris, id est, plus nobis. Terent. Ego illum contempsi præ me. Aliquando significat propter. Terent. Misera præ amore exclusit hinc foras, Cicero, Nec loqui præ mœrore potuit Idem pro Milone, Neq; enim eum præ lachrymis loposſum. Hæc præpositio tam cōposita, quàm separata semper diphthongon habet. Pridie significat præcedenti die tam in futuro tempore, quàm præterito.

Perinde

Porrō

Præ

Pridie

Pridie quàm redeas in patriã ſacrificium fãcito. Pro
Pro aliquando rationem uel proportionem quandam indi
cat rei, cui præponitur. Salluſtius: Cohortes pro nume
ro militum complet. Idem: His q; permiſſum eſt, uti
pro tempore atq; periculo exercitum compararẽt, id
eſt, pro ratione temporis & periculi. Idem: Tametſi
longe aliter animo agitabat, tamen pro tempore beni=
gne reſpondit. Quintus Curtius: Conſedit deinde in
regia ſella multo excelſiore, quàm pro habitu corpo=
ris, hoc eſt, quàm pro ratione uel proportione corpo
Prout ris. Idem penè ſignificat prout. Quintil. lib. 1 Eadem
litera alium atq; alium intellectum, prout correpta
uel producta eſt, facit. Plin. Varietates colorum in nu
bibus cerni, prout admixtus ignis ſuperet aut uinca=
tur. Quintus Curtius: Omnia planctu tumultuq; pro
ut cuiq; fortuna erat, caſtra repleuerant. Quàm ali=
Quàm quando ſignificat quantum, Cice. Quàm moroſi ſunt
qui amant, ex hoc potes intelligere. Quint. Si tantope
re efflagitantur, quàm tu adfirmas, permittamus uela
uentis. Interdum pro ualde accipitur, ſed tum gaudet
ſuperlatiuo. Quintil. Nato filio pater ſpem de illo pri
mum quàm optimam capiat. Teren. Obſecro te, quàm
primum hoc me libera metu. Idem: Fac quàm primũ
hæc audiat frater. Idem: Reſpondeat mihi, ut quid
agam, quàm primum ſciam. Cicero in epiſtolis:

Cura

Cura igitur ut quàm primum uenias. Idem Cœlio: Gratissimum mihi feceris, si ad me in Ciliciam quàm primum veneris. Idem: Ipse operam dabo, ut te quàm primum uideam. Idem Seruio Sulpitio: Te uidere quàm primum cupio. Quandoque pro post quàm usurpatur Quintus Curtius, Tyrus septimo mense, quàm oppugnari cœpta erat, capta est. Sæpenumero subauditur. Cicer. Tecum plus anno uixit. Teren. Plus millies iam audiui. Idem, Plus quingentos colaphos infregit mihi. Quando interdum pro siquidem uel quoniam ponitur & sic est coniunctio causalis. Verg. Hic tibi fabor enim, quando hæc te cura remordet. Idem, His se, quando ultima cernunt, Extrema iam in morte parant defendere telis. Terent. Meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuus. Idem: Duc me ad eam, quando huc veni, ut uideam. Idem in Adelphis, Postremò quando conscia sum à me culpam hanc esse procul. Quintil. Quando igitur orator est uir bonus, mores ante omnia erunt excolendi. Pro eodem accipitur quandoquidem. Terentius, Deos quæso ut sit superstes, quã quidem doquidem ipse est ingenio bono. Quasi idem est quod tanquam, aut uelut. Plin. Quasi uerò mensuram ullius rei possit agere, qui sui nesciat. Terent. In commune ut consulas, quasi illa tua sit, Pamphiliq; ego sim pater. Idem. Iam nunc times, quasi nunquam adfueris. Idem,

Quando

Quandoquidem

Quasi

Isthæc cõmemoratio, quasi exprobratio est immemoris beneficij. Quint. Quum uox quasi in recessu oris audi

Quin tur. Quin significat aliquãdo cur nõ. Vt quin ad me uenis? Cicero pro Rabirio: Quin cõpescitis istam uocẽ indicẽ stultitiæ, testem prauitatis? Verg. Quin tu aliquid saltem potius quorũ indiget usus, Viminibus molliq; paras dextere iunco? Terent. Quid stas lapis, quin accipis? Nonnunquam age. Terentius: Quin tu uno uerbo dic, quid est, quod me uelis. Idem: Quin dic quid est, id est, age dic. Plautus: Quin tu eloquere quid faciemus, hoc est, age eloquere. Interdum et uel atq; etiã Quint. Quin Cicero quoq; idem testari uidetur, quum dicit, causas Cæsar egi multas. Verg. Quin aspera Iuno, quæ mare nunc terrasq; metu cœlumq; fatigat, Consiliain melius referet. Quandoq;, quod. Terentius: Non dubium est, quin uxorẽ nolit filius. Iterum: Haud dubiũ est, si nolit quin eum posim cogere. Sæpe quòd non uel qui non. Nullus est quin te amet. Cicero: Neq; quisquam est, quin facietate iam defessus sit. Terentius: Quàm ioco rem uoluisti à me, tandem quin perficeris? hoc est, quàm non. Idem: Nunquam ad te uenio, quin discedam sapientior. Idem: Nunquam unum intermit-

Quoad tit diem, quin semper ueniat. Quoad, pro quamdiu indicatiuis & subiunctiuis iungitur. Terentius: Quid senem quoad expectatis uestrum? Cicero: Vt

quoad

quoad possem & liceret, ab eius latere nunquam discederem. Pro donec subiunctiuis. Plancus Ciceroni: Omniáq; integra seruem dabo operam, quoad exercitus huc mittatis.

Quod aliquando in principio oratio ponitur nihil significans. Quintilianus: Quòd si satis prudenter ea uiderint, iam propè consummata fuerit præcipientis opera. Verg. Quòd si tantus amor menti, si tanta cupido est, Accipe quæ peragenda prius. Quoniam idem quod quia, quippe, etenim. Cicero Appio: Idq; me, quoniam tu ita uis, puto non inuita Minerua esse facturum. Sæpe causam præponit toti oratio-ni. Vt quoniam una esse quoties libet non licet, cura frequentius ad me scribas. Cicero: Quoniam utriusque consilij causam Patres Conscripti probatam uobis esse confido, priusquam de repub. dicere incipio, pauca loquar de hesterna M. Antonij iniuria. Hoc loco non licet ponere quippe, nisi inuersa oratione: Prius quàm de rep. dicere incipio P.C. paucaloquar de hesterna M. Antonij iniuria. Quippe probatã uobis esse confido causam utriusq; consilij. Idẽ in Partitionibus: Quoniã unde inueniantur quæ ad fidem pertinent, habeo, quemadmodum in dicendo singula tractentur, expecto. Cicero nũquam quoties posuit nisi adiuncto toties, posteriores illo sæpenumero quoties pro quando usurparunt. Quod Quoniam Quoties

Quum usur parunt. Quum pro quando aliâs indicatiuum habet, aliâs subiunctiuum. Vt quum dico, quum dicebam, quum dixi, quum dicerem, Cicero, Nonnihil me consolatur, quum recordor, quanta me complecteris beneuolentia. Quemadmodum sanus pro ualidus accipitur, ita sanè, pro ualde, quidē, aut certe. Gellius, Poterit sanê ita dici. Scilicet idem est, quod certe. Ouidius, Scilicet interdum miscentur tristia lætis. Salluſt. Quod si tecum patria atq; parentes possent loqui, scilicet hæc tibi dicerent. Idem, Sed ubi formido mentibus decessit, scilicet ea, quæ secundæ res amant, lasciua atq; superbia incessere. Idem, Sin ea contemnit, scilicet æstimabitis, qualis illa pax aut deditio sit. Terent. Scilicet faciendum est, quod uis. Secundum significat aliquando iuxta. Seruius Sulpitius Ciceroni, Marcellum duo uulnera accepisse, unum in stomacho, alterum in capite secundum aurem. Quandoq; post, Cicero. Proxime & secundum deos homines hominibus maxime utiles esse possunt. Interdum pro. Fabius, Ordinem dicendi secūdum uires ingenij dabant, hoc est, pro uiribus ingenij. Si coniunctio causalis est. Vt si sol oritur, dies est. Ponitur interdum pro siquidem, uel quia. Verg. Vestro si munere tellus Chaoniam pingui glandem mutauit arista. Simul geminatum idem est quod tum. Quintil. in præfatione, Plusquam imponebatur

oneris

oneris sponte susceρi, simul ut pleniori obsequio deme rerer amãtissimos mei, simul ne uulgarem uiam ingressus alienis demum uestigijs insisterem. T. Liuius: Audita clades simul pauorem, simul luctum ingentem fecit

Sin

Sin significat sed si, Sallust. Ego regnum uobis trado firmum, si boni eritis sin mali, imbecillum. Terent. Si illũ relinquo, eius uitæ timeo: sin opitulor, huius minas

Siquidem

Vix unquam ponitur, nisi præcedente si. Siquidem una uox idem est, quod quoniam. Quintil. Nec minus error eorum nocet moribus: siquidem Leonides Alexandri pædagogus quibusdam eum uitijs imbuit, quæ robustum quoq; & maximum regem sunt prosequuta. Apud Terentium: Si quidem me amaret, tum istuc posset Gnato, item, Occidisi quid uera prædicas, & Actum est, si quidem hæc uera prædicat, duabus dictionibus scribenda sunt. Super sæpenumero po

Super

nitur pro de. Verg. Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa. Cicer. Attico Hac super re scribã ad te. Idem: Hac super re scripsi ad te. Tacitus, Multus ea super re uariusq; rumor. Tandem significat postremum. Verg. Iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras. Teren. Ah uix tandem sensi stolidus. Per interrogationem habet urgens quiddam & accelerans. Cicero, Quousq; tandem abutêre Catilina patientia nostra? Liuius, Quousq; tandem ignorabimus uires nostr

Tanquàm stras? Tanquã idem est, quod quasi aut uelut. Cice. Cælio: De Dolobella uideas, tanquàm si res tua agatur. Quint. Apud minores aliquandiu detinent, tanq̃ instituendis artibus magis sit apta mediocritas præceptoris. Idem: Siue cõtemnentes tanq̃ parua quæ prius discimus studia. Idẽ: Ne quis igitur tanq̃ parua fastidiat Grãmatices elemẽta. Cic. Seruio Sulp. Multo ante tanq̃

Tantisper ex aliqua specula prospexi tempestatem futurã. Tantisper aduerbiũ significat tamdiu, postulatq; post se dũ, donec, quãdiu, uel quoad. Ter. Tantisper cauet, dũ id rescitũ iri credit. Idẽ: Ego te meũ esse dici tantisper uolo, dum quod te dignũ est facis. Plau. Meretrix tãtisper blanditur, dũ illud, quod rapiat, uidet. Temerè est sine

Temere cura uel ratione. Vt cauendum, ne quid temere dicas.

Valde Vel Valde per syncopen pro ualide dicitur. Vel significat aut, etiã, saltem. Fabius: Eximia uirtus tua efficit, ut te uel maxime diligã. Plau. Si nõ tangendi, uel nobis uidẽ

Vltra di procul stantibus copia detur. Vltra excessum notat. Val. Max. Socrates nihil ultrà petendum à dijs arbitrabatur, quàm ut bona tribuerent, quia ij demum scirent, quid unicuiq; esset utile. Quintil. Nihil peius est ijs, qui paulum aliquid ultra primas literas progressi falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt. Idem: Ne amaritudinem semel perceptam etiam ultra rudes

Vsq; annos reformidet. Vsque accommodatur locis & tempus.

poribus. Locis, ut usque ad Numantiã, usq; ad flumen usque in flumen. Terent. Ex Aethiopia est usq; hæc, Plautus in Rudente: Longe usq; à campis ultimis. Idẽ in Persa: Quas tu attulisti mihi ab hero meo usque è Persia. Cice. Pro A. Cluentio: Comperi mulierẽ quandam usq; à mari supero Romam proficisci cum magno comitatu. Temporibus, ut usq; ad quintam horam, usq; sub obscurum noctis. Verg. Sub ipsum Arcturũ tenuisse rit erit suspendere sulco, ubi usq; subauditur. Quintil. Cuius disciplinæ usus in nostram usq; ætatem descendit. Et cum ablatiuo, à prandio usq;, à pueritia usq; honestissime uixit. Terent. in Adelph: Vsque à pueris curaui ambos sedulo. Idem in Heau. Mihi magna cum eo iã inde usq; à pueritia semper fuit familiaritas. Cice. Quod augures omnes, usq; à Romulo decreuerunt. Quint. lib. 1. Quum antiquitus usq; à Chirone usq; ad nostra tempora durauerit. Vt, significationes octo habet. Aliquando significat quò. Ouid. Vt corpus redimas, ferrũ patieris & ignes. Interdũ quomodo. Vt uales? Verg. Vt uidi, ut perij, ut me malus abstulit error. Nonnunquam quippe uel quia sequente relatiuo. Quint. Nec ignoro quos transeo, nec utiq; damno, ut qui dixerim esse in omnibus utilitatis aliquid, id est, quia dixi. Quandoq; sicut. Fabius: Quod ut longe Vt.

optimum

optimum ita difficillimum. Quinto quamuis. Plau. Vt istuc periculum ingens sit, me tamen non interficit. Sexto quod. Non est opus ut fugias. Septimo postquam. Cicero, Equidem ut ueni ad urbem, non destiti omnia, & sentire, & dicere, & facere, quæ ad cõcordiam pertinerent. Octauo ne non. Vereor ut possim hoc est, ne non possim. Cicer. pro M. Marcello: Vereor ut hoc quod dicam, perinde intelligi possit auditu, atq; ipsa cogitans sentio. Terent. in Andria, Dies hic, ut mihi sit satis uereor ad agendum. Vt ne idem significat, quod ne particula sola. Terentius in Eunuch. Vlciscar, ut ne impune in nos illuseris. Idem in Andria, Vt ne pater per me stetisse credat. Cicer. Curioni, Sed tamen ita uelim, ut ne quid properes. Idem pro Mil. Operadatur, ut iudicia ne fiant. Ibidem, Si hic illi, ut ne sit impune. Idem in Verrem, Impetrant, ut ne iurent. Idem ad Brutum: Omni studio à te contendo, ut Cicer. meũ ne dimittas. Idem pro Cluent. Me obsecrare cœpit, ut ne sese lege defenderem. Idem pro P. Quintio, Ita possideto, ut Quintio ius ne auferatur. Idem pro domo sua. Vt M. Tullius in ciuitate ne sit. Idem pro Sexto Roscio Amerino, Vt ne planè illudamur ab accusatoribus. Idem pro Gn. Rabirio, Vt ne plura de pudicitia dicerem. Varro de re rust. Vt ne plus quarta pars exímatur mellis. Vitruuius, Vt ne plus pateant palmum, idem,

Vt ne

Idem: Vt ab aquæ ui ne dissoluantur. T. Liuius de bello Macedonico: Id ut ne fiat, uno modo cauendum arbitror.

DIFFERENTIAE, ET ALIquot aliæ descriptiones uocum indeclinabilium.

EAndem ferè in oratione uim & elegantiam habent particulæ tres geminatæ modo, aliâs, nunc. Vt modo negat, modo ait. Nunc neminẽ admittit, nunc omnibus occurrit. Plin. de luna. Modo curuata in cornua, modo æqua portione diuisa, modo sinuata in orbem. Maculosa eademq; subito prænitens immensa orbe pleno, ac repente nulla. Aliâs admota cœlo, aliâs contingua montibus, nunc in aquilonem elata, nunc in austros deiecta. Plin. Iunior: Nunc cythara, nunc lyra personatur. Quintil. Actionem Cicero aliâs quasi sermonem: aliâs eloquentiam quandam corporis dicit. Modo, aliâs nunc.

Dum & donec quandoq; iunguntur subiunctiuo. Vt dabo operam literis donec moriar, id est, usq; ad mortem. Quintil. Donec literas qui instituuntur facie norint, non ordine. Quandoq; indicatiuo: ut dabo operã literis donec uiuo, hoc est, quandiu uiuo. Quoad significat quandiu, donec, uel quousque. Vt dabo operam literis quoad uiuam, uel quoad moriar. Circa locum & tempus notat. Vt circa forum, circa horam tertiã. Donec Circa

Circiter tempus & numerum, Plau. Redito huc circiter meridiē. Quin. Curtius. Multi eo bello capti, circiter duo milia desiderati. Intra, tēpus: ut, ueniam intra horam. Infra, locū: ut, infra tectum. Etiam ad dignitatē refertur: ut, infra dignitatē tuā est, hoc est, minus quàm dignitatem tuam deceat. Tempus uixdum præteritum significatur per modo: paulo lōgius, per dudū et iamdudum: adhuc longius, per nuper, pridem, & iampridem: longissimū, per quondam, olim & iamolim. Iāmdudum, iampridem, iamolim dicuntur de rebus durantibus, & uerbum exigunt præsentis temporis. Vt, iamdudum finem exigit epistola. Iampridem abfum è Gallia. Iamdudum, iampridē, iamolim te amant omnes Ter. Quid interim iamdudū gnatus cessat cum Syro? Idem, Iamdudū amat te. Idem, Te iamdudū quæro Mitio. Idem, Iamdudum animus est in patinis. Verg. Iampridē nobis cœli te regia Cæsar Inuidet. Liuius: Præualentis populi uires iampridē se ipsæ cōficiunt. Fabius: Olim iā imperator inter fulgentes uirtutes tuas liuor locū quærit. Idem iam omisso ait: Illam facilitatem olim desideramus, pro iamolim. Iamdudum, iampridē, iamolim dicimus, quasi iam à dudum, iamà pridem, iā ab olim. Contrà dudum, pridē, et olim dicūtur de rebus nō durantibus, et uerbū habent præteriti temporis. Vt, dudū te quæsiui, si nunc nō amplius quæro.

Dudū, pridem, olim.

Pridem

Pridem fuit in ædibus meis. Olim fuimus Troës. Olim
etiam futurum significat. Cic. Olim mundus igne inte=
riturus est. Modo, nunc, mox, tria diuersa tẽpora ha= Modo, nũc
bent: ut, modo scripsit, nunc scribit, mox scribet epi= mox.
stolam. Terentius: Modo è Dauo audiui. Idem, Modo
quid designauit? Idem, Mox ego huc reuertar. Con=
tinuo, protinus, statim, præcedente negatione, aut addi
tã particula interrogatiua uim negandi habente, signi
ficant non ideo. Quintil. Continuo ne si ille stulte cogi
tauit, nobis quoq; stulte dicendum est? Cominus cer=
tare dicuntur, quum res manibus, & gladijs inter ho Cominus
stes agitur. Eminus, quum iaculis inter se decertant. Eminus
Cominus est è propinquo loco, eminus è longinquo.
Particulis iam uerò, age uerò, quid quod, quum pro=
gressu incandescit oratio utimur. Iam uerò quid refe
ram? Age uerò ad bellum in Africa gestum ueniamus
Quid quod suos etiã incessit? Ne dicas non uerò, tum
autem: sed contra non autem, tum uerò. Vicißim si= Vicißim
gnificat alternatim: ut uicißim succumbũt oneri. Inter
dum eduerso, Cic. Sed ego admiratiõe quadã uirtutis
eius: ille uicißim opinione fortasse nonnulla, quàm de
omnibus meis habebat, me dilexit. Mutuo significat in
uicem. Cice. Mutuo se amabant, quandoq; eduerso. Mutuo
Cice. Fac me mutuo diligas. Inuicem, idem est quod
mutuo. Quintil. Qui se ardentißimo amore inuicem Inuicem
dilexerunt.

dilexerunt. Idem: Quido atq; u permutatæ inuicem? ut Hecoba, Culchides. Nonnunquam ediuerso. Quintil. Qui si nihil inuicē præstant, indigni fuerunt defensione. Valer. Max. Ab eo inuicem nō diligeretur. His tribus uocibus iam, iamiam & mox, explicatur Græcorum paulopost futurum: significant enim paulo post uel statim. Vt iam aderit: similis iamiā morituro: mox audies. Differunt ultro, citro, huc & illuc: quod ultro & citro dicantur in dictis & factis. In dictis, Cice. Multis uerbis ultro citroq; habitis. In factis, idem 2. de natu. Deo. Sic naturis his, ex quibus omnia constant, sursum, deorsum, ultro citroq; commeantibus mundi partium coniunctio continetur. Huc & illuc in factis solum. Pli. Siue hic est ille generabilis rerum naturæ spiritus huc illucq; tanquam in utero aliquo uagus. Distant ultro & sponte, quod ultro solum refertur ad animata. Ter. Venit Chremes ultro ad me. Spōte etiam ad inanimata. Vt, hæc herba sponte creuit. Lapis sponte decidit. Quintil. Plusquàm imponebatur oneris sponte suscepi. Vt, utpote, quippe, significant quia sequente relatiuo, qui, quæ, quod. Quint. Deinde quum proferenda sunt studia, caligat in sole, & omnia noua offendit, ut qui solus didicerit, quod inter multos faciendum est. Vt pote. Sal. Antonius procul aberat, utpote qui magno exercitu expeditos in fugam

Vltro, citro

Vltro, spōte

Vt, ut pote quippe.

seque-

sequeretur, hoc est, quia solus didicit, quia sequebatur
Dicimus & utpote quum, Pli. Plerũq; & tardius, ut=
pote quum annuo & biennij spacio durauerint. Idem
Vtpote quũ plura exẽpla sint, id est, quia plura sunt
exempla. Sunt orationes ubi utimur nisi, & nõ quàm.
Vt quid est animal nisi corpus cum anima cõcretum? Nisi
Ter. Tu quantus quantus nihil nisi sapientia es, Sall.
Omnium consiliorũ, nisi nouissimi particeps. Idem, Ni
hil metuere, nisi turpem famã. Idem, Quæ nisi ijs, qui
uidere, nemini credibilia sunt. Vocibus nisi & q̃, sine
discrimine utimur, quũ eas antecedit aliud, aliter, uel
comparatiuus. Vt quid est animal aliud q̃ corpus cum
anima concretum? Nihil aliud, q̃ aut nisi sapientia es.
Cice. Nihil quæsiuit aliud, nisi iusticiã, grauitatem, si=
dem. Quntil. Nihil facilius nisi totam orationẽ omino
nõ agere. Voce præterq̃ utimur, ubi poneretur præ=
ter. Vt omnibus places præter me, uel præterq̃ mihi.
Sex aduerbia quasi, uelut, ueluti, tanquam, uti, ceu,
imaginem rei significant, & exponuntur per uer=
bum substantiuum. Vt, tu incedis uelut rex uel tan=
quam rex: aut ueluti ursus, id est, tanquam esses
rex uel ursus. Sicut, sicuti, ut, similitudinem notant,
& per idem uerbum explicantur. Vt, tu loqueris si=
cut rex, id est, sicut rex loquitur. Pro eodem accipi=
untur, ut uti, quò. Cura ut conualescas. Da operam Quò

uti doctior euadas. Quintil. Quò sit leuius ipsum illud, in quod exercent. Quare

Cur, quare, quamobrẽ, quapropter, sic utimur. Multæ sunt causæ, quamobrem cupio, pro propter quas. Cice. Attico: Sed erant causæ, cur hoc tẽpore istic esse nollem. Idem, Non fuit causa, cur tantum laborem caperes. Idem, Nulla res est, quamobrem istum nolim ex paternis probris emergere, Teren. in Adel. Nihil reperio, quamobrem lauder tantopere, Plau. Sed quid est, quapropter nobis malũ minitemini? In rem, & è re, è dignitate, è rep. & ex fide esse dicimus, Plaut. in Aulularia: Quod in rem esse utriq; arbitremur. Ibidem, In rem hoc tuã est. Ibidem, Hæc tu eadem, si confiteri uis, in rem tuam feceris. Ibidem, Istud in rem utriq; est maxime. Idem in Amphitryone: Quæ maxime in rem uestram cõmunem sient. Sallust. in Catilina: In rem fore credens uniuersos appellare, hoc est, utile fore. Ter. in Phor. Non hercle ex re istius me instigasti. Cic. Attico: Sũma erit hæc, statues ut ex fide, fama, req; mea uidebitur. Idem Bruto: Facis ex tua dignitate, et ex rep. Eidẽ, Et tu si arbitrere utile fore, & ex rep. esse, persequere bello Dolobellam. Sallust. in Catilina: Certe scio, quæ studio dixerit, è rep. dixisse. Titus Liuius ab urbe cõdita: Faceret quod è rep. fideq; sua duceret. Idẽ de bello Macedonico: Loquendo plura, quæ in rẽ nõ essent, die cõ

In rem, & è re.

sumpto.

ſumpto. Ibidē, Hortatur, imperat, quæ in rē ſunt. Idē de bello Punico: Vt ſi è rep. cenſeret eſſe, ueniret. In diem, in horam, in annum, pro de die in diem, de hora in horā, de anno in annum eleganter dicimus. Cic. Barbarorum eſt in diem uiuere. Idem in Tuſculanis: Nos in diem uiuimus. Titus Liuius de bello Punico: In diē rapto uiuit. Ibidē, Nihil ex raptis in diem cōmeatibus ſuperabat. Cicero in Philippicis, Qui in horam uiuerent. In ſingulos dies ueteres dicebāt pro ſingulis diebus, uel per dies ſingulos. Varro, Se capturum de prædio in dies ſingulos denariūm mille. Cicero in Catilinā: Creſcit in dies ſingulos hoſtium numerus. T. Liuius ab urbe condita: Quæ bina millia æris in annos ſingulos penderent. Ibidem, Vt in ſingulas horas capite dimices tuo. Ornatius in paucos dies, in duos menſes in quintum annum dicimus, quàm pro paucis diebus, pro duobus mēſibus, pro quinto anno. Liuius, In duos menſes inducię factæ. Idem de bello Macedonico, Naues in diē tertium expediri iubet. Idem ab urbe cōdita Ludos, quos Torquatus dictator in quintum annum uouiſſet. Heu, aliquando accuſatiuum habet, ut heu me miſerum, heu ſtirpem inuiſam, Pli. Heu dementiā Quandoq; nominatiuum, heu pietas, heu priſca fides. Teren. in Adel. Heu miſera. Hei datiuo iungitur, hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo Hectore. In diem. Heu, hei, eheu, uæ.

Eheu nullum casum poscit. Verg. in Buco. Eheu quid uolui misero mihi. Væ datiuo iungitur. Martialis: Væ tibi causidice. Quoquouersum, aduerbium significat, uersus quemcunq; locum. Cæsar in commen. Eius imperio classem quoquouersum dimittunt. Cato de re rustica: Pedes denos quoquouersum habeat. Quaquauersum, per quemcunq; locum. Cæsar in commen. Legatos quaquauersum dimittere. Aliquouersum, uersus aliquem locum. Plaut. Ego pol istam iam aliquouersum regulam dedero. Aliouersum, uersus alium locum, & per metaphoram, ob aliam causam. Plau. Atq; ego istuc aliòuersum dixeram. Vtróq; uersum, uersus utrunq; locum. Plaut. in Captiuis: Vtroq; uersum rectum est ingenium ad te, atq; ad illum. Pridie significat præcedenti die: postridie, postero die: ut, quidam pridie ductam uxorẽ, postridie repudiauit. Quia & quod, de causa efficiente: quò & ut, de fine dicuntur. Non castigo te, quòd odio habeam, sed quò melior rem efficiã. In priore parte causa efficiẽs est: in posteriore, finalis. Quatenus & quousq;, significant usq; ad quod tempus, & usq; ad quem locũ. Vt quatenus ibimus? Quousq; agri tui fines protraxisti? Cicero de amicitia: Videamus, si placet, quatenus amor in amicitia progredi debeat. In institutiõibus legum: Est aũt littus maris, quatenus hybernus fluctus maximus excurrit,

Quoquouersum.

Quaquauersum.

Pridie

Quia et q.

Quatenus et quousq;.

currit. Cicero, Quousq; tandem abutere Catilina pa=
tientia nostra? Fabius: Mihi placet Latinã rationem
sequi, quousq; patitur decor. Quum & tum particu= Quum &
læ geminũ habent usum. Aliquando enim exponi pos= tum.
sunt per minus & magis. Quum doctus, tum probus,
hoc est, minus doctus, magis probus, uel probior, quã
doctior. Interdum quum generali, tum particulari iun
gitur, gaudentq; signo Omnis. Quum omnes autores
sic sentiunt, tum Homerus. Quum in omni disciplina
tum in Rhetorica exercitatissimus. Cicero, Luxuriæ
uerò quum omni ætati turpis, tum senectuti fœdissima
est. Idem, Quum reliquis in rebus, tum in sermone
communi uicissitudine nonnunquam utendum. Idem,
Quum in omni genere, tum in hoc ipso magna quædã
est uis naturæ. Hic tum exponi potest per & præser
tim. Etsi, tametsi, & quanquam in principio ora= Etsi, tamet
tionis, libri, aut epistolæ soli indicatiuo iunguntur, in si, et quanq;
medio etiam subiunctiuo. Cicero, Etsi nihil noui adfe=
rebatur, Idem, Etsi, ubicunq; es, in eadem es naui. Idẽ,
Quod ipsum etsi non iniquum est, in tuo duntaxat pe
riculo. Idem, Quàm etsi spero esse falsam, nunquam
tamen uerbis extenuabo. Idem Attico. Etsi nihil noui
afferebatur. Idem pro Milone: Etsi uereor iudices.
Quintilianus, Quod fecerunt pleriq; ueterũ, qui etsi
nondum quenquam sapientem repertum putabant,

præcepta tamen sapientiæ tradiderunt. Idem, Quare tametsi me fateor usurum quibusdam quæ philosophorum libris continentur, tamen ea iure uereq; contenderim esse operis nostri, Sall. Quæ tametsi animus asperabatur. Idem, Tametsi longe aliter animo agitabat, tamen pro tempore benigne respondit, Terentius, Obtundis, tametsi intelligo. Idem, Quid istuc Phædria, quanquam illam cupio abducere, ueruntamen potius quàm te inimicum habeam, faciam ut iusseris. Sallustius, Quanquam tibi immaturo uita erepta est. Quintil. Quanquam hæc sequenti tempore interciderunt, Idem, Nec refert de Græco an de Latino loquar, quanquam Græcum esse priorem placet. Idem, Quanquã suus cuiq; dignus est. Idem, Quanquam fuerunt, qui nobis quoq; adijcerent dualem scripsere legêre. Idem Id mea quidem opinione, quanquam sint, qui dissentiant, satis non est. Idem, Cædi uerò discipulos, quanquam & receptum sit & Chrysippus non improbet.

Etiamsi

Eandem penè naturam habet etiamsi. Cicero pro M. Marcello: Quẽ deum, etiamsi cupiat, opitulari posse reip, credamus. Idem: Vt mihi uideantur dij immortales, etiamsi pœnas à populo Romano ob aliquod delictum expetiuerint, omnẽ spem salutis ad clementiã uictoris cõtuliſſe. Idem, Quam tibi, etiamsi non desideras, tamẽ mittã. Quint. Nihil aspere nos ducturos testã

dum

ſtandum, ut etiamſi non poſſumus conuiciari, nolle uideamur. Idem, Etiamſi in utrâq; partem ualent arma facundiæ. Quamuis & licet ſemper ſubiunctiuum poſtulant. Verg. Quamuis multa meis exiret uictima ſeptis. Idem, Quamuis Eliſeos miretur Græcia campos. Fabius, Quamuis autẽ non tam me uinceret præſtandi quod exigebatur, fiducia, quàm negandi uerecundia: latius ſe tamen aperiente materia, plus quàm tmponebatur oneris ſponte ſuſcepi. Idem, Nam is quamuis nutricibus triennium dederit, tamen ab illis quoq; iam formandam, quàm optimis inſtitutis mentẽ infantium iudicat. Idẽ, Accendunt omnia hæc animos, & licet ipſa uitium ſit ambitio, frequenter tamen cauſa uirtutum eſt. Idẽ, Licet enim dicamus aliquid proprium, ſpecioſum, ſublime, nihil tamen horum niſi in cõplexu loquendi ſerieq; contingit. Quãuis rariſſime cum indicatiuo reperitur. Ter. in Adelphis: Non tam cito, quamuis etiam maneo ocioſus hic. Quãuis et licet.

PARTICVLAS AC, ATQVE, PRO quàm accipi, quum eas præcedit Alius.

ALiud, alter, cõtra, ſecus, ſimile, pariter, æque & quandoq; comparatiuum, eleganter poſt ſe particulas ac, atq;, ut, quàm, admittunt: Terent. in Ac Phor. Aliud mihi reſpondes ac rogo. Cic. in Verrem. Ne alio menſe, ac fas erat, commitia haberentur.

Idem

Idē de oratore. Potest enim non solū aliud mihi, ac tibi sed mihi ipsi aliud aliās uideri. Idem pro Cor. Balbo. Quid ego hi possunt aliud iudicare, ac iudicauerunt? Idem de arte rheto. Aut si alia ratiōe, aut aliā ob causam ac dicet sereus fieri, demōstrabitur esse factum Cæsar in cōmen. Qui longe alia ratiōe, ac reliqui Galli bellū gerunt. T. Liuius ab urbe condita: Aliā suā ac transfugarū causā esse, Plau. Illi sunt alio ingenio atq; Atq; tu, Ter. in Andria: Aliū nunc censes esse me atq; olim quum dabam? Cice. Non alius essē atq; nunc sum. Idē in Academicis: Quū aliud cognoscere, atq; sentiret Idem in rheto. Alio nomine illā rem de qua agitur appellari oportet, atq; aduersarij dicunt. Cæsar in commen. Docet longè alia ratione esse bellū gerendū, atq; antea gestum sit. Idem, Longe aliud sibi capiendū consilium, atq; antea senserat. Idem, Longe aliam esse nauigationem in concluso mari, atq; in apertißimo oceano perspiciebant. Idem, Aliæ sunt legati partes, atq; imperatoris. Apud Sall. Alia et: Longe mihi alia mēs est P.C. quum res atq; pericula nostra considero, & quum sententias nonnullorū ipse mecum reputo.

AC, ATQVE, PRO QVAM, PRAE cedente aduerbio aliter, uel aliorsum.

TErentius in Heauton. Aliter tuum amorem, atq; est accipis. Varro de lingua latina: Aliter atq;

atq; in reliquis dicitur. Idem de re rust. De emptione aliter dico, atq; fiet. Idem de lingua lat. Hoc nunc aliter fit, atq; olim. Ibidem. Quædam aliter olim ac nunc. Cicero de oratore. Quum aliter sentias ac loquare. Cice. in Partitionib. oratorijs. Casu quum aliter cecidit, ac speratum & putatum sit. Idem in Sall. Neq; enim qui ita uiuit ut tu, aliter ac tu loqui potest. Idem de officijs. Aliter de illis, ac de nobis iudicamus, Cicero pro Sexto Roscio. Aliter causam agi, atq; ille existimaret T. Liuius ab urbe cõdita. Longe aliter patres, ac plebẽ affecere. Cicero de arte rheto. Quum aliter quid accidit, atq; hi qui arguuntur, arbitrati esse dicuntur. Idẽ de finibus bonorum & ma. Hic loquebatur aliter, atq; omnes sentiebant. Idem. Sed aliter, atq; ostenderam facio. Idẽ pro domo sua. Hæc hoïes improbi ad quosdam uiros fortes longe aliter atq; à me dicta sunt detulerunt. Terent. Nunquàm te aliter, atq; es in animũ induxi meũ. Idẽ. Neúe aliorsum, atq; ego feci acceperit

PARTICVLA CONTRA, CVM atq;, ac, quàm, posita.

PRimum exempla de Atq; ponentur: tum de Ac postremo de Quàm. Cic. pro P. Sylla. Iam enim faciam criminibus omnibus penè dissolutis contra atq; in cæteris causis fieri solet. Idem in Catilinam. Idemq; iusserunt simulachrum, Iouis facere maius, & in excelsi-

celsum collocare, cõtra atq; antea fuerat. Idẽ in Som. Scip. Qui uersatur retro cõtrario motu atq; cœlũ. Cæsar in comment. Qui contra atq; esset dictum prælium cõmisissent. Cic. pro Cor. Bal. Si deniq; aliquid, quod non contra ac liceret factum diceretur, sed contra atq; oporteret. Idem de oratore. Vt contra ac dicat accipiẽt & sentiri uelit. Idem in Verrẽ. Si hæc contra ac dico essent omnia. Idem de fin. bon. & ma. Itaq; contra est ac dicitis. Idem de diuinatione. Vides tamẽ omnia ferẽ contra ac dicta sunt euenisse. Idem in Philp. 12. Præsertim quum contra ac Deiotarus sensit, uictoria belli iudicauerit. Sall. in Catil. Vbi uidet Catilinã contra ac ratus erat contendere. Cicero pro A. Cecin. Miror te hoc in hac re alieno tempore, & contra quàm ista causa postulasset defendisse. Idem pro Clu. Generi sui cõtra, quàm fas erat, amore capta. Idem pro domo sua. Aut quid de uestro iure, aut religione, contra quàm proposueram disputabo. Idem de arte rhet. Qui contra quàm scriptum sit aliquid probare uelit. Ouidius Obsequio tranantur aquæ: nec uincere possis Flumina, si contra quàm rapit unda, nates. Vl. de seruitutib. quod ui, aut clam l. Pretor ait, Si quis contra quàm prohiberetur, fecerit. Idẽ. Quod ui, aut clam l. Si alius Ait Iul. qui ante nunciationis remissionem contra quã prohibitus fuerit, opus fecerit.

Secus

SECVS, CVM, QVAM, AC, ATQVE

PLautus. Ne me secus honore honestes, quàm ego te. Cic. Me non multo secus facere, quum de oratore disputem, ac facerem si esset mihi de histrione dicendum. Idē pro Lucio Murena, Non secus, ac si meus esset frater. Iterum. Non secus, ac sentiam. Idem pro Planco. Cuius ego salutem non secus, ac meam tueri debeo. Idem. Sed aliquanto secus, atq; in tradenda arte dici solet. Idem de natura deorum. Quoniam cœpi secus agere, atq; initio dixeram. Verg. Haud secus, atq; alto in luco. Idem, Haud secus, ac iussi faciūt.

SIMILIS, PAR, AEQVE, ET comparatiuus cum ac, atq;, quàm.

Terentius in prologo Phor. Ne simili utamur fortuna, atq; usi sumus. Cice. de fin. bonorū & mal. Itaq; & similis erit finis boni, atq; antea fuerat. Cæsar in cōmen. Hortatur eos, ut simili ratione atq; ipsi fecerunt, suas iniurias persequantur. T. Liuius ab urbe cōdita. Similem pauorem inde, fugamq; fore ac bello Gallico fuerat. Cic. de nat. deo. Neq; enim mihi par ratio cum Lucilio est, ac tecum fuit. Liuius ab urbe condita. Nequaq; pari ad patienda ea robore, ac Romani fuissent. Teren. in And. Quis miser æque ac ego? Iterum Miser æque atq; ego. Cæsar in Comment. Aequa ferè latitudine, atq; ille congestus ex materia. M. Cicero

Aeque

Aequ

Aeque turpe, atq; illud, de quo ante dixi. Plautus. Ridiculus æque nullus est, quàm dum esurit. Idem in Aulularia. Nunquàm æque patri nuncium lepidũ attulit quàm ego nunc meæ heræ nunciabo. Cicero: Mihi quidem uidetur diutius abfuturus, ac uellem. Horat. Arctius atq; hedera procera astringitur Ilex.

IOACHIMI FORTII RINGELBERGII Andouerpiani Compendium de conscribendis Versibus.

QVATVOR pedes disyllabi sunt. Πυῤῥίχιος duabus breuibus constans ut, Deus. Σπονδεῖος duabus longis ut audax. Ἰαμβος breui & longa dies. Τροχαῖος longa & breui, mater. Octo trisyllabi. Τρίβραχυς tribus breuibus, Priamus. Μόλοσσος, totidem longis, Aeneas. Ἀνάπαιστος duabus breuibus, & longa spes. Δάκτυλος longa et duabus breuibus, sidera. Βακχεῖος breui & duabus longis, egestas. Ἀντιβάκχειος duabus longis & breui, natura. Ἀμφίμακρος ἢ κρητικὸς longa, breui, & longa, castitas. Ἀμφίβραχυς

supe/

ſuperiori oppoſitus, libellus. Sexdeccim tetraſyllabi. Προκελευσματικὸς quatuor breuibus, relegere. Διστόνδειος totidem longis, oratores. Αντίσπαστος breui, duabus longis, ac breui, Alexander. Χορίαμβος longa, duabus breuibus & longa, uirginitas. Διίαμβος duobus iambis, amœnitas. Διτρόχαιος duobus trochæis, cãtilena. Ιωνικὸς ἀπ' ἐλάσσονος duabus breuibus, ac totidem longis, Diomedes. Ιωνικὸς ἀπὸ μείζονος duabus longis & duabus breuibus Demetrius. Παιὼν πρῶτος, longa & tribus breuibus lætitia. Παιὼν δεύτερος, ſecunda longa reliquis, breuibus potentia. Παιὼν τρίτος tertia lõga, alienus Παιὼν τέταρτος quarta, celeritas. Επίτριτος πρῶτος prima breui, reliqs longis, ſacerdotes. Επίτριτος δεύτερος, ſecunda breui, conditores. Επίτριτος τρίτος tertia, concordiæ. Επίτριτος τέταρτος quarta, Conſtantinus.

DE VERSVVM GENERIBVS.

CArminum genera quatuor. Catalecticum, cui deeſt una ſyllaba. Brachycatalecticum, cui duæ ſyllabæ uel pes deeſt Hypercatalecticum, quod ſyllaba redundat. Acatalecticum, cui ſupereſt aut deeſt nihil. Monocolon dicitur, quod uniforme eſt, quo Vergilius Bucolica, Georgica, & Aeneida perſcripſit,

Dicolon distrophon, quod ex duobus generibus compositum est, quale Elegiacum ex hexametro & pentametro. Dicolon tetrastrophon, quum post tres eiusdem generis uersus, et quartum alterius modi, ad primum reuertimur. Cuiusmodi est Sapphicũ cum Adonico dimetro. Carmina appellationem acceperunt, uel à suis inuentoribus, ut Pyndaricum à Pyndaro, Clyconicum à Glycone, Sapphicum à Sappho puella. Vel à pede crebriore, ut Iambicum, Trochaicum, Dactylicum, Anapæsticum, Choriambicum & Spondaicum. Vel à dijs aut alijs, qui hoc carmine celebrati sunt, ut Heroicum, Adonicum, & Pythium. Vel à lyra Lyricum, quod ad lyram cantari solitum erat. A numero pedum sex aliæ carminum formæ sunt. Monometrũ, quod duobus pedibus constat, Nubibus atris. Dimetrũ, in quo pedes quatuor, Amice propugnacula. Trimetrum, cui pedes sex, Nec fonte labra prolui caballino. Tetrametrum quod pedes octo constituunt.

Sōlu ĭtŭr -⏑⏑ ācr ĭs hy̆ -⏑⏑ ēms grā -- tā u ĭc ĕ -⏑⏑ uēr ĭs -⏑ ēt fă -⏑ uōn ī --

Pentametrum, in quo pedes quinq;, Nil mihi rescribas, attamen ipse ueni. Hexametron, quod sex constat pedibus: Arma uirûm canoq́; Troiæ qui primus ab oris. Id in quinto loco dactylum habet, in sexto spōdeum, in reliquis dactylum uel spondeum. Pentametrum

bis

bis duos ſpondeos uel dactylos, utrobiq; adiecta ſyllaba. Aſclepiadeum, quod etiã Choriambicum nominatur, primo loco ſpondeum habet, altero & tertio Choriambos, quarto Pyrrhichium. Horat.

Mēcœ, nās ătăuīs, ǣdĭtĕrē, gĭbŭs.

Gliconicũ cõſtat ſpondeo, & duobus dactylis. Horat.

Mīlēs, tē dŭcĕ, gĕſsĕrăt.

Carmina anapæſtica in omnibus ſedibus recipiunt anapæſtum & ſpondeum, raro proceleuſmaticum, apud comicos etiã iambum & dactylum. Antiſpaſtica aliquãdo in prima particula pro iambo ſpondeũ habẽt. Vt: O fortuna uiris inuida iã triſtis ades. Sapphicũ qnque habet pedes: primo loco trochæũ, ſecundo ſpõdeũ tertio dactylũ, quarto & quinto trochæũ. Ponitur ſæpe cũ Adonico dimetro, q; cõſtat dactylo & ſpondeo.

Creſcit, indul, gens ſibi, dirus, hydrops,
Nec ſi, tim pel, lit niſi, cauſa, morbi
Fuge, rit ue, nis & a, quoſus, albo
Corpore, languor.

Choriambicorũ alia pura ſunt, quæ ſolis cõſtãt choriãbis: alia mixta, quæ in fine amphibrachum aut bacchiũ recipiũt. Phaleciũ pẽtametrũ heudecaſyllabum cõſtat ſpõdeo dactylo, & tribus trochæis. Aliquando in primo loco iãbum recipit. Q̃uiſq̃uis — cõmpŏs ĭ-⏑⏑ tõ ſĕ -⏑ rĕnŭs -⏑ ǣuõ. Carmina Trochaica imparibus

sedibus recipiunt trochæum, tribrachum, dactylum. Sedibus paribus eosdem & spondeum atq; anapæstũ. In iambicis, trochaicis, & anapæsticis carminibus pedes duos pro uno numeramus. Iambicorũ genera ferè tredecim sunt, quorum primum quinq; constat syllabis, secundum sex, tertium septem, sic deinceps crescẽte numero. Vides ut alta, hypercatalecticum. Deæ decus meum. Præceps amore sæuo. Paremq; posci proximus. Syluæ laborantes geluq;. Coacta uerba mitius feras. Mea renidet in domo lacunar. Ibis Liburnis inter alta nauium. Contacta regna linque, perdes & dolorem. Marcent lucernæ, sol propinquat, non tamen uocas. Portum petens auram relaxa, uela solue malo. Ludos amat puella nobilis pudicos & leues. Consortium uites eorum, qui petunt fœdum lupanar. Dactylicorũ genera. Adonium dimetrum catalecticum, Brachia curuant. Hymenaicum, Viscera condita. Archilochiũ Arboribusq; comæ. Alemanium trimetrum catalecticum: Tundite pectora palmis. Simonidium, Induc pallia serica. Alemanium, Turgida brachia curretegis. Anapæsticorum species. Pæonicũ carmẽ, quod est monometrũ catalecticum: Calidum iubar. Pindaricũ monometrum hypercatalecticum: Animus male fortis. Aristophanium, dimetrum brachycatalecticũ: Venit optima Calliope. Trochaicorũ genera. Pancratiũ,

monometrum

monometrũ hypercatalecticum, Autor optimus. Ithyphalicum, dimetrum brachycatalecticum, Bacche iunge tigres. Euripidium, dimetrum catalecticum, Vultur altius uolat. Coriambicorum ſpecies. Ariſtophanium, monometrum cum amphibracho ſeu bacchio, Purpureus tyrannus. Anacreontium, dimetrum cum amphibracho uel bacchio, Verg. Mãtua quẽ creauit. Antiſpaſticoum genera. Pæanicum, trimetrũ brachycatalecticum, Fauni ſemideum numen adeſt. Anachreontium, dimetrum catalecticum, Curas mitificant fila lyræ dulcis. Alcaicum, tetrametrum brachycatalecticum, O fortuna uiris inuida iam triſtis ades.

DE TEMPORE SYLLABARVM.

SYllaba quæ breuis eſt, ante mutam & liquidam longa fieri poteſt, longa uerò nequit eſſe breuis. Vocalis ante uocalem corripitur: ut deus. Excepto nomine dius, dia, diũ. Et uerbo fio in illis temporibus in quibus ſecundam uocalem non ſequitur r, ut fiã fiebam. Nam ſequente r, corripitur, ut fierem, fieri. Exceptis item genitiuis & datiuis quintæ declinationis, in quibus e ante i producitur, ſi uocalis præcedat e, ut u: diei, ſpeciei. Præcedente conſona corripitur, ut rei ſpei. Pronomina in quibus i ante us communia ſunt, ut unius: præter alius, quod ſemper producitur, &

alterius quod ſemper corripitur. Excipiũtur & Græca, ut Darius, ironia, Alexandria, Geomantia, Aonides, Clio, Thalia, Chorea. I inter duas uocales duplex conſonans: ut Maius maior aiunt, Troia. Eandẽ uim habet u in præteritis: amaui, repleui, petiui, audiui, amaueram, repleueram, petiueram, audiueram. Accuſatiuus in n, à nominatiuo in a, us, eus, uel is corripitur: ut Aeginan, Menelaon, Orpheon, Ibin. Papi.

Nanq; ferunt raptã patrijs Aeginan ab undis. Ouid.
Tu fore tam lentum iuſta Menelaon in ira. Idem.
Strymoniæ matres Orpheon eſſe ratæ. Idem.
Et fletu madidis Ibin adite genis.

Excipitur accuſatiuus à nominatiuo in as, es, & e, ut Aenean, Laërten, Penelopen. Ouidius,

Aenean animo nocte dieq; refert. Idem,
Aſpice Laërten, ut iam ſua lumina condas. Ouid.
Omne præteritũ diſyllabũ priorẽ producit, ut iuui, feci.
Nec moueor, quod te tuui portuq;, locoq;. Idem.
Dic mihi quid, niſi non ſapienter amaui?

Excipiuntur bibi, dedi, tuli, ſcidi. fidi. ſteti. Ouid.
Sæpe bibi ſuccos, quamuis inuitus, amaros. Idem.
Hoſpitiumq; dedi, quo me fugiturus abires. Verg.
Nõ tulit Antigenes, & erat tum dignus amari. Luc.
Aut ſcidit, & medias fecit ſibi littora terras. Verg.
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena. Idem.

Contorſit

Contorsit, stetit illa tremens, uteroq; recusso.

Præterita geminata primã corripiunt, ut cecidi à cado, cecidi à cædo, pependi, tetendi totondi, momordi, peperi, fefelli, tutudi, tetigi, pupugi, dixi dici & similia à pendo, tẽdo, tondeo, mordeo, pario, fallo, tundo, tango, pungo, disco. Cõposita seruant tempora simpliciũ: ut cãdo cecidi, conc ido conc idi, occ ido occ idi penultima correpta: cædo cecidi, concido concidi, occido occidi penultima producta. Omne supinum disyllabũ priorem producit: ut mõtum, crẽtum, lãtum. Præter quitum à queo, situm à sino, citum à cieo: nam cio citum facit priore lõga, situm à sero, litum à lino, itum ab eo, datum à do, ratum à reor, rutum à ruo. Longæ præpositiones, de, præ, è, à, se, di, dis, pro: ut demitto præmitto, emitto, amitto, seligo, diduco, distraho, promitto. Re corripitur, ut reduco. Monosyllaba ferè producuntur ut ne, ni, si. Verg.

Ne subeant herbæ, neu puluere uicta fatiscat. Idem:

Ni refugis tenuesq; piget cognoscere curas. Idem:

Si superant fœtus, pariter frumenta sequentur.

A in fine pducitur, ut ama, musa ablatiuus. Exceptis nominatiuis, accusatiuis, & uocatiuis cuiuscunq; numeri seu declinatiõis fuerint, qui corripiũtur: ut musa tecta, dogma, tempora, cornua. Vocatiuus tamen descendens à nomine terminato in as producitur, ut

Aenea, Dẽptis deniq;, ita, quia, puta, quæ corripiun-
tur. Numeralia in ginta communia sunt: ut triginta,
quadraginta. E in fine uocũ corripitur, ut mare, ferè,
fermè. Excipiuntur primum nominatiui Græci, ut Pe
nelope, Dialectice. Deinde primæ inflexionis genitiui
& datiui singulares, nominatiui & uocatiui plurales,
utpote quæ diphthongo scribantur. Tũ ablatiui quin
tæ, ut die, spe, cum compositis, quare hodie, quoti-
die. His addtur ablatiuus fame, qui solet esse quintæ
declinationis. Excipiuntur & imperatiui singulares
secundæ cõiugationis, ut doce, gaude. Et uocatiuus cui
nominatiuus in es: ut Anchise, Achille. Item aduer-
bia deducta à nominibus recte comparationẽ recipien-
tibus: ut iuste, docte. Omnia aduerbia gradus superla
tiui, ut optime, fortissime. Postremo dictiones monosyl
labæ, ut me, te, se, de, præ, e. Præter, q; pro &, ne
pro an, ue pro uel, quæ corripiuntur. I in fine dictiõis
producitur: ut audi. Excipiuntur mihi, tibi, sibi, quasi
ubi, ibi, cum compositis sicubi, nuncubi, alibi, quæ om
nia sunt communia. Coniunctio nisi breuis est. I in abla
tiuo longum: Ille ego, qui quondam gracili modulatus
auena. O in fine nunc longum nunc breue faciunt, ut
uirgo. Excipiuntur datiui & ablatiui, qui producun
tur. Et monosyllaba sto, do, flo. Itẽ aduerbia o, eò ac il
lò, Deniq; Græca nonnulla: Dido, Calipso, quæ omnia

pro-

producuntur. V in fine dictionis semper producitur: cornu, gelu. Verg. Cornu ferit ille caueto. Si uox terminetur b, d, m, te, corripitur. Dictionis terminatæ in as ultima producitur, ut: musas. Excipiũtur Græca quibus genitiuus in os: ut Pallas. Et accusatiui Græci plurales, qui communes sunt: ut Cycladas, lampadas. Dictionis terminatæ in es ultima producitur, ut doces gaudes. Corripiuntur, penes præpositio, es uerbũ cũ compositis ades, potes, & nomina, quibus pen ultima genitiui crescentis breuis est, ut miles militis, seges segetis. Præter res, spes, fides, Ceres, quæ producuntur. Præterq; illa quæ habent i ante es ut paries, aries, abies. Pes cum compositis commune est. Ouid.

Quisquis es, hoc poteris mecũ cõsidere saxo. Verg.

Huc ades ô formose puer, tibi lilia plenis. Horat.

Quẽ penes arbitriũ est, et ius, & norma loquẽdi. Idẽ:

Hæc seges ingratos tulit, & feret oĩbus annis. Verg.

Dines in accessos, ubi Solis filia lucos. Ouid.

Qui mihi coniugij sponsor & obses erat. Verg.

Quàm fixam paries illos seruabat in usus. Idem:

Populus in fluuijs, abies in montibus altis. Ouid.

Prima Ceres unco terram dimouit aratro. Lucanus:

Extruitur, quod non aries impellere possit. Ouid.

Nec pes tre potest, intra quoq; uiscera saxũ est. Luc.

Primus in obliquũ sonipes opponitur amni. Horat.

Omnia magna loquẽs, modo ſit mihi menſa tripes, &
Qualis apes æſtate noua per florea rura (Verg.
Is in fine dictionis corripitur, ut ꝙsquis, is fugis. Oui.
Hectora, quisquis is es (ſi ſum tibi cura uenito (Ver.
Quem fugis ah demens, habitarunt dij quoq; ſyluas.
Omnis caſus pluralis in is ꝓducitur, ut quis, oĩs. Ver.
Quis ante ora patrum Troiæ ſub mœnibus altis. Idem
Omnis ut tecum meritis pro talibus annos.
Vis tam nomen quàm uerbum producitur. Verg.
Vis ea ſi uerbi eſt, cur non ego Veiouis ædem. Verg.
Vis ergo inter nos quid poſſit uterq; uiciſſim. Horat.
Non cuiuis homini contingit adire Corinthum.
Is finẽ producũt omnia uerba, quæ in itis penultimã lõgam habent. Vt in omnibus uerbis quartæ coniugatio nis, quibusdam & alijs. Martialis:
Neſcis heu neſcis dominæ faſtidia Romæ. Horat.
Non poſſis oculo quantum contendere Lynceus. Mar.
Eſſe uelis oro ſerus conuiua tonantis.
Adduntur dederis, reſpueris & ſimilia. Ouid.
Da mihi te placidum, dederis in carmine uires. Tibul
Reſpueris etiam Phœbo gratiſſima dona.
Os producitur, ut ſacerdos. Excepto hoc nomine os oſſis, quod breue eſt. Excipiuntur quoq; compoſita huius nominis potis, ut impos, compos. Et genitiui Græci, ut Pallados. Vs corripitur, ut dominus. Excipiuntur

monoſyl

monosyllaba: ut thus, rus, mus, sus, ius. Tum genitiui singulares, nominatui, accusatiui, & uocatiui, & uocatiui plurales qutrtæ declinationis: manus. Inde nomina tertiæ inflexionis habentia u longum in penulti ma genitiu crescentis: ut salus salutis. Deniq; Græca quædam, ut Oedipus, Melampus, à πούς ποδός composita. Si dictio terminetur in r, ultima breuis est, ut pater. Excipiuntur monosyllaba, ut par, cum compositis impar, compar, dispar, quæ composita tamen aliquando corripiuntur. Quinq; uoces, fer, cor, uir, ter, per, breues sunt. Producũtur æther, crater, imber, aër

COMMVNES SYLLABAE.

Exercet Diana choros, quàm mille sequutæ.
Ter geminamq; Hecaten, tria uirginis ora Dianæ. Idẽ
Craßaq; conueniunt liquidis, et liquida craßis. Lucr.
Et penitus toto diuisos orbe Britanuos. Verg.
Nam quid Britannis cœlum differre putamus. Lucr.
Hinc augustus agens Italos in prælia Cæsar. Ver.
Coniecto sternit iaculo uolat Itala cornus. Idem
Hos postquàm mœsto profudit pectore uoces. Cat.
Impia dementis uulgi, & uix tota profudit.
Risit, & in his, inquit, facito mea tela procures. Ouid.
Procurate uiri, & pugnam sperate parati. Verg.
Quum subito aßurgens fluctu nimbosus Orion. Ibid.
Ensifer Orion æquore mersus erit.

Connubio

Connubio iungam ſtabili propriamq; dcabo. Verg.
Experiar, Numidumq; petã connubia ſupplex. Idẽ.
Longa facta breuis eſt in his.
Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes. Idem.
Miſcueruntq; herbas, & nõ innoxia uerba. Idem.
Obſtupui, ſteterũtq; comæ, et uox faucibus hæſit. Idẽ.
Dij tibi diuitias dederunt, artemq; fruendi. Horrt.
Terruerunt pauidos accenſa Ceraunia nautas. Sil.

IOACHIMI FORTII RINGELBERGII Andouerpiani Elementa Græca.

DE LITERIS.

ORATIONEM omnem partibus ſex componi conſtat: periodis, membris, inciſis, uerbis, ſyllabis, literis. Literarum formæ quatuor & uiginti: α, β, γ, δ, ε, ζ, η, θ, ι, κ, λ, μ, ν, ξ, ο, π, ρ, σ, τ, υ, φ, χ, ψ, ω. Λocalium longe η, ω: Breues, ε, ο: Communes. α, ι, υ. Mutabiles α, ε, ο. Ita dictæ, quòd in uerborũ præteritis mutentur α, ε in η: ο in α. Vt ἀκούω ἤκουον, ἐθέλω ἤθελον, ὀνομάζω ὠνόμαζον. Ex his

his diphthongi κυρίως, αι, αω, ε, ευ, οι, ου: Impropriè ᾳ, ῃ, ῳ, υι, ηυ, ωυ. Porrò inter consonantes duplices ζ, ξ, ψ: immutabiles, quæ non mutantur in futuris uerborum, λ, μ, ν, ρ: tenues, κ, π, τ: mediæ, γ, β, δ: densæ χ, φ, θ. Monædicon siue ἄσημον σ. Sic appellatum, quod non habeat significationẽ, ut aliæ Etenim ξ, ζ, ψ, & semiuocales sunt, & duplices: λ, μ, ν, ρ semiuocales immutabiles q̃; σ duntaxat semiuocalis. ρ in augmento & compositione geminatur, ut ἐπιῤῥημα. Ei diphthongon, Latini nunc mutant in i lõgum, ut in dictionibus, Darius, Thalia, Alexandria ironia, Nilus: nunc in e longum, ut chorea, Aeneas. Γ ante γ, ξ, χ, κ, per n profertur, ἄγγελος, λύγξ, ἔγχος, αὐάγκη. τ post ν per δ proferendum, & κ per γ, si ipsum γ præcesserit, θεόντε, αὐάγκην. Π per b Latinum præcedente μ, ut πέμπω.

DE ACCENTIBVS.

Προσῳδιῶν siue accentuum genera quatuor, τόνοι, πνεύματα, χρόνοι, πάθη. Toni tres Grauis sunt, grauis, acutus, circumflexus. Spiritus duo, densus & tenuis. Tempora totidem, longum & breue. Adfectus tres, apostrophus, ὕφεν, distinctio. Accentus grauis est in omnibus syllabis, quæ non habent pronum tonum: notatur solum in fine dictionis pro acutus. τὸ παρὰ θεῶ. In ultima ponitur tonus acutus, quando

Acutus

Circumflexus

ipsa

ipsa uel breuis est, uel longa absq; synereſi, ut καλὸς, σοφὸς, ἀνὴρ, in pænultima, quum uel breuis ipsa est, uel ultima longa, ut: λόγος, ἀνθρώπου. In antepenultima nunquam, nisi ultima fuerit breuis: φιλόσοφος, λέγεσθαι.

Excipiuntur Attica, ut: μενέλεως, φύσεως. In omni Genitiuo & Datiuo ultima longa & tonum habens circumflectitur: ποιητοῦ ποιητῇ, τιμῆς τιμῇ, θεοῦ, θεῷ. Reliqui casus acutum habent, τιμὴν, θεόν.

Item omnis longa per synæresin, ut ποιῶ ποιεῖς ποιεῖ. Longa penultima præcedens breuem semper circumflectitur: μοῦσα. Contra ultima longa, ante penultima caret tono, penultima circumflexo.

Enclitica uox tonum flectit in syllabam præcedentem, si antecedat. προπαροξύτονον, προπαρισπώμενον, aut προξύτονον cum trochæo, ἄνθρωπός τε, σκῶλόν τε, φύλλά τε Abijcit omnino, præcedẽte spondæo, iambo, pyrrhichio, seu perispomeno: ἀτρεί δηστε, ἄναξτε, γένοστε, φῶστε.

Ἔστιν positum in exordio orationis aut sequens aliquam harũ uocum: οὐ, οὐκ, ως, οὕτως, ἀλλά, τοῦτο priorem syllabam acuit: ἐστὶ πόλις, οὐκ ἐστὶν, ὡς ἐστὶν οὕτως, ἐστὶν, ἀλλ' ἐστὶν, τοῦτ' ἐστὶν. Si sequatur ὀξύτο

νου siue περισπώμενου, tonũ amittit, καλός ἐστιν, ἑρμῆς ἐστιν. Si iũgatur dictioni paroxytonæ, siue illa trochæus sit, siue iambus, siue pyrrhichius, siue spondæus tonum habebit posterior uerbi syllaba: φύλλα ἐστίν, ἥρως ἐστί, γέλως ἐστί, λόγος ἐστίν. Si præcedat προπροξύτονου uel προπερισπώμενον, tonus in præcedentem syllabam reijcitur: φιλόσοφός ἐστι, φαῦλός ἐστι. Si προπερισπώμενου in positione longam desinat, tonus manet in posteriore syllaba uerbi ἐστι, φοῖνιξ ἔ ἐστί.

Acutus tonus in ultima syllaba positus, nomen facit, ὀξύτονον: in penultima, προξύτονον, βαρύτονον: in ante penultima, προπροξύτονον, siue βαρύτονον. Circumflexus in postrema, περισπώμενον: in penultima, προπερισπώμενον: Vt, καλός, ἄνθρωπος, λόγος, ξενοφῶν, μοῦτα.

Omnis uocalis in principio dictionis signatur spiritu uel aspero, uel leni. υ & ρ semper aspirantur. ρ si geminum fuerit in una dictione, prius signatur tenui spiritu, posterius denso, ut ὠθίῤῥημα.

Omnis uocalis aspirata, adsumpta υ aspirationem abijcit, ὅρος, οὖρος Græcorum aspirationem Latini sæpenumero uertunt in σ. ὑπὲρ super, ὑπὸ sub, ὗς, sub, ἕρπω serpo, ἓ se, ἕξ sex ἑπτά septem.

ἓξ, εἷς, ἓν ideò uidentur habere densiorem spiritum, quàm ἐξ εἰς ἐν, quod dignitate quadam nomẽ præstet præpositioni. Ἀπόστροφος nota est, qua indicamus è fine dictionis ablatum esse aliquid. Quod quatuor accidit uocalibus: ε, ο, α, ι: & duabus diphthongis αι, οι. Vt φέρ' εἰπὲ, τοῦτ' ἐμόν, παρ' ἡμῶν, ἐφ' ἡμῖν, βούλομ' ἐγὼ, οἴμ' ὡς ἄχθομαι. ὑφὲν est nota, qua duas dictiones coniungimus, ut ante ⁊ malorum. ὑποδιαστολὴ, qua male cohærentia discernuntur, ut cor, uinum instaurat, ne Coruinum dicere uidearis

DE ARTICVLO.

Vocum quibus oratio constat, octo sunt genera: articulus, nomẽ, uerbum, participium, pronomen, præpositio, aduerbium, cõiunctio. Articuli præpositiui hoc modo declinãtur. Ἀρσενικὰ ἑνικὰ. ἡ εὐθεῖα ὁ. ἡ γενικὴ τοῦ. ἡ δοτικὴ τῷ. ἡ αἰτιατικὴ τόν. Δυϊκὰ. ἡ εὐθεῖα καὶ αἰτιατικὴ τὼ. ἡ γενικὴ καὶ δοτικὴ τοῖν. Πληθυντικά, ἡ εὐθεῖα οἱ. ἡ γενικὴ τῶν. ἡ δοτικὴ τοῖς. ἡ αἰτιατικὴ τούς. ἑνικὰ θηλυκὰ ἡ, τῆς, τῇ, τὴν. Δυϊκὰ, τὰ ταῖν. Ρ. αἱ, τῶν ταῖς, τάς. Οὐδέτερα, τὸ, τοῦ, τῷ, τό. Δ τὼ, τοῖν. Ρ. τὰ, τῶν, τοῖς, τά. Subiũctiui· Ἀρσενικὰ ἑνικά. ὃς, οὗ, ᾧ, ὃν. Δ. ὦ, οἷν. Π.. οἱ, ὧν, οἷς, οὕς Θηλυκά. Ε, ἣ, ἧς, ἣν. Δ. ἃ, αἷν. Π. ἅ, ὧν, αἷς, ἅς

Ουδέτερα. Ε, ὁ, οὗ, ὧ, ὁ. Δ. ὦ, οἷν. Γ, ἃ, ὧν, οἷς, ἃ. Ex præpositiuis subiunctiuos effeceris, mutato τ in aspirationem, ut τοῦ, οὗ, τῷ, ᾧ. ὁ, οἱ, ἡ, αἱ, præpositiui tono carent: subiunctiui non.

ACCIDENTIA NOMINVM.

Nominibus accidunt, γένος, εἶδος, σχῆμα, ἀριθμὸς, πτῶσις. Genera quinq; sunt: ἀρσενικὸν, ὁ λόγος: θηλυκὸν, ἡ μοῦσα: οὐδέτερον, τὸ βῆμα: κοινὸν, ὁ καὶ ἡ ἄνθρωπος: ἐπικοινὸν, ὁ ἀετὸς, hæc aquila, ὁ στρουθὸς hic passer, ἡ χελιδὼν hæc hirundo. Distant commune & epicœnum, quòd cõmune est ubi uisu discernimus sexum, ut κύων canis: ubi discrimen minus apparet, epicœnum. Species siue εἴδη duo: πρωτότυπον, ut οὐρανὸς, & παράγωγον. Posterioris genera septẽ. Συγκριτικὸν, ἐνδοξότερος: ὑπερθετικὸν, ἐνδοξότατος: πατρωνυμικὸν, πριαμίδης: ὑποκοριστικὸν, ἀνθρωπίσκος: κτητικὸν, βασιλικὸν: πρώνυμον, ἀνθηρὸς: ῥηματικὸν, ποιημα

Comparatiua ab adiectiuis in ος fiunt, mutato σ in τερος: λευκὸς λευκότερος, σόφος σοφώτερος. Si penultima positiui longa fuerit ο μηκρὸν seruatur: sin breuis, uertitur in ω μέγα. Adiectiua in ης & εις comparatiuum faciunt in εστερος: ἀληθης ἀληθέστερος, χαριεὶς χαριέστερος. Positiui in υς à neutro genere, addito τερος: ut βραχὺς βραχύτερος. In

ος, τερος assumũt: εὐνὸς εὐνόστερος. Superlatiuũ fit mutatione τερος in ταῖος, λευκότερος λευκόταῖος. Cõparatiua in ωρ superlatiua faciũt in ιστος, ut ἡδίων ἥδιστος. Σχήματα δύο: ἁπλοῦν, ἵππος: σωθέτον, φίλιππος. Numeri tres: ἑνικὸς, θεὸς: δυικὸς, θεώ: πληθυντικὸς, θεοί. Πτώσεις quinq; ὀνομαστικὴ uel εὐθεῖα, γενικὴ, δοτικὴ, αἰτιατικὴ, κλητικὴ.

DECLINATIONES NOMINVM.

Prima. QVinq; sunt nominũ declinationes. Prima terminationes duas habet, ας & ης. In hac omnia masculina sunt, & in secũda fœminina. ὁ αἰνείας, αἰνείου, αἰνείᾳ, αἰνείαν, ὦ αἰνείας. Δ. αἰνείᾳ, αἰνείαιν, ὦ αἰνείᾳ. Π. αἰνείαι, αἰνείων, αἰνείαις, αἰνείας, ὦ αἰνείαι. ὁ χρύσης, χρύσου, χρύσῃ, χρύσην, ὦ χρύσης. Δ. χρύσᾳ, χρύσαιν, ὦ χρύσᾳ. Π. χρύσαι, χρύσῶν. χρύσαις, χρύσας, ὦ χρύσαι. Secunda totidem habet terminationes, α & η. ἡ μαῖα, μαίας, μαίᾳ, μαῖαν, ὦ μαῖα. Δ. τὰ μαίᾳ, μαίαιν, ὦ μαίᾳ. Π. μαίαι, μαιῶν, μαίαις, μαίας, ὦ μαῖαι. ἡ μῦσα, μύσης, μύσῃ, μῦσαν, ὦ μῦσα. Δ. μύσᾳ, μύσαιν, ὦ μύσᾳ. Π. μῦσαι, μυσῶν, μύσαις, μύσας, ὦ μῦσαι. Τιμὴ, τιμῆς, τιμῇ, τιμὴν, ὦ τιμή. Δ. τιμᾷ, τιμαῖν, τιμᾷ. Π. τιμαὶ, τιμῶν, τιμαῖς, τιμὰς, ὦ τιμαὶ.

Secunda.

τιμαί. Nomina desinentia in α purum, ρα, δ' α, uel θα, seruant α in obliquis. Tertia quoq; terminationes duas habet, ος masculinorum ac fœmininorum, & ον neutrorũ. ὁ θεὸς, θεοῦ, θεῷ, θεόν, ὦ θεέ. Δ. θεώ, θεοῖν, ὦν θεώ. Π. θεοί, θεῶν, θεοῖς, θεοὺς, ὦ θεοί. ἡ ὁδὸς, τῆς ὁδοῦ, τῇ ὁδῷ, ὁδόν, ὦ ὁδέ. Δ. τὰ ὁδώ, ταῖν ὁδοῖν, ὦν ὁδώ. Π. αἱ ὁδοί, ὁδῶν, ὁδοῖς, ὁδοὺς, ὦ ὁδοί. Τὸ καλὸν, καλοῦ, καλῷ, καλόν, ὦ καλόν. Δ. τὼ καλώ, καλοῖν, ὦν καλώ. Π. καλά, καλῶν, καλοῖς, καλά, ὦ καλά. Quarta etiam duas terminationes habet ως, masculinorum & fœminorum, & ων neutrorum. Hæc in omnibus casibus seruat ω. ὁ μενέλεως, τοῦ μενέλεω, τῷ μενέλεω, τὸν μενέλεω, ὦ μενέλεως. Δ. τὼ μενέλεω, τοῖν μενέλεω, ὦν μενέλεω. Π. οἱ μενέλεω, τῶν μενέλεων, τοῖς μενέλεως, τοὺς μενέλεως, ὦ μενέλεω. ἡ ἄλως, τῆς ἄλω, τῇ ἄλῳ, τὴν ἄλων, ὦ ἄλως. Δ. τὰ ἄλω, τῶν ἄλων, ταῖς ἄλως, τὰς ἄλως, ὦ ἄλω. Τὸ εὐγεων, τοῦ εὐγεω, τῷ εὐγεω, τὸ εὐγεων, ὦ εὐγεων. Δ. τὼ εὐγεω, τοῖν εὐγεων, ὦν εὐγεω. Π. τὰ εὐγεω, τῶν εὐγεων, τοῖς εὐγεως, τὰ εὐγεω, ὦ εὐγεω. Quinta uarias terminationes habet, & diuersorum generum. Hæc similes est Latinorum tertiæ, οαὶας, τοῦ αἴαντος, αἴαντι, αἴαντα

Tertia.

Quarta.

Quinta

ἄϊαντα, ὦ ἄϊας & ὦ ἄϊαν. Δ. τὼ ἀϊάντε, τοῖν ἀϊαντοιν, ὦ ἀϊάντε. Π. οἱ ἀϊάντες, ἀϊάντων, ἀϊάσι, ἀϊάντας, ὦ ἀϊάντες. ἡ πρυτὼν, τῆς πρυτόνος πρυτόνι, πρυτόνα, ὦ πρυτών. Δ. τὰ πρυτόνε, ταῖν πρυτόνοιν, ὦ πρυτόνε. Π. αἱ πρυτόνες, τῶν πρυτόνων, ταῖς πρυτόσι, τὰς πρυτόνας, ὦ πρυτόνες. Τὸ βῆμα, βήματος, βήματι, βῆμα, ὦ βῆμα. Δ. βήματε, βημάτοιν, ὦ βήματε. Π. βήματα, βημάτων, βήμασι, βήματα, ὦ βήματα.

Monosyllaborum quintæ declinationis genitiuus & datiuus tonum habent in posteriore syllaba: reliqui casus in priore. Vt, πᾶς παντὸς παντὶ πάντα πάντες, χεὶρ χερὸς χερὶ χεῖρα χεῖρε, ἓς ἑνὸς ἑνὶ ἕνα.

Nomina in ευς *uarie flectuntur.* ὁ Βασιλεὺς, τοῦ Βασιλέως ἀττικῶς, Βασιλῆος καὶ Βασιλέϊος ἰωνικῶς, Βασιλίος βοιωτικῶς, Βασιλεῦς δωρικῶς. *E quibus Aeolice mutato accentu* Βασίληος, Βασίλειος, Βασίλευς. *Omnis datiuus in ultima syllaba* ι *habet:* ἀϊνείᾳ, μόσει, θεῷ, μενέλεῳ, πατρί. *Genera mutantur hoc modo:* πᾶς πᾶσα πᾶν: βραδὺς βραδεῖα βραδὺ: χαρίεις χαρίεσσα χάριεν: ἀληθὴς ἀληθὲς: φιλοπάτρις, τὸ φιλόπατρι: τέρλω τέρεν: εὐδαίμων εὐδαιμον. ἁπλοῦς ἁπλῆ ἁπλοῦν δίπλοῦς δίπλῆ δίπλοῦν: τριπλοῦς τριπλῆ τριπλοῦν: τετραπλοῦς τετραπλῆ τετραπλοῦν: μο-

λοῦς

λιβδῶς μολιβδῆ μολιβδῆσι: χαλκῶς χαλκῆ χαλκῆσι: χρυσῶς χρυσῆ χρυσῆσι.

CONTRACTIONES NOMINVM

Contractorum nominum duo genera, πολυπαθῆ, καὶ ὀλιγοπαθῆ. Πολυπαθῶν terminationes sex, ης, εις, ος, ις, ι, ας. Ὀλιγοπαθῶν, ευς, ους, ω & ως, υς & υ. Contrahuntur autem hoc modo. Δημοσθένεος ους, δημοσθενεῖ ῳ, δημοσθένεα η, ης δημοσθένεε η, δημοσθενέοιν οἶν, δημοσθένεες ος εις, δημοσθενέων ῶν, δημοσθένεας εις. Τὰ τεί= χεα η, ἀληθέα ῆ. Τῷ ὄφιϊ ὄφι, ὄφιες ὄφις, ὄφιας ις ὄφις. Τὰ σινήπια σινήπι. Vel τῷ ὄφεϊ ὄφῳ, ὄφεες ας ὄφεις, ὄφεας ὄφεις: σινήπεα σινήπη. Τὸ κρέας κρέως, κρέαϊ κρέᾳ, κρέατ κρέϊ, κρεάοιν κρεῶν, κρέαα κρέα, κρεάων ῶν. Βασιλεῖ ῖ. Βασιλέες εῖς, ευς Βασιλέας εῖς. οἱ Βόες Βοῦς, Βοας Βοῦς. Τῆς λητόος ους λητοῦς, λητοῖ λητοῖ, λητόα λητῶ. Horum dualia & pluralia tertiæ declinationis sunt: ut τὰ λητὼ, ω τοῖν λητοῖν, αἱ λητοὶ, τῶν λητῶν. Τῶ ἁλιέϊ ῖ, υς ἁλιέες εῖς, ἁλιέας εῖς. Βότρυες βότρυς βότρυας, βότρυς.

DE NOMINIBVS NVMERORVM.

NVmerorum ordines quinq;. Primus, ἕν, δύο, τρία, τέσσαρα, πέντε, ἕξ, ἑπτὰ, ὀκτὼ, ἐννέα, δέκα, ἕνδεκα, δώδεκα, δεκατρία, vel τρία

καὶ δ'ἕνα, minore præeunte, si cõiunctio interponatur: δλεκατέσσαρα, δλεκαπέντε, δλεκαἕξ, δλεκαέπτα, δ'ενκαέκτω, aut ὄκτω καὶ δ'ένα, δλεκαεννέα, εἴκοσι, εἰκοσιἑν, εἰκοσιδύο, εἰκοσιβία, βιάκοντα, βιακοντακαὲν, τεσσαράκοντα, πεντήκοντα, ἑξήκοντα, ἑβδομήκοντα. ὀγδοήκοντα, ἐνενήκοντα, ἑκατὸν, δλακόσια, βιακόσια, τεσσαρακόσια, πεντακόσια, ἑξακόσια, ἑπτακόσια, ὀκτακόσια, ἐννεακόσια, χίλιοι, δισχίλιοι, βρισχίλιοι, μύρια. Secundus, δλπλοῦς, βιπλοῦς, τεβραπλοῦς, πενταπλοῦς, ἑξάπλοῦς, ἑπταπλοῦς, ὀκταπλοῦς, ἐννεαπλοῦς, δεκαπλοῦς. Tertius, δλπλάσιος, βιπλάσιος, τεβραπλάσιος, πενταπλάσιος, ἑξαπλάσιος, ἑπταπλάσιος, ὀκταπλάσιος, ἐννεαπλάσιος, δλεκαπλάσιος. Quartus, μονὰς, δυὰς, βιὰς, τεβὰς, πεμπτὰς, ἑκτὰς, ἑπτὰς, ὀγδοὰς, ἐννεὰς, δεκὰς, χιλιὰς, μυριάς. Quintus, πρῶτος, δλεύτερος, βίτος, τέταρτος, πέμπτος, ἕκτος, ἕβδομος, ὄγδοος, ἔννατος, δλέκατος, ἐνδέκατος, δυοκαιδλέκατος, εἰκοστὸς, εἰκοστὸς πρῶτος, εἰκοστὸς δλεύτερος, βιακοστὸς, τεσσαρακοστὸς, πεντηκοστὸς, πεντηκοστὸς πρῶτος, ἑξηκοστὸς, ἑβδομηκοστὸς, ὀγδοηκοστὸς, ἐννενηκοστὸς, ἑκατοστὸς, δλακοσιοστὸς, βιακοσιοστὸς, τεσσαρακοσιοστὸς, πενταπλοσιοστὸς, ἑξακοσιοστὸς, ἑπτακοσιοστὸς, ὀκτακοσιοστὸς, ἐννακοσιοστὸς, χιλιοστὸς, δισχιλιοστὸς, τρισχιλιοστὸς, μυριοστὸς

τὸς, Hippocrates: θεωρητὴ δὲ πάλιν ἡ ἑπτακαιδεκάτη, αὐτὴ γάρ ἐστι τετάρτη ἀπὸ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης. Indicatiuus decimusseptimus, quartus enim est à decimoquarto. Numeros, qui infra decem sunt, notant characteres, α β γ δ ε ς ζ η θ. Denarios omnes infra centum, ι κ λ μ ν ξ ο π ϟ. Centenarios, ρ σ τ υ φ χ ψ ω ϡ. ᾱ cum nota superposita mille.

CONIVGATIONES VERBORVM.

QVinq; uerborum ordines sunt. Primus habet ante ω, β π φ πτ, in futuro ψ, in præterito φ. Vt, λείβω, τέρπω, γράφω, τύπτω. Secundus ante ω habet γ κ χ κτ σ uel ττ ζ, in futuro ξ, in præterito χ. Vt, λέγω, πλέκω, ἔχω, τίκτω, ὀρύττω παίζω. Tertius habet δ θ τ ζ ττ ω purum, in futuro σ, in præterito κ. Vt, ἄδω, πλήθω, ἀνύτω, φράζω, πλάττω, ἀκούω. Quartus in præsenti & futuro quatuor immutabiles λ μ ν ρ, in præterito κ. Vt, ψάλλω νέμω, κρίνω, σπείρω. Quinto comprehenduntur uerba in ημι, ωμι, υμι: ut, ἵστημι, τίθημι, δίδωμι, ζευγνυμι. Actiuorũ ergo triplex terminatio, ω βαρύτονον, ῶ περισπώμενον, & μι, ut, λέγω, ποιῶ, τίθημι. Verborum tempora sunt, præsens, præteritũ imperfectũ, futurum, duo indefinita quæ significatione

non differunt, præteritum perfectum, præteritū plus/
Deaugmentis. quamperfectum. In præteritis ε præponitur si prima uerbi litera sit consonans. Si uocalis, α & ε in η uertuntur, ο in ω, αι in η, αυ in ηυ, οι in ῳ. Vt, ἄδω ἤδον, ἐρωτάω ἠρώτων, ὀρύττω ὤρυττον, ἄειρω, ἦειρον, αὐδῶ ηὔδων, οἰκτείρω ᾤκτειρον. Reliquæ uocales η, ι, υ, ω, non mutãtur. Dicimus enim ἡγέομαι ἡγεόμην, ἰάπτω ἴαπτον, ὑβρίζω ὕβριζον, ὠνέομαι ὠνεόμην. Coniugantur autẽ uerba hoc modo. Actiua præsens, indicatiuum: τύπτω τύπτεις τύπτει. Δ. τύπτετον τύπτετον. Π. τύπτομεν τύπτετε τύπτουσι. Præteritum imperfectum: ἔτυπτον ἔτυπτες ἔτυπτε. Δ. ἐτύπτετον ἐτυπτέτην. Π. ἐτύπτομεν ἐτύπτετε ἔτυπτον. Imperatiuũ: τύπτε τυπτέτω. Δ. τύπτετον τυπτέτων. Π. τύπτετε τυπτέτωσαν. Optatiuum: τύπτοιμι τύπτοις τύπτοι. Δ. τύπτοιτον τυπτοίτην. Π. τύπτοιμεν τύπτοιτε τύπτοιεν. Subiunctiuum: ἐὰν τύπτω τύπτῃς τύπτῃ. Δ. ἐὰν τύπτητον τύπτητον. Π. ἐὰν τύπτωμεν τύπτητε τύπτωσι. Infinitum: τύπτειν. Futurum indicatiuum: τύψω τύψεις τύψει. Δ. τύψετον τύψετον. Π. τύψομεν τύψετε τύψουσιν. Optatiuum: τύψοιμι τύψοις τύψοι. Δ. τύψοιτον τυψοίτην. Π. τύψοιμεν τύψοιτε τύψοιεν. Infinitum: τύψειν. In

definitum

definitum primũ, indicatiuum: ἔτυψα ἔτυψας ἔτυ= ψε. Δ. ἐτύψατον ἐτυψάτην. Π. ἐτύψαμεν ἐτύψατε ἔτυψαν. Imperatiuum: τύψον τυψά= τω. Δ. τύψατον τυψάτων. Π. τύψατε τυ= ψάτωσαν. Optatiuũ: τύψαιμι τύψαις τύψαι. Δ. τύψαιτον τυψαίτην. Π. τύψαιμεν τύ= ψαιτε τύψαιεν. Subiunctiuum: ἐὰν τύψω τύ= ψῃς τύψῃ. Δ. ἐὰν τύψητον τύψητον. Π. ἐὰν τύψωμεν τύψητε τύψωσιν. Infinitum: τύψαι. ἀόριστος α.

Præteritum perfectum, indicatiuum: τέτυφα τέτυ= φας τέτυφε. Δ. τετύφατον τετύφατον. Π. τε τύφαμεν τετύφατε τετύφασιν. Imperatiuum: τέτυφε τετυφέτω. Δ. τετύφετον τετυφέτων. Π. τετύφετε τετυφέτωσαν. Optatiuum: τετύ= φοιμι τετύφοις τετύφοι. Δ. τετύφοιτον τετυ= φοίτην. Π. τετύφοιμεν τετύφοιτε τετύφοιεν. Subiunctiuum: ἐὰν τετύφω τετύφῃς τετύφῃ. Δ. ἐὰν τετύφητον τετύφητον. Π. ἐὰν τετύφωμεν τετύφητε τετύφωσιν. Infinitũ: τετυφέναι. Præ teritum plusquamperfectum: ἐτετύφειν ἐτετύφεις ἐτετύφει. Δ. ἐτετύφετον ἐτετυφέτην. Π. ἐτε τύφεμεν ἐτετύφετε ἐτετύφεσαν. Indefinitũ ſe= cundum, indicatiuũ: ἔτυπον ἔτυπες ἔτυπε. Δ. ἐτύ πετον ἐτυπέτην. Π. ἐτύπομεν ἐτύπετε ἔτυ= πον. Imperatiuum: τύπε τυπέτω. Δ. τύπετον Præteritũ. ἀόριστος β.

τυπέτω. Γ. τύπετε τυπέτωσαν. Optatiuum: τύποιμι τύποις τύποι. Δ. τύποιτον τυποίτην. Γ. τύποιμεν τύποιτε τύποιεν. Subiunctiuũ: ἐὰν τύπω τύπῃς τύπῃ. Δ. ἐὰν τύπητον τύπητον. Γ. ἐὰν τύπωμεν τύπητε τύπωσί. Infinitũ: τύπεῖν. Futurũ ſecundum, indicatiuum: τυπῶ τυπεῖς τυπεῖ. Δ. τυπεῖτον τυπεῖτον. Γ. τυποῦμεν τύπεῖτε τυποῦσι: Optatiuum: τυποίμι τυποῖς τυποῖ. Δ. τυποῖτον τυποίτην. Γ. τυποῖμεν τυπεῖτε τυποῖεν. Infinitũ: τύπεῖν. Media, præſens indicatiuũ: τύπτομαι τύπτῃ τύπτεται. Δ. τυπτόμεθον τύπτεσθον τύπτεσθον. Γ. τυπτόμεθα τύπτεσθε τύπτονται. Præteritum imperfectum: ἐτυπτόμην ἐτύπτου ἐτύπτετο. Δ. ἐτυπτόμεθον ἐτύπτεσθον ἐτυπτέσθην. Γ. ἐτυπτόμεθα ἐτύπτεσθε ἐτύπτοντο. Imperatiuum: τύπτου τυπτέσθω. Δ. τύπτεσθον τυπτέσθων. Γ. τύπτεσθε τυπτέσθωσαν. Optatiuum: τυπτοίμην τύπτοιο τύπτοιτο. Δ. τυπτοίμεθον τύπτοισθον τυπτοίσθην. Γ. τυπτοίμεθα, τύπτοισθε τύπτοιντο. Subiunctiuum: ἐὰν τύπτωμαι τύπτῃ τύπτηται. Δ. ἐὰν τυπτώμεθον τύπτησθον τύπτησθον. Γ. ἐὰν τυπτώμεθα τύπτησθε τύπτωνται. Infinitum: τύπτεσθαι. Futurum primũ, indicatiuũ: τύψομαι τύψῃ τύψεται. Δ. τυ

ψόμεθον

φόμεθον τύφεσθον τύφεσθον. Π. τυφόμεθα τύφεσθε τύφονται. Optatiuum: τυφοίμιλν τυφοιο τύφοιτο. Δ. τυφοίμεθον τύφοισθον τυφοίσθιλν. Π. τυφοίμεθα τύφοισθε τύφοιντο. Infinitũ: τύφεσθαι. Indefinitũ primũ, indicatiuũ: ἐτυφάμιλν ἐτύφω ἐτύφατο. Δ. ἐτυφάμεθον ἐτύφασθον ἐτυφάσθιλν. Π. ἐτυφάμεθα ἐτύφασθε ἐτύφαντο. Imperatiuum: τύφαι τυφάσθω. Δ. τύφασθον τυφάσθων. Π. τύφασθε τυφάσθωσαν. Optatiuũ: τυφαίμιλν τύφαιο τύφαιτο. Δ. τυφαίμεθον τύφαισθον τυφαίσθιλν. Π. τυφαίμεθα τύφαισθε τύφαιντο. Subiunctiuum: ἐὰν τύφωμαι τύφῃ τύφῃ). Δ. ἐὰν τυφώμεθον τύφησθον τύφησθον. Π. ἐὰν τυφώμεθα τύφησθε τύφωνται. Infinitum: τύφεσθαι. Præteritum perfectum, indicatiuum: τέτυπα τέτυπας τέτυπε. Δ. τετύπατον τετύπατον. Π. τετύπαμεν τετύπατε τετύπασιν. Imperatiuum: τέτυπε τετυπέτω. Δ. τετύπετον τετυπέτων. Π. τετύπετε τετυπέτωσαν. Optatiuũ: τετύποιμι τετύποις τετύποι. Δ. τετύποιτον τετυποίτιλν. Π. τετύποιμεν τετύποιτε τετύποιεν. Subiunctiuũ: ἐὰν τετύπω τετύπῃς τετύπῃ. Δ. ἐὰν τετύπητον τετύπητον. Π. τετύπωμεν τετύπητε τετύπωσιν. Infinitũ: τετυπέναι. Præteritũ pluſquãperfectum, indicatiuũ: ἐτετύπειν

Præteritũ.

ἐτετύπειν ἐτετύπεις ἐτετύπει. Δ. ἐτετύπειτον ἐτετυπείτην. Γ. ἐτετύπειμεν ἐτετύπειτε ἐτετύ-
ἀόριστος β. πεισαν. Indefinitum secundum, indicatiuum: ἐτυπόμην ἐτύπου ἐτύπετο. Δ. ἐτυπόμεθον ἐτύπεσθον ἐτυπέσθην. Γ. ἐτυπόμεθα ἐτύπεσθε ἐτύποντο. Imperatiuum: τυποῦ τυπέσθω. Δ. τύπεσθον τυπέσθων. Γ. τύπεσθε τυπέσθωσαν. Optatiuum: τυποίμην τύποιο τύποιτο. Δ. τυποίμεθον τύποισθον τυποίσθην. Γ. τυποίμεθα τύποισθε τύποιντο. Subiunctiuum: ἐὰν τύπωμαι τύπῃ τύπῃ. Δ. ἐὰν τυπώμεθον τύπησθον τύπησθον. Γ. ἐὰν τυπώμεθα τύπησθε τύπονται. Infinitum: τυπέσθαι. Futurum secundum, indicatiuum: τυποῦμαι τυπῇ τυπεῖται. Δ. τυπούμεθον τυπεῖσθον τυπεῖσθον. Γ. τυπούμεθα τυπεῖσθε τυποῦνται. Optatiuũ: τυποίμην τυποῖο τυποῖτο. Δ. τυποίμεθον τυποῖσθον τυποίσθην. Γ. τυποίμεθα τυποῖσθε τυποῖντο.
Paßiua. Infinitum: τυπεῖσθαι. Paßiua præsens, indicatiuum: τύπτομαι τύπτῃ τύπτεται. Δ. τυπτόμεθον τύπτεσθον τύπτεσθον. Γ. τυπτόμεθα τύπτεσθε τύπτονται. Præteritum imperfectũ: ἐτυπτόμην ἐτύπτου ἐτύπτετο. Δ. ἐτυπτόμεθον ἐτύπτεσθον ἐτυπτέσθην. Γ. ἐτυπτόμεθα ἐτύπτεσθε ἐτύπτοντο. Imperatiuum: τύπτου τυπτέσθω. Δ. τύπτε-

σθον

σθον τυπτέσθων. Π. τύπτεσθε τυπτέσθωσαν. Optatiuum: τυπτοίμην τύπτοιο τύπτοιτο. Δ. τυπτοίμεθον τύπτοισθον τυπτοίσθων. Π. τυπτοίμεθα τύπτοισθε τύπτοιντο. Subiunctiuũ: ἐὰν τύπτωμαι τύπτῃ τύπτῃ. Δ. ἐὰν τυπτώμεθον τύπτησθον τύπτησθον. Π. ἐὰν τυπτώμεθα τύπτησθε τύπτωνται. Infinitum: τύπτεσθαι. Præteritũ.

Præteritum perfectum, indicatiuũ: τέτυμμαι τέτυψαι τέτυπται. Δ. τετύμμεθον τέτυφθον τέτυφθον. Π. τετύμμεθα τέτυφθε τετύφαται.

Præteritum pluſquamperfectum, indicatiuum: ἐτετύμμην ἐτέτυψο ἐτέτυπτο. Δ. ἐτετύμμεθον ἐτέτυφθον ἐτετύφθην. Π. ἐτετύμμεθα ἐτέτυφθε ἐτετύφατο. Imperatiuum: τέτυψο τετύφθω. Δ. τέτυφθον τετύφθων. Π. τέτυφθε τετύφθωσαν. Infinitum: τετύφθαι. Indefinitũ primum, indicatiuum: ἐτύφθην ἐτύφθης ἐτύφθη. Δ. ἐτύφθητον ἐτυφθήτην. Π. ἐτύφθημεν ἐτύφθητε ἐτύφθησαν. Imperatiuum: τύφθητι τυφθήτω. Δ. τύφθητον τυφθήτων. Π. τύφθητε τυφθήτωσαν. Optatiuum: τυφθείην τυφθείης τυφθείη. Δ. Τυφθείητον Τυφθειήτην. Π. Τυφθείημεν Τυφθείητε Τυφθείησαν uel Τυφθεῖεν. Subiunctiuum: ἐὰν Τυφθῶ Τυφθῆς Τυφθῇ. Δ. ἐὰν Τυφθῆτον Τυφθῆτον. Π. ἐὰν Τυφθῶμεν τυφθῆτε Τυφθῶσι

θῶσι. Infinitum: τυφθῆναι, Futurum primum, Indicatiuum: τυφθήσομαι τυφθήσῃ τυφθήσεται. Δ. τυφθησόμεθον τυφθήσεσθον τυφθήσεσθον. Π. τυφθησόμεθα τυφθήσεσθε τυφθήσονται. Optatiuum: τυφθησοίμιλιν τυφθήσοιο τυφθήσοιτο. Δ. τυφθησοίμεθον τυφθήσοισθον τυφθησοίσθιλιν. Π. τυφθησοίμεθα τυφθήσοισθε τυφθήσοιντο. Infinitum: τυφθήσεσθαι.

ἀόριστος β. Indefinitum secundum, indicatiuũ: ἐτύπλιν ἐτύπης ἐτύπη. Δ. ἐτύπητον ἐτυπήτλιν. Π. ἐτύπημεν ἐτύπητε ἐτύπησαν. Imperatiuũ: τύπηθι τυπήτω. Δ. τύπητον τυπήτων. Π. τύπητε τυπήτωσαν. Optatiuum: τύπειλιν τυπείης τυπείη. Δ. τυπείητον τυπείτλιν. Π. τυπείημεν τυπείητε τυπείησαν, uel τυπεῖεν. Subiunctiuum: ἐὰν τυπῶ τυπῇς τυπῇ. Δ. ἐὰν τυπῆτον τυπῆτον. Π. ἐὰν τυπῶμεν τυπῆτε τυπῶσι. Infinitũ: τυπῆναι.

Futurũ secundum Futurũ secundũ, indicatiuũ: τυπήσομαι τυπήσῃ τυπήσεται. Π. τυπησόμεθον τυπήσεσθον τυπήσεσθον. Optatiuũ: τυπησοίμιλιν τυπήσοιο τυπήσοιτο. Δ. τυπησοίμεθον τυπήσοισθον τυπησοίσθιλιν. Π. τυπησοίμεθα τυπήσοισθε τυπήσοιντο. Infinitũ: τυπήσεσθαι.

Mox futurum Mox futurũ, indicatiuum: τετύψομαι τετύψῃ τετύψεται. Δ. τετυψόμεθον

μεθον τετύψεσθον τετύψεσθον. Γ. τετυψόμεθα τετύψεσθε τετύψονται. Optatiuum: τιτυψοίμην τυτύψοιο τετύψοιτο. Δ. τετυψοίμεθον τετύψοισθον τετυψοίσθην. Γ. τετυψόμεθα τετύψοισθε τετύψοιντο. Infinitum: τετύψεσθαι.

VERBA IN
ἑω, άω, & όω.

PRæsens indicatiuũ: ποιέω ποιῶ, ποιέεις ποιεῖς, ποιέει ποιεῖ. Δ. ποιέετον ποιεῖτον. Γ. ποιέομεν ποιοῦμεν, ποιέετε ποιεῖτε, ποιέουσι ποιοῦσι. Præteritum imperfectũ: ἐπόιεον ἐπόιουν, ἐπόιεες ἐπόιεις, ἐπόιεε ἐπόιει. Δ. ἐποιέετον ἐποιεῖτον, ἐποιεέτην ἐποιείτην. Γ. ἐποιέομεν ἐποιοῦμεν, ἐποιέετε ἐποιεῖτε, ἐπόιεον ἐπόιουν. Imperatiuũ: πόιεε πόιει, ποιεέτω ποιείτω. Optatiuum: ποιέοιμι ποιοῖμι, ποιέοις ποιοῖς, ποιέοι ποιοῖ. Attice seu Aeolice ποιόιην όιης όιη. Dorice ποιώην ώης ώη. Subiunctiuum: ἐὰν ποιέω ποιῶ, ἐῃς ῇς, ἐῃ ῇ. Δ. ἐητον ῆτον. Infinitum: ποιέειν ποιεῖν, Dorice, ποιέν. Indicatiuum passiuum: ποιέομαι ποιοῦμαι, ἐῃ ῇ, ἐεται εῖται. Δ. εόμεθον ούμεθον, έεσθον εῖσθον. Γ. εόμεθα ούμεθα. Præteritum imperfectum: ἐποιεόμην ούμην, ἐποιέου οῦ, έετο εῖτο. Imperatiuum: ποιέου οῦ, ποιεέσθο εῖσθω. Optatiuum: ποιεόιμην, ποιόιμην,

ἐοιο οἷο, ἑοιζ οἷοζ. Subiunctiuũ: ἐὰν ποιέωμαι ὦμαι, ἐαι ᾶι, ἐηται ᾶται. Infinitiuũ: ποιεεσθαι ἔεσθαι. Participia: ποιέων ὢν, ἐοντος ὄντος, ἐσσα ὖσα, ἐόσης ὔσης, ἐον ὄν, ποιεόμενος ὁμενος. In his σ Dorice in ευ conuertitur, ποιῦμεν ποιεῦμεν. Præsens indicatiunm: βοάω βοῶ, βοάεις βοᾷς, βοάει βοᾷ. Δ. βοάετον βοᾶτον. Π. βοάομεν βοῶμεν, βοάετε βοᾶτε, βοάουσι βοῶσι. Præteritum imperfectũ: ἐβόαον ἐβόων, ἐβόας ἐβόας, ἐβόαε ἐβόα. Δ. ἐβοάετον ἄτην, ἐβοαέτην ἐβοάτην. Π. ἐβοάομεν ὦμεν, ἐβοάετε ᾶτε, ἐβόαον όων. Imperatiuum: βόαε βόα, βοαέτω άτω. Optatiuum: βοαοίμι ῶμι, άοις ῷς, Aeolice βοώην ώης. Subiunctiuũ: βοάω ῶ, άῃς ᾷς, άῃ ᾷ. Δ. άητον, ᾶτον. Π. άωμεν ὦμεν, άητε ᾶτε, άωσι ῶσι. Infinitum: βοάειν βοᾶν, Dorice βοᾶν, Aeolice βόαις. Indicatiũ παθητικόν: βοάομαι βοῶμαι, βοάῃ βοᾷ, βοάεται ᾶται. Δ. βοαόμεθον ώμεθον, άεσθον ᾶσθον. Π. αόμεθα ώμεθα, άεσθε ᾶσθε, άονται ῶνται. Præteritum imperfectũ: ἐβοαόμην ώμην, ἐβοάου ῶ, ᾶτο ᾶτο. Imperatiuum: βοάου ῶ, βοαέσθω άσθω. Optatiuum: βοαοίμην ώμην, άοιο, ῷο. Subiunctiuum: βοάωμαι ῶμαι, άῃ ᾷ, άηται ᾶται. Infinitum: βοάεσθαι ᾶσθαι. Participia: βοάων ῶν, άοντος ῶντος, άουσα ῶσα, άόσης ώσης, άον ῶν, βοαόμενος ώμενος. Præsens indicatiũ: χρυσόω χρυσῶ, χρυσόεις χρυσοῖς χρυσόῃ

σόμ χρυσοῖ. Δ. χρυσόετον χρυσοῦτον. Π. χρυσόομεν χρυσοῦμεν, χρυσόετε οῦτε, χρυσόουσι οῦσι. Præteritum imperfectū: ἐχρύσοον ουν, ἐχρύσοες ους, ἐχρύσοε ουν. Δ. ἐχρυσόετον οῦτον. Imperatiuū: χρύσοε ου, χρυσοέτω ούτω. Optatiuum: χρυσόοιμι οίμι, χρυσόοις οίς, όοι οῖ. Subiunctiuum: χρυσόω ῶ, όῃς οῖς, όῃ οῖ. Δ. όητον οῖτον. Π. όωμεν ῶμεν, όητε οῖτε, όωσι ῶσι. Infinitū: χρυσόειν χρυσοῦν, Aeolice χρύσοις. Indicatiuū passiuum: χρυσόομαι οῦμαι, όῃ οῖ, όεται οῦται. Præteritū imperfectum: ἐχρυσοόμην ούμην, όου οῦ, όετο οῦτο. Imperatiuum: χρυσόου οῦ, χρυσοέσθω ούσθω. Optatiuū: χρυσοόιμην χρυσοίμην, χρυσόοιο οῖο. Subiunctiuum: χρυσόωμαι ῶμαι, όῃ οῖ, όηται οῦται, aliī ῶται, uel ῶται. Δ. οώμεθον ώμεθον, όησθον, οῖσθον, ῶσθον uel ῶσθον. Infinitum: χρυσόεσθαι οῦσθαι. Participia: χρυσόων ῶν, όουσα οῦσα, όον οῦν, χρυσοόμενος ούμενος.

TIΘHMI.

VErba in μι deducūtur à uerbis habentibus έω, άω, όω, υω: ut τίθημι, ἵστημι, δίδωμι, ζεύγνυμι, ἀ δέω, σάω, δόω, ζευγνύω, idq; præpositā ι cum prima consonante. Hæc carent secundo futuro, præterito perfecto & plusquamperfecto medio: item indefinito secundo & futuro secūdo passiuo. Actiua præsens, indicatiuum: τίθημι τίθης τίθησι. Δ. τίθετον

τίθετον. Γ. τιθέμεν τίθετε τιθέασι. Præteritũ imperfectum: ἐτίθην ἐτίθης ἐτίθη. Δ. ἐτίθετον ἐτιθέτην. Γ. ἐτίθεμεν ἐτιθετε ἐτίθεσαν. Imperatiuum: τίθετι uel τίθει à τιθέω, τιθέτω. Δ. τίθετον τιθέτων. Γ. τίθετε τιθέτωσαν. Optatiuum: τιθείην τιθείης τιθείη. Δ. τιθείητον τιθείητην. Γ. τιθείημεν τιθείητε τιθείησαν. Subiunctiuum: ἐὰν τιθῶ τιθῇς τιθῇ. Γ. ἐὰν τιθῆτον τιθῆτον. Γ. ἐὰν τιθῶμεν τιθῆτε τιθῶσι. Infinitum: τιθέναι. Indefinitum secundum, indicatiuum: ἔθην ἔθης ἔθη. Δ. ἔθετον ἐθέτην. Γ. ἔθεμεν ἔθετε ἔθεσαν. Imperatiuum: θέτι uel θὲς θέτω. Δ. θέτον θέτων. Γ. θέτε θέτωσαν. Optatiuum: θείην θείης θείης. Δ. θείητον θείητην. Γ. θείημεν θείητε θείησαν. Subiunctiuum: ἐὰν θῶ θῇς θῇ. Δ. θῆτον θῆτον. Γ. θῶμεν θῆτε θῶσι. Infinitum: θῆναι. Media præsens, indicatiuum, τίθεμαι τίθεσαι τίθεται. Δ. τιθέμεθον τίθεσθον τίθεσθον. Γ. τιθέμεθα τίθεσθε τίθενται. Præteritum imperfectum, ἐτιθέμην ἐτίθεϐ uel ἐτίθου, ἐτίθετο. Δ. ἐτιθέμεθον ἐτίθεσθον ἐτιθέσθην. Γ. ἐτιθέμεθα ἐτίθεσθε ἐτίθεντο. Imperatiuũ, τίθεϐ uel τίθου, τιθέσθω. Δ. τίθεσθον τιθέσθων. Γ. τίθεσθε τιθέσθωσαν. Optatiuũ: τιθείμην τίθειο τίθειτο. Δ. τιθείμετον τίθεισθον τιθείσθην. Γ. τιθείμεθα τίθεισθε τίθειντο.

ἀόριστος β

Media

Subiun=

Subiunctiuũ: ἐὰν τιθῶμαι τιθῇ τιθῇ. Δ. ἐὰν τιθῶμεθον τιθῆσθον τιθῆσθον. Δ. τιθῶμεθα τιθῆσθε τιθῶνται. Infinitũ: τίθεσθαι. Indefinitũ secundũ, indicatiuũ: ἐθέμην ἔθεο uel ἔθου ἔθετο. Δ. ἐθέμεθον ἔθεσθον ἐθέσθην. Π. ἐθέμεθα ἔθεσθε ἔθεντο. Vt in Præterito imperfecto ἐτιθέμην, remota syllaba τι. Paßiua præsens, indicatiuũ: τίθεμαι τίθεσαι τίθεται. Paßiua.

Δ. τιθέμεθον τίθεσθον τίθεσθον. Π. τιθέμεθα τίθεσθε τίθενται. Præteritũ imperfectũ, ἐτιθέμην ἐτίθεο uel ἐτίθου, ἐτίθετο. Δ. ἐτιθέμεθον ἐτίθεσθον ἐτιθέσθην. Π. ἐτιθέμεθα ἐτίθεσθε ἐτίθεντο. Imperatiuũ: τίθεο uel τίθου, τιθέσθω. Δ. τίθεσθον τιθέσθων. Π. τίθεσθε τιθέσθωσαν. Optatiuũ: τιθείμην τίθοιο τίθοιτο. Δ. τιθείμεθον τίθοισθον τιθείσθην. Π. τιθείμεθα τίθοισθε τίθοιντο. Subiunctiuum: ἐὰν τιθῶμαι τιθῇ τιθῆται. Δ. ἐὰν τιθώμεθον τιθῆσθον. Π. ἐὰν τιθώμεθα τιθῆσθε τιθῶνται. Infinitum: τίθεσθαι. Præteritum perfectum, indicatiuũ: τέθειμαι τέθεισαι τέθειται. Δ. τεθείμεθον τέθεισθον τέθεισθον. Π. τεθείμεθα τέθεισθε τέθειται. Optatiuum: τεθείμην τεθεῖο τεθεῖτο. Δ. τεθείμεθον τεθεῖσθον τεθείσθην. Π. τεθείμεθα τεθεῖσθε τεθεῖντο. Subiunctiuum: ἐὰν τεθῶμαι τεθῇ τεθῇται. Δ. τεθώμεθον τεθῆσθον τεθῆσθον. Π. τεθώμεθα τεθῆσθε τεθῶνται. Infinitum: τεθεῖσθαι.

Præteritum plusquamperfectum, indicatiuum: ἐτε-
θείμην ἐτέθεισο ἐτέθειτο. Δ. ἐτεθείμεθον ἐτέ-
θεσθον ἐτεθείσθην. Π. ἐτεθείμεθα ἐτέθεισθε ἐτέ-
θειντο. Imperatiuum: τέθεισο τεθείσθω. Δ. τέ-
θεσθον τεθείσθων. Π. τέθεισθε τεθείσθωσαν. In
ἀόριστος α definitum primum, indicatiuum: ἐτέθην ἐτέθης ἐτέ-
θη. Δ. ἐτέθητον ἐτεθήτην. Π. ἐτέθημεν ἐτέ-
θητε ἐτέθησαν. Imperatiuum: τέθητι τεθήτω.
Δ. τέθητον τεθήτων. Π. τέθητε τεθήτωσαν.
Optatiuum: τεθείην τεθείης τεθείη. Δ. τεθείη-
τον τεθείτην. Π. τεθείημεν τεθείητε τεθείη-
σαν. Subiunctiuum: ἐὰν τεθῶ τεθῆς τεθῇ. Δ. τε
θῆτον τεθῆτον. Π. ἐὰν τεθῶμεν τεθῆτε τεθῶ-
μέλλων α σι. Infinitum: τεθῆναι. Futurum primum, indica-
tiuum: τεθήσομαι τεθήσῃ τεθήσεται. Δ. τεθη
σόμεθον τεθήσεσθον τεθήσεσθον. Π. τεθησόμε
θα τεθήσεσθε τεθήσονται. Optatiuum: τεθησοί-
μην τεθήσοιο τεθήσοιτο. Δ. τεθησοίμεθον τεθή
σοισθον τεθησοίσθην. Π. τεθησοίμεθα τεθήσοι-
σθε τεθήσοιντο. Infinitum: τεθήσεσθαι.

ΙΣΤΗΜΙ.

Actiua præsens, indicatiuum: ἵστημι ἵστης ἵστησι.
Δ. ἵσταον ἵσταον. Π. ἵσαμεν ἵστατε ἱστᾶσι, uel Io-
nice ἱστάασι. Præteritum imperfectum: ἵστην ἵστης ἵστη.
Δ. ἵστον ἱστάτην. Π. ἵσαμεν ἵστατε ἵστασαν. Im-

peratiuum

peratiuum: ἵσαθι ἱσάτω. Δ. ἵστον ἱσάτων. Π. ἵστε ἱσάτωσαν: Optatiuũ: ἱσαίην ἱσαίης ἱσαίη. Δ. ἱσαίητον ἱσαιήτην. Π. ἱσαίημεν ἱσαίητε ἱσαίησαν, uel ἱσαῖεν. Subiunctiuum: ἐὰν ἱσῶ ἱσᾷς ἱσᾷ. Δ. ἱστον. Π. ἱσῶμεν ἱστε ἱσῶσι. Infinitum: ἱστάναι. Indefinitum ſecundum: ἔστην ἔστης ἔστη. Δ. ἐφορισθ β ἔστητον ἐστήτην. Π. ἔστημεν ἔστητε ἔστησαν, uel Attice ἔστην. Imperatiuum: στῆθι στήτω. Δ. στῆτον στήτων. Π. στῆτε στήτωσαν. Optatiuum. σταίην σταίης σταίη. Δ. σταίητον σταιήτην. Π. σταίημεν σταίητε σταίησαν. Subiunctiuum: ἐὰν σῶ σᾷς σᾷ. Δ. σῶτον. Π. σῶμεν στῆτε σῶσι. Infinitũ: στῆναι. Media & paſſiua. Præſens indicatiuũ: ἵσαμαι ἵστασαι ἵσταται. Δ. ἱστάμεθον ἵστασθον ἵστασθον. Π. ἱστάμεθα ἵστασθε ἱστανται. Præteritum imperfectum: ἱστάμην ἵστασο ἵστατο. Δ. ἱστάμεθον ἱστασθον ἱστάσθην. Π. ἱστάμεθα ἵστασθε ἵσταντο. Imperatiuum: ἵστασο ἱστάσθω. Δ. ἵστασθον ἱστάσθων. Π. ἵστασθε ἱστάσθωσαν. Optatiuum: ἱσταίμην ἱσταῖο ἱσταῖτο. Δ. ἱσταίμεθον ἱσταῖσθον ἱσταίσθην. Π. ἱσταίμεθα ἱσταῖσθε ἱσταῖντο. Subiunctiuum: ἐὰν ἱστῶμαι ἱστᾷ ἱστᾶται. Δ. ἱστώμεθον ἱστᾶσθτον. Π. ἱστώμεθα ἱστᾶσθε ἱστῶνται. Infinitũ: ἵστασθαι. Præteritum Præteritũ. perfectum, indicatiuũ: ἕσταμαι ἕστασαι ἕσταται. Δ. ἑστάμεθον ἕστασθον ἕστασθον. Π. ἑστάμεθα ἕστα-

σθε ἕσανται. Optatiuum: ἑσαίμλω ἑσαῖο ἑσαῖτο. Δ. ἑσαίμεθον ἑσαῖσθον ἑσαίσθλω. Π. ἑσαίμεθα ἑσαῖσθε ἑσαῖντο. Subiunctiuum: ἐὰν ἑσῶμαι ἑσᾶ ἑσᾶται. Δ. ἐὰν ἑσώμεθον ἑσᾶσθον ἑσᾶσθον. Π. ἐὰν ἑσώμεθα ἑσᾶσθε ἑσῶνται. Infinitum: ἑσάσθ.

Præteritum plusquamperfectum: ἐσαίμλω ἔσασο ἔσατο. Δ. ἐσαίμεθον ἔσασθον ἐσάσθλω. Π. ἐσαίμεθα ἔσασθε ἔσαντο. Imperatiuum: ἔσασο ἐσάσθω. Δ. ἔσασθον ἐσάσθων. Π. ἔσασθε ἐσάσθωσαν. Indefinitum primum, indicatiuũ: ἐσάτλω ἐσάθης ἐσάθη. Δ. ἐσάθητον ἐσαθήτλω. Π. ἐσάθημλν ἐσάθητε ἐσάθησαν uel ἔσαθεν. Imperatiuũ: σάθητι σαθήτω. Δ. σάθητον σαθήτων. Π. σάθητε σαθήτωσαν. Optatiuũ: σαθείλω σαθείης σαθείη. Δ. σαθείητον σαθείτλω. Π. σαθείημεν σαθείητε σαθείησαν. Subiunctiuum: ἐὰν σαθῶ σαθῆς σαθῆ. Δ. σαθῆτον σαθῆτον. Π. σαθῶμεν σαθῆτε σαθῶσι. Infinitum: σαθῆναι. Futurum primum, Indicatiuum: σαθήσομαι σαθήσῃ σαθήσεται. Δ. σαθησόμεθον σαθήσεσθον σαθήσεσθον. Π. σαθησόμεθα σαθήσεσθε σαθήσονται. Optatiuum: σαθησοίμλω σαθήσοιο σαθήσοιτο. Δ. σαθησοίμεθον σαθήσοισθον σαθησοίσθλω. Π. σαθησοίμεθα σαθήσοισθε σαθήσοιντο. Infinitũ: σαθήσεσθ.

Δίδλωμι.

ΔΙΔΩΜΙ.

Actiua præsens indicatiuum: δίδωμι δίδως δίδωσι. Δ. δίδοτον δίδοτον. Γ. δίδομεν δίδοτε διδοῦσι uel διδόασι. Præteritum imperfectum: ἐδίδων ἐδίδως ἐδίδω. Δ. ἐδίδοτον ἐδιδότην. Γ. ἐδίδομεν ἐδίδοτε ἐδίδοσαν. Imperatiuũ: δίδοθι διδότω. Δ. δίδοτον διδότων. Γ. δίδοτε διδότωσαν. Optatiuum. διδοίην διδοίης διδοίη. Δ. διδοίητον διδοιήτην. Γ. διδοίημεν διδοίητε διδοίησαν uel διδοῖεν. Et Aeolice, διδῴην διδῴης διδῴη. Subiunctiuũ: ἐὰν διδῶ διδῷς διδῷ. Δ. διδῶτον διδῶτον. Γ. διδῶμεν διδῶτε διδῶσι. Infinitũ: διδόναι. Indefinitũ secundũ indicatiuũ: ἔδων ἔδως ἀόριστος β. ἔδω. Δ. ἔδοτον ἐδότην. Γ. ἔδομεν ἔδοτε ἔδοσαν. Imperatiuũ: δόθι uel δὸς δότω. Δ. δότον δότων. Γ. δότε δότωσαν. Optatiuũ: δοίην δοίης δοίη. Δ. δοίητον δοιήτην. Γ. δοίημεν δοίητε δοίησαν. Subiunctiuũ: ἐὰν δῶ δῷς δῷ, aut Ionice δῶσι. Δ. δῶτον. Γ. δῶμεν δῶτε δῶσι uel δῶωσι poëtice. Infinitũ: δοῦναι. Media & paßiua, præsens: δίδομαι δίδοσαι δίδοται. Δ. διδόμεθον δίδοσθον δίδοσθον. Γ. διδόμεθα δίδοσθε δίδονται. Præteritum imperfectum: ἐδιδόμην ἐδίδοσο ἐδίδοτο. Δ. ἐδιδόμεθον ἐδίδοσθον ἐδιδόσθην.

Δ. ἐδιδόμεθα ἐδίδοσθε ἐδίδοντο. Imperatiuum: δίδοσο διδόσθω. Δ. δίδοσθον διδόσθων. Γ. δίδοσθε διδόσθωσαν. Optatiuũ: διδοίμην διδοῖο διδοῖτο. Δ. διδοίμεθον διδοῖσθον διδοίσθην. Γ. διδοίμεθα διδοῖσθε διδοῖντο. Subiunctiuum: ἐὰν διδῶμαι διδῷ διδῶται. Δ. διδώμεθον διδῶσθον. Γ. διδώμεθα διδῶσθε διδῶνται. Penultima circumflexa. Infinitũ: δίδοσθαι. Præteritum perfectum: δέδομαι δέδοσαι δέδοται. Δ. δεδόμεθον δέδοσθον δέδοσθον. Γ. δεδόμεθα δέδοσθε δέδονται. Optatiuum: δεδοίμην δεδοῖο δεδοῖτο. Δ. δεδοίμεθον δεδοῖσθον δεδοίσθην. Γ. δεδοίμεθα δεδοῖσθε δεδοῖντο. Subiunctiuum: ἐὰν δεδῶμαι δεδῷ δεδῶται, ἀρχρηστα. Infinitum: δεδόσθαι. Præteritum plusquamperfectum: ἐδεδόμην ἐδέδοσο ἐδέδοτο. Δ. ἐδεδόμεθον ἐδέδοσθον ἐδεδόσθην. Γ. ἐδεδόμεθα ἐδέδοσθε ἐδέδοντο. Imperatiuum: δέδοσο δεδόσθω. Δ. δέδοσθον δεδόσθων. Γ. δέδοσθε δεδόσθωσαν. Indefinitum primum, indicatiuum: ἐδόθην ἐδόθης ἐδόθη. Δ. ἐδόθητον ἐδοθήτην. Γ. ἐδόθημεν ἐδόθητε ἐδόθησαν. Optatiuum: δοθείην δοθείης δοθείη. Δ. δοθείητον δοθείητην. Γ. δοθείημεν δοθείητε δοθείησαν, uel δοθεῖεν. Subiuncti-

Præteritũ.

ἀόριστος α.

uum

uum: ἐὰν λαθῶ λαθῆς λαθῇ. Δ. λαθῆτον λαθῆτον. Π. λαθῶμεν λαθῆτε λαθῶσι. Infinitum: λαθεῖν. Futurum primum, Indicatiuum: λαθήσομαι λαθήσῃ λαθήσεται. Δ. λαθησόμεθον λαθήσεσθον. Π. λαθησόμεθα λαθήσεσθε λαθήσονται. Optatiuum: λαθησοίμην λαθήσοιο λαθήσοιτο. Δ. λαθησοίμεθον λαθησοίσθην λαθησοίσθων. Π. λαθησοίμεθα λαθήσοισθε λαθήσοιντο. Infinitum: λαθήσεσθαι. μέλλων α.

ΖΕΥΓΝΥΜΙ.

Polysyllaba uerba tam in υω, quàm in υμι solum in præsenti & præterito imperfecto flectuntur, alijs temporibus carent. Disyllaba uero apud poëtas quandoq; etiam futurum & indefinitum habẽt, ut λύω λῦμι λύσω ἔλυω λῦθι, κλύω κλῦμι, κλύσω ἔκλυω κλῦθι. Actiua præsens, indicatiuum: ζεύγνυμι ζεύγνυς ζεύγνυσι. Δ. ζεύγνυτον. Π. ζεύγνυμεν ζεύγνυτε ζευγνῦσι, uel ζευγνῦασι, aut quod usitatius est, ζευγνύασι à ζευγνύω. Præteritum imperfectum: ἐζεύγνυν ἐζεύγνυς ἐζεύγνυ. Δ. ἐζεύγνυτον ἐζευγνύτην. Π. ἐζεύγνυμεν ἐζεύγνυτε ἐζεύγνυσαν. Imperatiuum: ζεύγνυθι ζευγνύτω. Δ. ζεύγνυτον ζευγνύτων. Π. ζεύγνυτε ζευγνύτωσαν. Infinitum: ζευγνύναι. Media & passiua, præsens indicatiuum: ζεύγνυμαι ζεύγνυσαι ζεύγνυται

γνυτᾶι. Δ. ζευγνύμεθον ζεύγνυσθον. Γ. ζευγνύμεθα ζεύγνυσθε ζεύγνυωτ. Præteritū imperfectum: ἐζευγνύμην ἐζεύγνυς ἐζεύγνυτο. Δ. ἐζευγνύμεθον ἐζεύγνυσθον ἐζευγνύσθην. Γ. ἐζευγνύμεθα ἐζεύγνυσθε ἐζεύγνυωτο. Imperatiuū: ζεύγνυσο ζευγνύσθω. Δ. ζεύγνυσθον ζευγνύσθων. Γ. ζεύγνυσθε ζευγνύσθωσαν. Infinitum: ζεύγνυσθαι. Participia: ὁ ζευγνὺς τοῦ ζευγνύντος. ἡ ζευγνῦσα τῆς ζευγνύσης. τὸ ζευγνῦντος τοῦ ζευγνύντος. A passiuo ζευγνύμενος.

QVAEDAM DE FORMATIONE temporum.

VErbum cum præpositione cõpositum non plus significãs q̃ simplex, augetur in principio propositionis. Vt, ἔπω dico, ἐνέπω ἤνεπον, εὔδω καθεύδω ἐκάθευδον. Præpositione uerò significationem aliquam adferente, augmentū fit in principio uerbi simplicis, ut ἀκούω παρήκουον. Præpositio uocalem postremã amittit, si componatur cum uocali, ut ἔγραφον κατέγραφον: exceptis περὶ & πρὸ, ut ἔχω περιέχω προέχω. Παρατατικὸς fit à præsenti mutato ω in ον & præposito augmento, ut τύπτω ἔτυπτον. Ab eodem futurū fit mutata consona præsentis in consonantem futuri, γράφω γράψω, λέγω λέξω, φράζω φράσω, ψάλλω ψαλῶ-

Verba

Verba autem habentia ω purum, futurum ferè faciunt, uerso α uel ε in η, & ο in ω, aut interposito σ, ut ποιέω ποιήσω, δίδωμι δώσω, ἀκούω ἀκούσω. α & ε quãdoq; manent, καλέω καλέω. Futura quartæ coniugationis penultimam breuem postulant: quare si duplex consona sit, altera abijcitur, ut ψάλλω ψάλῶ. Si diphthongus uocalis eximitur, ut πτείρω πτερῶ, φαίνω φανῶ. Indefinitum primum semper seruat cõsonantem futuri, præter τίθημι θήσω ἔθηκα, δίδωμι δώσω ἔδοκα, ἵημι ἥσω ἧκα, ἕπω ἕψω ἕπα, ἐνέγκω ἐνέγξω ἐνεγκα. Si penultima indefiniti primi fuerit breuis, ut in quarta cõiugatione producitur hoc modo: α mutatur in η, ε assumit ι, ι & υ fiunt longæ, ut ψαλῶ ἔψηλα χαιρῶ ἔχηνα, φθερῶ ἔφθειρα, κρινῶ ἔκρινα, στρωνῶ ἔστρωνα. Verba in λω & ρω eandem consonantem seruant in præterito perfecto: ut ψάλλω ἔψαλκα, πτείρω ἔπταρκα. Si uerò μ ante ω fuerit, inter μ & κ, π interponitur, ut νέμω νενέμηκα. Habentia ι uel ει ante νω, in præterito perfecto abijciunt ν, ut κρίνω κέκρικα, κτείνω κτενῶ ἔκτακα. Quæ uerò αι aut υ in penultima habent, in præterito ν in γ mutant, ut μιαίνω μιανῶ μεμίαγκα, μολύνω μολυνῶ μεμόλυγκα.

Ἀόριστος Β seruant consonantem præteriti perfecti medij. Penultima indefiniti secundi, si tribus ipsum ἀόριστος Β. plu-

pluribúsue syllabis constet, corripi debet, hoc modo. η in α uertitur. Vt λήβο capio ἔλαβον, πήθω satior ἔπαθον, λήχω sortior ἔλαχον, φήγω comedo ἔφαγον, δήκω mordeo ἔδακον, λήθω lateo ἔλαθον. ω in α: τρώγω uoro ἔτραγον. αι in α: φαίνω appareo ἔφανον, καίω uro ἔκαον, δαίω scio ἔδαον. αυ in α: παύω sedo ἔπαον. ου in ο: ἀκούω audio ἤκοον. ει in ι: λείπο linquo ἔλιπον, λείβω libo ἔλιβον, πείθω suadeo ἔπιθον. ευ in υ: φεύγω fugio ἔφυγον, τεύχω consequor ἔτυχον, ἐλεύθω uenio ἤλυθον & ἦλθον, πεύθω interrogo ἔπυθον. Verbo in ζω, uel σσω secundæ coniugationis, in præterito medio γ habēt, ut κράζω κράξω κέκραγα, πλήσσω πλήξω πέπληγα. Verba in ζω coningationis tertiæ, in eodem loco δ habēt, ut φράζω πέφραδα. Si tertia singularis in præterito perfecto paßiuo uocalē habuerit ante ται, infinitum formatur interposito σ, ut

Paßiua. πεποίηται πεπιῆσθ. λήβω capio, λείβω libo, λήχω sortior, μείρομαι sortior, iuxta communem linguam habent λέληφα, λέλειφα, λέληχα, μεμαρμαι: Attice uero, εἴληφα, εἴλειφα, εἴληχα, εἴμαρμαι. Indefinitum secundum paßiuum fit ab indefinito secundo actiuo mutatione ον in ην. Ετυπον ἐτύπην, ἔλεγον, ἐλέγην, ἤκοον, ἠκόην. Duo futura paßiua fiunt à secunda persona indefinitorum addito

ομαι,

ομαι, ut ἐτύφθης τυφθήσομαι, ἐτύπης τυπήσομαι. Paulo post futurum à secunda persona paßiui præteriti formatur ἐπενθέσει τεθομ. Τέτυψαι τετύψομαι, λέλεξαι λελέξομαι, πεποίησαι πεποιήσομαι. Ex præterito imperfecto actiuo uerborum in μι fiunt præterita imperfecta media & paßiua mutatiõe ην in έμην uel άμην, & ων in όμην, ut ἐτίθην ἐτιθέμην, ἵστην ἱστάμην, ἐδίδων ἐδιδόμην.

εἰμὶ, εἶμι, ἴημι, ἵημι, ἧμαι & φημί.

ΑΒ ἔω sum uel uado fiunt εἰμὶ, εἶμι, ἴημι. εἰμὶ εἶς εἶ uel ἐσσὶ ἐστί. Δ. ἐστὸν ἐστόν. Γ. ἐσμὲν uel εἰμὲν, ἐστὲ, εἰσὶ uel ἔασι. Præteritum imperfectum: ἦν ἔα ἦα ἦ ἔην uel ἔσκον, ἦς ἦσθα, ἦν ἔην ἤην ἦεν ἔσκε ἦς. Δ. ἦτον ἤτην. Γ. ἦμεν uel ἦμες ἦτε ἦσαν uel ἔσαν. Et ἤμην ἦσο ἦτο medium. Reliquis præteritis caret. Futurũ medium ἔσομαι ἔσῃ uel ἔσεαι ἔσσῃ uel ἔσσεαι, ἔσεται, ἔσσεται uel ἔσται. Δ. ἐσόμεθον. Imperatiuus: ἴσθι ἔσο uel ἔσσο, ἔεσω. Δ. ἔσον ἔσων. Γ. ἔστε ἔσωσαν. Optatiui præsens: εἴην εἴης εἴη. Δ. εἴητον εἰήτην. Γ. εἴημεν εἴητε εἴησαν, & per syncopen εἶμεν εἶτε εἶεν. Futurũ: ἐσοίμην ἔσοιο ἔσοιτο. Subiunctiui præsens: ἐὰν ὦ ᾖς ᾖ uel ἦσι Ionice. Δ. ἦτον. Γ. ὦμεν ᾖτε ἦσι. Indefinitũ primum: ἐὰν ἔσωμαι ἔσῃ ἔσηται.

Infinitũ:

Infinitũ: εἶναι ἔμεναι ἔμμεναι ἔμεν uel ἦμεν, unde
εἶμι uado. ἐνῆμεν inesse. εἶμι εἶς uel εἶσθα εἶσι. Δ. ἴτον ἴτον.
Γ. ἴμεν ἴτε ἴσι uel ἴασι. Præteritũ imperfectũ: εἶν
εἶς εἶ. Δ ἴτον ἴτην. Γ. ἴμεν ἴτε ἴσαν uel ἤϊσαν. Præ
teritum perfectũ: εἶκα εἶκας εἶκε inusitatum. Præte-
ritum plusquamperfectũ: ἤκειν ἤκεις ἤκει. Præteritũ
perfectum mediũ: εἶα εἶας εἶε, uel Ionice ἦα ἦας ἦε, &
soluta diphthongo ἤϊα ἤϊας ἤϊε. Plusquamperfectum
mediũ: ἤειν ἤεις ἤει. Tertia pluralis: ἤεισαν uel ἤεσαν.
Sic eius cõposita ἀνήειν redieram, ἐξήειν exiuerã, ἀνήει
σαν uel εσαν, ἐξήεισαν uel εσαν, Imperatiuus: ἴθι
(uel εἶ ab ἔω ἐε per synæresin, unde ἔξει apud Aristo
phanem) ἴτων. Δ. ἴτον ἴτων. Γ. ἴτε ἴτωσαν. Inde
finitis & futuris, item optatiuo & subiunctiuo caret.
Infinitũ: ἴναι ἴμεναι ἴμεν εἶναι, unde πρεῖναι adire,
ἴημι uado. ἀπεῖναι abire. ἴημι ἴης ἴησι. Infinitũ: ἴεναι. Præ
sens medium: ἴεμαι ἴεσαι ἴετρ. Præteritũ imperfe-
ctum: ἱέμην ἴεσο ἴετο. Imperatiuus: ἴεσο ἱέσθω.
ἴημι mitto participiũ: ἱέμενος. ἕω mitto, sedeo, cupio, induo: un-
cupio. de ἵημι & ἧμαι, ἵημι ἵης ἵησι. Δ. ἵετον ἵετον. Γ.
ἵεμεν ἵετε ἱεῖσι uel ἱέασι, & per crasin ἱᾶσι. Præ
teritum imperfectũ: ἵην ἵης. Perfectum: εἷκα εἷκας.
Hinc εἰκὼς, ἀφεικὼς, ἀφεικέναι, & perfectũ paßiuũ,
εἷμαι εἷσαι. Plusquamperfectũ: εἵκειν εἵκεις inusita-
tum. Indefinitum primũ: ἧκα ἧκας pro ἧσα. Secun
dum

dum, ἦν ἦς ἦ. Δ. ἔτον ἔτην. Γ. ἔμεν ἔτε ἔσαν. Futurum: ἥσω ἥσεις. Imperatiuui præsens: ἴεθι ἱέτω. Indefinitum secundum: ἓς pro ἕθι: hinc ἄφες, πρόες, ἄνες, ἔτω. Optatiui præsens: ἱείην ἱείης. Indefinitum secundum: εἴην εἴης. Subiunctiui præsens: ἐὰν ἱῶ ἱῇς ἱῇ. Indefinitum secundum: ἐὰν ὦ ἦς ᾖ, & poëtice ἕω ἕῃς ἕῃ, uel εἴω εἴῃς, unde ἀφείω dimisero, ἐφείω immisero ἰλια.α. Infiniti præsens: ἱέναι ἱέμεναι ἱέμεν. Indefinitum secundum: εἶναι ἔμεναι ἔμεν, unde μεθέμεν dimisisse. Participium præsentis: ἱεὶς ἱγντος, ἱεῖσα ης, ἱὲν ἱγντος. Indefiniti secundi: εἷς γντος. Paßiuum seu medium præsens: ἵεμαι ἵεσαι. præteritum imperfectum: ἱέμην ἵεσο. Indefinitum secundum medium: ἕμην ἕσο, uel οὗ ἕο ἕτο. ἧμαι ἧσαι ἧται. Δ. ἥμεθον ἧσθον. Γ. ἧμαι sedeo ἥμεθα ἧσθε ἧνται, Ionice ἕαται uel εἵαται. Præteritum imperfectum: ἥμην ἧσο ἧτο. Δ. ἥμεθον ἧσθον ἥσθην. Γ. ἥμεθα ἧσθε ἧντο ἕατο εἵατο uel ἥατο, unde καθήατο ἰλια.α. Imperatiuus: ἧσο ἥσθω. Infinitū: ἧσθαι. φημὶ φῄς φησὶ. Δ. φα. φημί. τόν. Γ. φαμὲν φατὲ φασὶ, Dorice φατί· παρατα.ἢ ἀόριστος β, ἔφην ἔφης (uel ἔφησθα Ionico more, qui sæpenumero secundis personis θα apponunt, ut οἶδας οἴδασθα, per syncopen οἶσθα) ἔφη.

Δ. ἔφατον

Δ. ἔφατον ἐφάτλω. Γ. ἔφαμεν ἔφατε ἔφασαν uel ἔφαν. Et abiecto augmento, φῆν φῆς φῆς, item ablato φ, ἦν ἦς ἦ, quod frequens est apud Homerum. μέσα. φαμαὶ σαὶ ται. Γαρατα. ἐφάμλω ἔφασο ἔφατο.

ΓΕΡΙ ΜΕΤΟΧΗΣ.

PArticipia habẽt: τύπλω ὃ ἔτυπλον, τύπλω, τύπλσα, τύπλομ: τύψω, τύψων, τύψσα, τυψόμ: ἔτυψα, τύψας, τύψασα, τύψαν: τέτυφα καὶ ἐτετύφθν, τετυφὼς, τετυφυῖα, τετυφός: ἔτυπον, τυπὼν, τυπθῖα, τυπόμ: τυπῶ, τυπῶν, τυπθῖα, τυπθν. Μέσα: τύπλομαι, τυπτόμενος, τυπλομένη, τυπτόμενον: τύψομαι, τυψόμενος: ἐτυψάμλω, τυψάμενος: τέτυπα, τετυπὼς, τετυπυῖα, τέτυπός: ἐτυπόμην, τυπόμενος: Τυπθμαι: τυπθμενος. Παθιλικά: τύπλομαι, τυπλόμενος: τέτυμμαι, τετυμμένος: ἐτύφθλω, τυφθείς, τυφθεῖσα, τυφθέν: τυφθήσομαι, τυφθησόμενος: ἐτύπλω, τυπείς, τυπεῖσα, τυπέν: τυπήσομαι, τυπησόμενος: τετύψομαι, τετυψόμενος. Item τίθημι καὶ ἐτίθην, τιθεὶς, τιθεῖσα, τιθὲν: ἔθην, θεὶς, θεῖσα, θέν. ἵσημι ἵσην, ἱσὰς, ἱσᾶσα, ἱσάν: ἔσην, σὰς, σᾶσα, σάν. δίδωμι ἐδίδων, διδοὺς, διδοῦσα, διδόν: ἔδων, δοὺς, δοῦσα, δόν. ζεύγνυμι ἐζεύγνυν, ζεύγνὺς, ζευγνῦσα, ζεῦγνυν. Et εἰμὶ ἦν, ὢν ὖσα, ὄν: ἔομαι, ἐσόμενος.

πολ

ΠΕΡΙ ΑΝΤΩΝΟΜΙΑΣ.

PRonomen aliud primitiuũ, aliud possessiuũ, aliud demonstratiuũ, aliud relatiuũ, aliud cõpositum. Primitiua tria: ἐγὼ, ἐμοῦ, ἐμοὶ, ἐμέ. Δ. νὼ, νῷν. Γ. ἡμεῖς, ἡμῶν, ἡμῖν, ἡμᾶς. Σὺ, σοῦ, σοὶ, σέ. Δ. σφὼ, σφῷν. Γ. ὑμεῖς, ὑμῶν, ὑμῖν, ὑμᾶς. Ε. ὅς, οὗ, οἱ, ἕ. Δ. σφὲ, σφίν. Γ. σφεῖς, σφῶν, σφίσι, σφᾶς. Possessiua octo: ἐμὸς, σὸς, ἑὸς, νωΐτερος, σφωΐτερος, ἡμέτερος, ὑμέτερος, σφέτερος. Demonstratiua: οὗτος, τούτου, τούτῳ, τοῦτον, ὦ, οὗτος. Δ. τούτῳ, τούτοιν, ὦ τούτω. Γ. οὗτοι, τούτων, τούτοις, τούτους, ὦ οὗτοι. Ενικά. αὕτη, ταύτης, ταύτῃ, ταύτην, ὦ αὕτη. Δ. ταύτα, ταύταιν, ὦ ταύτα. Γ. αὗται, τούτων, ταύταις, ταύτας, ὦ αὗτε. Ε. τούτο, τούτου, τούτῳ, τούτο, ὦ τούτο. Δ. τούτω, τούτοιν, ὦ τούτω. Γ. ταῦτα, τούτων, τούτοις, ταῦτα, ὦ ταῦτα. Εκεῖνος ἐκείνου, ἐκείνῃ ἐκείνης, ἐκεῖνο ἐκείνου. Relatiuũ unum: αὐτὸς, αὐτὴ, αὐτό: quod tribus personis accõmodatur. Cõposita tria nominatiuo carẽtia: ἐμαυτοῦ, ἐμαυτῷ, ἐμαυτὸν: σαυτοῦ, σαυτῷ, σαυτὸν, & ἑαυτοῦ, ἑαυτῷ, ἑαυτὸν: quod ὧν τῶν πληθυντικῶν tum συνθέτως, tum διηρημένως inflectitur, hoc modo: ἑαυτῶν καὶ σφῶν αὐτῶν, ἑαυτοῖς καὶ σφίσιν αὐτοῖς, ἑαυτοὺς καὶ σφᾶς αὐτούς.

προτότυποι.

Κτητικαί

Δεικτικαί

ἀναφορικά.

σύνθετοι.

ΠΕΡΙ ΠΡΟΘΕΣΕΩΣ.

PRæpositiones aut carent tono, aut acutũ habent

in ultima, ut ἐν, ἐπί. Quum casum sequuntur, tonus transfertur ad priorem syllabam. Οδυσ. α. Φίλων ἄπο πήματα πάσχειν. Sunt autem hæ: ἐν, εἰς, ἐξ, σύν. πρός, πρό, ἀνά, κατά, διά, μετά, πρά, ἀντί, ἐπί, περί, ἀμφί, ἀπό, ὑπέρ.

ΠΕΡΙ ΕΠΙΡΡΗΜΑΤΟΣ.

Aduerbia tẽporis sunt: νῦν, τότε, ποτέ, ἤδη. Loci, ἄνω, κάτω, ἔξω, ἔσω. Ποιότητος, εὖ, καλῶς. Ποσότητος, ἅπαξ, δὶς, πολλάκις. Cõgregandi, ἅμα, ὁμοῦ. Διαιρέσεως, ἄνευ, χωρίς. Exceptionis, πλήν. Ordinis, ἑξῆς. Similitudinis, ὡς, ὥσπερ καθάπερ. Συγκρίσεως. μᾶλλον, ἧττον. Vehementiæ seu ἐπιτάσεως, λίαν, ἄγαν, μάλιστα, πάνυ, σφόδρα. Remissionis, ἠρέμα, μόγις. Confirmãdi, ὄντως, δηλαδή. Negandi, οὐδαμῶς, ἥκιστα. Prohibendi, μή. Coniecturæ, ἴσως, τάχα. Interrogãdi, πόθεν, ποῦ, πῶς. Demonstrãdi, ἰδοὺ, ἠνί. Vocandi, ὦ. Optandi, εἴθε. Exclamandi, οἴμοι, φεύ. Hortandi, εἶα, ἄγε, φερέ. Aduerbia habent speciẽ & figurã. Aliud enim πρωτότυπον, ut νῦν: aliud πρᾶγωγον, ut ἑτέρωθεν Item aliud simplex, οἷον πάλαι: aliud cõpositũ, οἷον πρόπαλαι. Aduerbia præposito articulo nomina fiunt. Lucia. in Caucaso: ἀφανὴς γὰρ ἂν εἴη τοῖς κάτω.

VOCES QVAE NON flectuntur.

Hic

HIC literarum ordine προθέσεων ἐπιῤῥημάτων, coniunctionũq; significationes adponam, duabus de causis. Quod nihil magis orationem exornet, quàm aptus horum usus: & quod in legendis discendisúe autoribus creberrimè occurrant, adeò ut uix ullum inuenias uersum, cuius non dimidium intelligas, si duntaxat hæc, quæ sequũtur, expeditè noueris: quod inter docendum sæpenumero deprehendi. Facile forsitan uideatur cuiuis ea scribere, sed ego hoc labore fructum adolescentium magis, quàm gloriam quæro.

Αγαν nimis. ἀεὶ καὶ αἰεὶ semper. ἀθρόως comprehensim, statim. ἀκριβῶς diligẽter. ἀλλὰ sed. ἄλλως aliter, alioqui. ἅμα simul. ἀμφὶ circum, de, utrinq;. ἄμφις utrinq;, seorsim. ἂν si, completiua dictio, nota modi potẽtialis. Lucianus: τοῦτο ἴσως φαίης ἄν, forsan hoc dicas. ἀνὰ per, accusatiuum habet: ἀνὰ τ' ἔντεα καὶ μέλαν αἷμα, perq; arma & atrũ sanguinem. ἄνευ sine. ἀντὶ pro. ἀντίον contra. ἄντικρυς apertè. Lucianus: φθόνος ἄντικρυς τὸ τοιοῦτο. ἄνω supra. ἁπλῶς simpliciter. ἀὲρ ab. ἆρα igitur, sanè. ἄρα utiq;, completiua dictio. ἄρτι modò. Lucianus: ἄρτι μὲν ταῦροι, ἄρτι σάτυροι καὶ κύκνοι γενόμενοι. ἀτὰρ & αὐτὰρ sed. ἅτε tanquã, utpote. ἀτεχνῶς, uerè, manifestè. αὖ & αὖθις rursus. αὔριον cras. αὐτίκα statim. γὰρ enim. γὲ

δι. quidem. γοῦν igitur, tamen. Δαὶ autem. Lucianus: τίδαὶ ὕβρυσε. δε uerò, δεῦρο huc. δὴ sanè, expletiua particula. δηλαδὴ, & δηλονότι uidelicet. δὲ per, propter. διὸ ideo. διότι propterea, quod.

ε. δίχα separatim, bifariam. Εὰν si. ἐγγὺς propè. εἰ si. εἶθε utinam. εἰκότως meritò. εἰς in, ad. εἶτα deinde. εἶτε siue. ἐκεῖ illic, ibi. ἐν in, semper datiuo iungitur, ἐν οἴκῳ, ἐν ἀγορᾷ. ἔναγχος nuper, modò. ἔνδον, ἐντόν, ἐντὸς intus. ἕνεκα propter, quod aliquando subauditur, ut in primo Οδυσσείας: κύκλωπος κεχόλωτρ, ait Neptunũ iratũ esse Vlyßi propter Polyphemũ. ἔνθα ubi. ἐνθάδε hic, huc. ἐνίοτε interdum. ἐνταῦθα καὶ ἐνταυθοῖ hic, nunc, ibi. ἐντεῦθεν hinc. ἐξ ex, semper cum genitiuo, ἐκ μεγάρων. ἑξῆς deinceps, ordine. ἔξω extra, foras. ἔξωθεν ab exteriori loco. ἐπεὶ, ἐπειδὰν, ἐπειδὴ, ἐπειδήπερ, ἐπειή, ἐπείθην, postquã. ἔπειτα postea. ὦν in, ad, ob. Lucianus in dialogo Iouis & Promethei: σὲ δὲ ὁ ἥφαιστος ὦν τούτοις λυσάτω. Idem: ὦν τούτοις αὐτοῖς ἀδίκημί σε. ἐν in, ad. ἔστ' ἂν, quousq;, donec. ἔστε donec. ἔτι adhuc. εὖ bene. εὐθέως & εὐθὺς confestim. ἕωθεν manè. ἕως donec, quousq;, quãdiu.

η. ἢ uel, quàm, an. ἦ profecto. ἤγουν uidelicet, siue. ἡδέως iucũdè, libenter. ἤδη iam. ἥκιστα minimè. ἦν si. ἡνίκα quando. ἠρέμα paulatim. ἤτοι uel, uidelicet.

ἥπτον

ἧπτον minus. ἰδοὺ ecce. ἱκανῶς satis, abundè. ἵνα ut
ubi. ἰσχυρῶς fortiter. ἴσως forsitan. καθὰ & καθά κ.
περ quemadmodum. καὶ & καὶ γὰρ etenim. καὶ
μὴν atqui. κ' ἂν quamuis. κατὰ cum genitiuo in, ex,
contra, κατὰ αἰσχίνου λόγος, cōtra Aeschinē oratio.
Aliquando ab, ἰλια. α. κατ' ὀλύμποιο καρήνων, ab
Olympi uerticibus. Cum accusatiuo, secundum. κάτω
infra, deorsum. τὰ τῶθεν infernè, ex inferiori loco.
μὰ, non, per, ut μὰ διά. μάλα ualde. μάλιστα ma- μ.
ximè. μᾶλλον magis. μάτην frustra. μὲν quidem.
μέτα cū, post. Xenophon: μετὰ τοῦτο, post hoc. μετ'
ὀλίγον, paulò post. μεταξὺ inter. μέχρι usq;. μὴ ne.
μηδαμῶς nequaq̄. μηδέποτε nunq̄. μηδέπω non
dum. μηκέτι non amplius. μῶν num. ναὶ adfirman
di aduerbiū. νὴ per. νῦν nunc. ὅθεν unde. οἷον ut. ο.
ὅλως omnino. ὁμοίως similiter. ὁμοῦ καὶ ὁμῶς simul.
ὅμως tamen. ὀπίσω retro. ὅποι quò, ubi, hic. ὁπό-
τε καὶ ὁπόταν quando. ὅπου ubi. ὅπως quomodo, ut.
ὅταν & ὅτε quum. ὅτι quòd, quoniam. Interdū quàm
significat, poscitq; superlatiuū. Xenophon ἐν οἰκονο-
μίᾳ: τέκνα μὲν οὖν ἦν θεός ποτε διδῷ ἡμῖν γε-
νέσθαι, τότε βουλευσόμεθα περὶ αὐτῶν, ὅπως ὅτι
βέλτιστα παιδεύσωμεν αὐτά. κοινὸν γὰρ ἡμῖν
καὶ τοῦτο ἀγαθὸν, συμμάχων καὶ γηρωβοσκῶν ὅτι
βελτίστων τυγχάνειν. Paulum infra: καὶ ἄλλα ὅτι

πλεῖστα ἐκ τοῦ καλοῦ τε καὶ δικαίου προσγενήσεται. Hoc est, quàm optimè erudiamus, q̃ optimos cõsequi, alia quàm plurima. οὐδαμῶς nequaquam. οὐδὲ, οὔτε, μηδὲ, μήτε neq;. οὐκ ἔτι non amplius. οὐκοῦν igitur. οὔκουν non, nequaquam. οὖν igitur. οὕτως sic, adeò. Xenophon: οὕτως εἰσόμεθα, sic sciemus. Lucianus in Caucaso: νομὴν οὕτως ἄδικον, partitionẽ adeò iniquam. Πάλιν rursus. παντάπασιν omnino. πάντῃ paßim, per omnia: οὐ πάντῃ ἀσφαλὲς. πάντως omnino. πάνυ ualde. Παρὰ, πὰρ, πραὶ cum genitiuo ab, παρὰ σοῦ, cum datiuo apud, παρὰ σοὶ: cum accusatiuo ad, & præter, ut παρὰ σὲ ἔργομαι, Lucianus in Caucaso: κατελέησατέ με, παρὰ τὴν ἀξίαν δυσυχοῦντα. Inde paradoxa dicuntur, quæ eueniunt præter expectationem. παρέργως negligenter, obiter. πάρος prius. περὶ cum genitiuo de, cum accusatiuo circũ uel circa, ut περὶ τὴν πόλιν. πῆ alicubi, quò, partim. πηνίκα quãdo. πλὴν præter. πόθεν unde. πολὺ multò. πολλάκις frequenter. πόῤῥω longè, porrò. ποῦ ubi. που usquã. πρὶν prius, antea. πρὸ ante, cum genitiuo. πρὸς, Attice ὡς, Ionice ποτὶ, uel πρὸτί, cum genitiuo significat à, per, coràm, πρός τοι θεοῦ τὰ ἀγαθά, à deo, πρὸς τῶν μουσῶν, per musas, πρὸς θεῶν μακάρων, coràm dijs. Cum datiuo iuxta, πρὸς τοῖς πωσὶν, ante

pedes

pedes. Cum accusatiuo motum ad personam, & habitudinē: πρὸς σὲ ἔρχομαι, ὡς τὰ δύο πρὸς τὰ τέσσαρα, οὕτω καὶ τὰ τέσσαρα πρὸς τὰ ὀκτώ. πρόσθεν ante, prius. πρώην nuper, paulò ante. πῶς quo pacto. σὺν cum, datiuum habet, σὺν θεῷ, σὺν αὐτοῖς, σφόδρα, ualde. τάχα uelociter, forsan. ταχὺ celeriter. τε q; uel &. τέως antea. τῆμος tūc. τοὶ dictio expletiua. τοιγαραῦν & τοιγάρτοι igitur, atqui. τοίνυν igitur. τότε tunc. ὑπὲρ cum genitiuo pro, ὑπὲρ κτησιφῶντος. ὁ λόγος. Lucianus: ὁ ἑρμῆς ὑπὲρ ἐμοῦ ἐρεῖ, cum accusatiuo super, supra. ὑπὸ cum genitiuo ab, cum datiuo & accusatiuo sub. φερὲ age. χωρὶς separatim. ὡς ut, ad, quàm. Lucianus in Caucaso: ὅπως μου ὡς δεινότατα κατηγορήσῃς, ut me quàm grauissimè accuses. ὡσανεὶ tanquam, quasi. ὡσαύτως similiter. ὡς ἐπιτοπολὺ ut plurimum. ὥσπερ quemadmodum. ὥστε unde, ergo, quemadmodum.

ΠΕΡΙ ΔΙΑΛΕΚΤΩΝ.

Διάλεκτοι πέντε, ἰὰς, ἀτθὶς, δωρὶς, αἰολὶς, κοινή. Ionica multum usi sunt Homerus, Hesiodus, Archilochus, & Herodotus: Attica Aristophanes: Dorica, Theocritus: Aeolica, Alcæus & Sappho: communi, Pindarus. Διάλεκτός ἐστιν ἰδίωμα γλώσσης. Iones præpositiuis articulis pro subiun-

ctiuis utuntur, ut τὸν pro ὅν. Pro ξέρξης ξέρξου ξέρξεω dicunt. θύρην, ἡμέρην, pro θύραν, ἡμέραν. καλῆσι pro καλαῖς. κεῖνος pro ἐκεῖνος. σοφοῖσι pro σοφοῖς. κόσα ὁκόσα, κῶς ὅκως pro πόσα, ὁπόσα, πῶς, ὅπως. ὄνομα & ὄρος pro ὄνομα, ὄρος. In genitiuis tertiæ declinationis pro ου ponunt οιο, ut θεοῖο. Sine augmento aiunt βῆ & τύπτε pro ἔβη, ἔτυπτε. ijdem pro τέμνειν τάμνην dicunt, unde Hippocrates, φλέβα τάμνην. ποιέειν pro ποιεῖν. ἐπορᾶν pro ἐφορᾶν non mutata tenui in cōpositione. ἀγορεύειν pro ἀγόρευε, infinitum pro imperatiuo. κέκλυθι pro κλῦθι. λελασμένος pro λελησμένος, pro η α breue. In uerbis medijs & passiuis è tertia persona

Attici. secundā faciunt ablato τ, ut τύπτεαι pro τύπτη. Attici θοιμάτιον dicunt αὐτὶ τοῦ τὸ ἱμάτιον. νηρῆδα pro νηρηίδα. νεφεληγερέτα ζεὺς, pro νεφεληγερέτης. ζυμφορὰν pro ζυμφοράν. θαρσαλέον pro θαῤῥαλέον. θάλατταν pro θάλασσαν. μείζους pro μείζονες. τούλαιον, τοῦργον pro τὸ ἔλαιον, τὸ ἔργον. ἑτάρους pro ἑταίρους. ὦ φίλος pro ὦ φίλε. νυνὶ, τουτονὶ, οὑτοσὶ, pro νῦν, τουτον, οὗτος. γονῆς, βασιλῆς pro γονῆς βασιλεῖς, in nominatiuo plurali nominum habentiū ευς. Accusatiuis aliquādo pro genitiuis utuntur, ut ιλιαδ. α. μήτε σὺ τόνδ' ἀγαθόσπερ ἐὼν ἀποαίρεο κούρην, pro τούτου. ἠδυνάμην, inquiunt,

& ἠβουλόμην pro ἐδυνάμην, ἐβουλόμην. ἐὰν ἔλθοις pro ἐὰν ἔλθῃς, optatiuum pro subiunctiuo. ποιούντων, λεγόντων pro ποιείτωσαν, λεγέτωσαν genitiuos participiorũ ponẽtes pro imperatiuis. κλάειν, ποεῖν, πόημα pro κλαίειν, ποιεῖν, ποίημα. Sæpe paßiua uerba pro actiuis usurpant, ut γράφομαι, ποιοῦμαι pro γράφω, ποιῶ, φαινόμενος pro φαίνων. Interdũ actiua pro paßiuis, ut γράφειν pro γράφεσθαι. Pro εἰς ἀθήνας, εἰς οἶκον aiunt ἀθήναζε. οἴκαδε: pro ἐν ἀθήναις, ἐν οἴκῳ, ἀθήνησι, οἴκοι: pro ἐξ ἀθηνῶν, ἐξ οἴκου, ἀθήνηθεν, οἴκοθεν. Atticorum hæc φράσις est, λῆρον ληρεῖς, ὕβριν ὑβρίζεις. Δωριεῖς, μώσας pro μούσας dicunt. ἄλιον, ἀμέραν pro ἥλιον, ἡμέραν. μουσᾶν pro μουσῶν. καλὰς σοφὰς pro καλὴν, σοφὴν, in nominibus fœminini generis pluralem numerum pro singulari usurpantes. πρᾶτος & πράτισον pro πρῶτος & πρώτισον. δῶ pro δῶμα. τὺ pro σε. τὼς ἀνθρώπος. τὼς ἵππος in accusatiuo per ο μικρὸν, pro τοὺς ἀνθρώπους, τοὺς ἵππους. μικκὸν pro μικρὸν, Theocritus: ὦ ζένε μικκὸν ἄκουσον τῇ δ' ἐνθών. τύπτομες ποιοῦμες pro τύπτομεν ποιοῦμεν. Verborum in άω participium pro tertia plurali ponunt, hoc modo, βοῶντι & γελῶντι pro βοῶσι, γελῶσι. Pro ἴσασι ἴσαντι dicũt. ἦς pro ἦν erat. ἦνθον pro ἦλθον. κάλως pro

Δωριεῖς.

καλῶς. In imperatiuis pro ε ponunt ου, ut pro θίγε θίγου. Pro δίδου, δίδοι tertiam personam optatiui. Pindarus: Τὺ δὲ πρᾶξιν φίλαν δίδοι. θᾶσαι pro θέασαι. Theocritus: θᾶσαι φίλος, ὡς καλὸν ὄσδει. Quandoq; subiunctiuis utuntur pro indicatiuis, Theocritus: ἵππον καὶ τὸν ψυχρὸν ὄφιν τὰ μάλιστα δεδοίκω pro δέδοικα. Circumflectunt futura, ut ἀποισῶ pro ἀποίσω. Participijs indefinitorũ apponunt ι. Pindarus: ἐπεὶ τρεῖς τε καὶ δέκα ἄνδρας ὀλέσαις μνησῆρας. ἀνὰ pro σὺν accipiunt. Vnde Homerus: χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ, & Pindarus: χρυσέαις ἂν ἵπποις. Aeoles βρόδα & βράκη dicunt pro ῥόδα & ῥάκη. πόταμος & κάλος pro ποταμός, καλός. Accusatiuis fœminini generis apponunt ι, ut καλαῖς, σοφαῖς pro καλὰς, σοφάς. Vocales in principio dictionum tenui spiritu proferunt, ut ἡμέρα, ἥλιος, ὑμεῖς pro ἡμέρα, ἥλιος, ὑμεῖς.

Aeoles.

Τέλος.

IOACHIMI FORTII RING. ANDOVERpiani Dialectica.

EPISTOLA AD LECTOREM.

Dialecticæ præceptiones in particulas quatuor distribuemus. In quarũ prima tradentur, quæ ad uoces pertinent: in secunda axiomata: in tertia sylogiſmi, enthymemata, inductiões, exempla: in quarta locorum ratio. Hic nihil prætermittemus, quod Dialectico neceſſarium ſit, tametſi fortaſſe breues nimiũ uideamur. Idẽ quoq; in oratorijs præceptis conabimur efficere. Vale. Andouerpiæ quinto Idus Maij. Anno M. D. XXIX.

QVID DIALECTICE, ET quot eius partes ſint.

Dialecticen artem docendi uocamus. Docet enim naturam thematum omnium ſimplicium definitione, ac diuiſione: cõpoſitorum, confirmatione, quæ è locis petitur. Quaſi quis careat, fieri poteſt, ut adiutus Vſus Dieloquẽtia è uerbis elegãtibus uenuſtã cõſtruat orationẽ lectices. ſed ſi rerum ordinem ſpectes, uidebis nihil cohærere,

eaq;

eaq; in medio uel fine poni, quæ principio erant absoluenda, & nihil recte ex alio sequi. Nam Dialectice ad res: Rhetorice ad uerba magis pertinet. Id interest inter Rhetoricen & Dialecticen, quòd hæc breuiter ac aperte rẽ tradit: illa copiosius eandẽ explicat. Hæc docendi legem: illa eloquendi modũ aperit. Zeno Dialecticen compressæ in pugnum manus: Rhetoricen explicitæ dicebat similẽ. Quod explicatius hæc: illa contractius seu breuius rem eandẽ eloquatur. Partes eius duæ τοπικὴ & κριτικὴ, hoc est ratio inueniendi, & forma iudicandi. Prior locos demonstrat, unde petitur medium, quo probemus axioma uerũ esse siue falsum. Posterior uim seu intellectum docet thematis tum simplicis tum compositi. Simplicis: ut sit ne ipsum species, genus, differentia, propriũ, accidens, substantia, quantitas, qualitas, relatio. Qua forma finiatur. Quæ eius sint partes, species, officia. Compositi: ut sit ne uerum, falsum, adfirmãs, negans, generale, particulare, necessarium, cõtingens, impossibile. Hæc cõtinet modos colligendi syllogismum, enthymema, inductionem, exemplum. Ea ergo, quæ de uocum generibus, definiendi diuidendiq; ratione: deniq; de pronuntiatis ueris, falsis, generalibus, contrarijs, cõtradictorijs infra dicemus, ad iudicationem præcipue referenda sunt. Fit tamẽ, ut eadem præceptio ad partem utranq; pertineat. Gene-

τόπος, est locus, ĩde τοπικὴ ars locorũ. Et κρίνω iudico, inde κριτικὴ ars iudicandi.

ris

ris nanq; & speciei uocabula ad criticen spectant, quũ dicimus, herbam esse genus: hominem speciem non genus, quod eadem mortalibus cunctis forma sit. Ad topicen uero, quum ex ijs argumenta ducuntur: Fortitudo est, igitur et uirtus: animal nõ est, ergo nec homo. Quatuor partibus disserendi artem absoluemus. In prima describentur dictiões: in secunda propositiões: in tertia probationes: in postrema loci.

PRIOR VOCVM DIVISIO.

Vox singularis seu idiuidua.

VOces omnes quibus oratio cõstat, aut sunt singulares, aut cõmunes. Singulare nomen siue indiuiduũ uocamus, quod rem duntaxat unam signat. Vt Cicero, Vergilius, Plinius, Bucephalus, hæc herba, iste liber, illa domus. Id aliorum omniũ origo est. Quippe sicut momentum temporis principium est: unitas numeri: & punctus magnitudinis: sic reliquarum uocũ, indiuiduum. Porrò uoces cõmunes nuncupantur, quæ de alijs uocibus prædicari, uel quæ alias describere possunt: ut uestis, fera, equus. Dicimus enim & penulam uestem esse: & feram leonem: & Bucephalum equum. Harum quinque formæ: genus, species, differentia, proprium, accidens. Genus est nomen commune multis speciebus: aut uocabulum, quod primum occurrit in definienda specie: uel id quod prædicatur de diuersis rebus, quæ forma aut specie differunt: Vt animal,

Genus.

mal, lapis, gemma, prudentia, iusticia, fortitudo, temperantia. Animal prædicatur de homine, leone, pisce, quibus diuersa species seu forma est. Duplex est genus. Summum: ut substantia, quantitas, qualitas, relatio. Et medium, quod etiam species est: corpus, animal, arbor, lapis. Species est commune nomen proximum indiuiduis: uel quod primum occurrit in definiendo indiuiduo: ut homo. Hæc quoq; duplex est. Infima, quæ proprie species est, & quam modo definiimus: equus, leo, lupus: Media, quæ etiã genus est: ut piscis, fera, auis. Differẽtia: est qua species inter se differunt: uel quæ species eiusdem generis discernit: uel propria rei nota, qua ab alijs distinguitur rebus. Vt sentiens, non sentiens, capax rationis, expers ratiõis. Peripatetici differentiã aiũt significare partẽ alteram rei cõpositæ. Sentiens enim in se cõplectitur animã sensitiuam, quæ est altera pars animalis. Et intellectualis intellectum. siue animam capacẽ rationis, alteram hominis partem. Quoniã sic uoces interpretantur. Sentiens, habens animam, quæ sentit: non sentiens, habens animam, quæ non sentit, qualis est in plantis: & intellectualis, habens intellectum, uel animum præditum ratione. Ideoq; inquiunt accidentibus non esse differẽtias quod nõ cõponantur ex materia & forma. Subtiliore tamen iudicio uolunt, etiam quædã accidẽtia esse, quæ

Species.

Differẽtia.

simile

ſimile aliquid materiæ ac formæ habeant. Vt quũ peccatum nuncupamus actionem illicitam cum praua uoluntate: peccati materia eſt illicita actio: forma uerò eius, & differentia, qua ab alijs diſtat actionibus, eſt praua uoluntas, ſine qua peccatum dici non debet: ſicuti nec animal mente carẽs, homo. Sic per paucas differentias habent. Difficile eſt enim inuenire illam uerã naturam interiorem, qua differt equus à leone, qua ab eſculo pinus diſtat. Cæterum oratores, qui loquendi legibus uti, quàm ſeruire malunt, differentiam appellãt omne id, quo res una ab altera diſcernitur. Hi pro ſubſtantiarum atque accidentium differentijs, eorum officia, effectus, uel ſubiecta ponunt. Sic diem efficere, mouere aquas, loqui, diſſerere, dicere, numerare, canere, eſſe in animo, eſſe in corpore: differentiæ ſunt Solis, Lunæ, Grammatices, Dialectices, Rhetorices, Arithmetices, Muſices, uirtutum, palæſtricæ. Ita dicimus prudẽtiã ab iuſticia diſtare ſubiecto et officio. Huius enim ſubiectũ uoluntas eſt, illius intellectus. Huius officiũ, unicuiq; rei tribuere ſuum: illius, perſpicere præterita, præſentia, & futura. Quin propria quoq; pro differẽtijs accipiũtur. Sermone enim homo à cæteris differt animantibus: & hinnitu equi à bobus. Nam ſi quis inter hominem & equum quærat diſcrimen: adpoſite reſpondeas homines loqui, equos

hinnire.

Proprium. hinnire. Propriũ est propria rei indoles, siue natura, quæ competit uni speciei tantum, idq; uniuersæ: ut numerare, loqui, ridere, quæ assignantur homini. Aristoteles quatuor species enumerat. Quod omni, & sed nõ soli competit, ut bipedem esse: quod soli sed non omni ut medicum uel literatum esse: quod omni & soli sed non semper, ut canêre: quod omni & soli & semper, ut loqui ridere, hinnire. Postremum uerò proprium uocat. A differentia distat. Hoc enim officium: illa partem indicat rei. Differt ab accidente. Quoniam proprium natura semper adest rei, cui proprium est: accidens nunc adest nunc abest: ut album esse, nigrum esse, poëtam esse, oratorem esse. Proprium nuncupant, quod sit natura quædã peculiaris toti alicui speciei & soli. Vt loqui hominibus omnibus commune est, & solis hominibus datũ. Accidens speciebus pluribus sæpenumero congruit: ut esse album, nigrũ, uelox, segne. Sæpenumero dixi, propter Poëticen ac artem dicendi, quæ hominibus solis tribuuntur. Neque semper adsunt, quoniam longo labore ipsa comparantur. Quòd si poëtice & oratoria ars semper adessent

Cõfutatio. omnibus uiris, fœminis, pueris, senibus: haud dubie homini propria dicerentur. Quamuis primo anno à natali die homo nõ loquatur: ea tamen res nihil impedit, quò minus loqui sit proprium hominis: quum tot uiri,

tot

tot fœminæ excepto fortaßis uno aut altero muto à pueritia ad finem uſq; uitæ loquantur. Nec etiã obſit, quod pauciſſimæ aues magno labore ad rem eandem interim perueniant: Vt ſummatim uocis naturã demonſtremus: quanto aliquid pluribus competit ſpecierum indiuiduis, quantoq; crebrius, tanto id magis ijſdem eſſe proprium iudicamus. Sic numerare minus homini proprium, quàm loqui uidetur, quoniã rarius numeret, quàm loqui uidetur, quoniam rarius numeret, quàm loquatur. Item loqui magis eſſe homini proprium diceretur, quàm eſt, ſi aues prorſus nullæ loquerẽtur: atq; ſi nulli eſſent muti, aut infantes. Hæc explicatius ſcripſi, quod complures ſint, qui uocum harum diſcrimen ignorent. Accidens dicitur nomen cõmune uagantem naturã ſignificans, quæ tum adeſſe, tum detrahi alteri poteſt: ut calor, rigor, religio, pietas, gratia, nitor, poëta, domus, doctrina, honor, opes. Etſi pleraq; accidentia ita hærent in ſubſtantijs, ut natura ſeparari inde nõ queant: ut calor in igni, candor in niue & cycno: intellectu tamen ac cogitatione ipſa diſcernuntur. Intelligimus enim aliud eſſe calorem, candoremq;: aliud ignem, niuem, cycnum. Accidens.

VSVS DICTORVM.

Dvplex eorum uſus eſt, quæ de uocum ratione dicta ſunt. Alter, quod ex præceptionibus ijs

discimus, quæ uoces de quibus prædicẽtur, Genus nãq; differentia, ac proprium de specie dicuntur: ut homo animal est, homo rationis capax est: homo numerare loqui, disserere potest. Species de indiuiduo: ut Bucephalus equus est. Accidentia de genere, specie, ac indiuiduo prædicantur, sed non necessario: ut Cicero est orator. Alter, quod conducunt ad finiendum & diuidendum. Species quippe definitur per genus, differentiam, proprium, accidens.

ALTERA VOCVM DIVISIO.

DVæ uocũ diuisiões. Prior in singulares ac communes. Posterior in quatuor genera, quæ uulgus κατηγορίας appellat. Omnia enim uocabula aut sunt substantiarum, aut quantitatum, aut qualitatum, aut relationũ. Diximus antè quid genus, quid species, quid differentia, quid proprium, quid accidens: hic generum specierum, differẽtiarum, indiuiduorum uaria ponentur exemplа. Vt si quis generum multitudinem quærat, in hisce rerum ordinibus cernẽtur: animal, herba, arbor, frutex, flos, metallũ, gẽma, corpus, prudẽtia, iusticia, fortitudo, morbus, numerus, linea. Si specierum: homo, equus, leo, aurum, plumbum. Si differẽtiarum: corporeum, incorporeũ: uiuũ, inanime: sentiẽs sensu carẽs. Si accidentium: uirtus, uitiũ, ædificiũ, morbus. Nec mirum uidericuiquã debet, qd morbi uocabulum

1. Prædicatiões, ita dictas, q; cõtineãt uoces cognatas, q̃ de se mutuo possint prædicari.

lem modo inter genera posuimus: nunc inter accidẽtia Quippe res eadẽ & accidens esse, & genus, & speci espotest, quẽadmodũ homo idẽ pater, filius, rex. Quo rum primũ generis, secundum speciei, postremum ac= cidentis similitudinẽ exprimit. Vt iusticiæ nomẽ acci= dẽs est hoïs, gratitudinis genus, et forma uirtutis. Arẽ stoteles decem uocum ordines ponit, quorum sex poste riores ad relatiua pertinẽt, & aliqui eorum adeò pau cas dictiones, quibus utimur, comprehendũt, ut operæ precium nõ sit propter eas nouos ordines excogitare.

DE VOCIBVS, QVAE SIGNI= ficant substantias.

SVbstantia res est per se cõsistens. Hæc in species duas corporeã, atq; incorpoream diducitur. Cor porea in simplicem et concretã. Simplex in orbes cœle stes decem, & quatuor elementa. Concreta in animatã ac inanimem: Viua in sentientem, & non sentientem. Sentiens, in substantiam capacem rationis, & ratione carentem. Ad substantiarum ordinem referrẽdæ etiam partes earũ: ut oculus, auris, facies, os, ramus, flos, fo lium, truncus, radix. Substantias diuidunt in primam & secundam. Prima est indiuidua uel singularis, ut Demost. Ci. Verg. hæc gẽma. Ita nominatur, quod sen sibus sit propinquior, primaq; his occurrat. Secunda quæ de indiuiduis prædicatur. Vt species & genera homo, animal, leo, fera.



Cubus est corpus solidum ex omni parte quadratum

Hunc substantiarum ordinem magnitudinum nominibus conferre licet, hoc modo: Plato lineæ similis est: homo superficiei: Animal corpori: corpus uiuum pyramidi

pyramidi: corpus cubo, & substantia sphęræ, quæ omnium capacissima est.

ORDO QVANTITATVM.

QVantitas est, qua substantiæ in spatia ac numeros diuiduntur. Ea duplex est. Continua, qua res in spacia: Discreta, qua in numeros partimur Continuæ duo genera: permanens, & succeßiuum. Permanentis tres species: longitudo, latitudo, profunditas, hoc est, linea, superficies, corpus, ne in relationẽ incidas. Linea est longitudo sine latitudine, & profunditate. Huc referantur ea, quibus rerũ mensura in longum sumitur. Cuiusmodi sunt: ulna, cubitus, granum digitus, palmus, pes, passus, stadium. Superficies est latitudo sine profunditate. Huc pertinet iugerum. Circulus uerò ad sequentis ordinis speciem postremam. Non enim magnitudinem notat aliquam, sed figuram, quæ in planicie depingitur. Quando autem circulum esse dicimus, superficiem planam, quæ una in orbem ambiente linea comprehenditur: non uolumus planiciem eam genus esse circuli, sed figuram, quæ superficie plana constat in orbem æquata. Corpus est longitudo cum latitudine, & profunditate. Hic corpus solam magnitudinem significat, aliter ac inter substantias. Succeßiuum dicitur, quod in fluxu & agitatione cõsistit. Eius duæ species motus et tẽpus. Motus in rectum

Quid circulus.

circularem, & mistum diuiditur. Primo elementa ferruntur grauia duo deorsum, totidē leuia sursum: secundo, mundus: tertio animalia per montes ac ualles incedentia. Tempus in parteis quatuor, annum, mensem, diem, horam: de quibus & librum & tabulam conscripsimus. Porrò quantitas discreta est, quū quærimus quot sint res. Eius unica species est, nempe numerus, hoc est unitatū collectio: ut duo, tria, quatuor binarius, ternarius, quaternarius. Secundus, tertius, quartus, quintus relatiua sunt. Ad quantitatū ordinem pertinent gradus herbarum, signa, partes, minuta circulorū, quibus sicipsi distinguūtur, ut lignum aliquod pedibus palmis, digitis. Et mensuræ nomina: uncia, sextans, quadrans, triens, quicunx, semis, septunx, bes uel besis, dodrans, dextans, deunx, as. Item semuncia sextula, duella, drachma, siliquum: quarum uocum descriptiones in Elegantijs posuimus. Dicimus enim alicuius lineæ, superficiei, corporis, motus, temporis unciā, trientem, dodrantem. Vt quadrans motus quo mundus circumagitur, sex continet horas, Cuius classis hæc sit tabula.

Recta



QVALITATES.

QValitas est adfectio aut animi, aut corporis, unde appellationē aliquā accipimus. Vt prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia, Rhetorice: unde dicimur prudentes, iusti, fortes, temperantes, Rhetores. Eius quatuor sunt species: habitus, adfectus, sensum mouens, & figura. Habitus, est qualitas animi uel corporis, consuetudine agendi parta, qua facilius

& certius aliquid agamus. Vt facultas orandi, animi ἕξις est, palestrica corporis. Habitum in duo genera diuidimus: animi & corporis. Habitus animi duplex est. Alius enim in intellectu consistit, ut prudentia, & artes omnes. Alius in uoluntate, ut cæteræ uirtutes iusticia, fortitudo, temperantia. Habitus corporis, ut uires, aut robur, uelocitas, agilitas. Adfectus est animi pturbatio, uel, ut Græci aiũt, πάθος. Quatuor adfectuum formæ, ægritudo, metus, lætitia, cupiditas. Tertia species est qualitas sensum mouens: ut sonus, color, odor, sapor: quæ quatuor mouẽt auditum uisum, olfactum, gustum. Ad tactum plura referũtur, calidum, frigidum, humidum, siccum, & quæ horum mistura cõstant, durum, molle, asperum, læue. Ad hæc referendæ naturæ herbarum, lapidum, metallorum. Quartum ac postremum qualitatis genus est forma uel figura. Huc omnia spectãt quæ manu uel industria hominis conficiuntur. Quod genus, mensa, domus, templum, nauis, sedes, panis, uestis, penula, pannus. Nam quum aliquis dicit se emisse domum, pannum, aut uestem, extemplo formam uel figuram, quàm illæ res habent, mente concipimus, sed qua substantia seu materia constent, ignoramus. Lapis tamen, lignum, aclana substantiæ sunt. Item figuram significant circulus, triangulus, & similia. Notant enim formam superficiei,

quæ

quæ à nobis & confici, & immutari rursum potest. Alijs alia huius classis distinctio placet, uerum hæc ad usum communem uidetur accommodatior. Qualitates ferè sunt instrumenta substantiarum. Vt calor, frigus, humor, siue siccitas in herbis instrumentum est, quò ipsæ hominem interimunt. Grammatice, Dialectice, Rhetorice, Medicina instrumenta sunt, quibus loquimur, docemus dicimus, medemur. Ad hunc ordinem igitur referre licebit omnia uirtutum, uitiorum, colorum, ac saporum genera, quæ in libro de Homine tradidimus, Artium cunctarũ tum seriem, tum subiecta descripsimus in Chao.


Qualitatũ genera quatuor.
Habitus
Animi
Intellectus
Prudentia
Artes oĕs
Grãmatice
Dialectice.
Rhetorice.
Volũtatis
Iuſtitia.
Fortitudo.
Temperantia.
Corporis
Robur.
Velocitas.
Agilitas.
Adfectus
Aegritudo.
Metus.
Lætitia.
Cupiditas.
Senſum mouens
Sonus
Color
Vox, ſtrepitus.
Mugitus, tonitruum.
Odor.
Sapor.
Calidum, frigidum, durum, molle.
quæ tactu percipiuntur.
Forma, uel figura
Domus, templum, menſa.
Nauis, carina, uelum.
Fiſtula, enſis, circulus.

DE RELATIVIS.

Relatio, est rerum inter se collatarũ unius ad alterã habitudo. Duo relationũ genera: simplex & mixtum. Simplex relatio in formas tres diuiditur. Quarũ prima est substãtiæ: ut idẽ, diuersum. Secunda quãtitatis: ut æquale, inæquale: æqualitas, inæqualitas, proportio, hoc est, duarũ magnitudinũ similis habitudo: maius, minus: par, impar: duplũ, triplũ: multũ, paucum: magnũ, paruũ. Par & impar duobus modis accipiuntur. Absolute, quãdo binariũ, quaternariũ, senarium numeros pares nuncupamus. Relatiue, quũ dicimus res aliquas alijs rebus numero esse pares. Tertia qualitatis: ut antœci, periœci, antichthones seu antipodes: simile, dissimile: dominus, seruus, cõsul, iudex, rex, populus, proconsul, prouincia, & omnium magistratuum nomina: emptor, uenditor, accusator, reus, metropolis, colonia, pater, filius, auus, nepos, maritus, uxor, socer, gener, frater, soror, & reliqua cognationum uocabula. Item præceptor, discipulus, patronus, cliens, dux, comes, amicus, inimicus, hospes, peregrinus, creditor, debitor, & inde uerba credere, debere. His addũtur uoces, quæ ex præpositione non sunt contextæ, ut collega, consors, conuictor, cõtubernalis, coniunx. Et similis significationis, socius, sodalis. Mixta sex generibus constat. Oritur enim uel ex substantia

& qua-

& qualitate: sed bifariam. Siquidem ea aut in mouendo, agendoq; consistit, sic actio dicitur: aut in patiẽdo, sic passio. Vt legere, docere, scribere: legi, doceri, scribi Huc pertinent causa uel signum & effectus. Quippe nihil est causa uel signũ, nisi effectus alicuius sit causa uel signũ. Apud plerosq; dubitatio existit: sint ne astra causæ effectuum, siue rerum, an signa. Vel relatio oritur è substantia, & quantitate. Hoc itẽ bifariam. Aut in comprehendenda re, sic locus efficitur: aut metuenda, sic tempus. Hoc, quando: illum, ubi Aristotelici nominant. Locus est circumfusus, uel aër, uel aqua, uel res aliqua alia, qua quicquam continetur. Vt cœlum est locus siderum, aër, nubium, uẽtorum, auium, aqua piscium. Locus refertur ad id cuius locus est. Vel ex substantia relatione a aut qualitate. Id quoq; binis modis. Vel in occupando loco, sic positus oritur, quẽ nunc situm, nunc, compositum esse uocant. Vel in qualitate accipienda induendaúe, sic habitus procreatur. Porrò eorum, quæ sita sunt, alia nunquàm mouentur ut, terra: alia nunquàm quiescunt, ut cœlum: alia medium seruant modum, ut homo, equus, leo pisces. Rursus animantium & præcipue hominum positus tres species habet; stare, sedere, iacere. Recumbamus tribus modis: proni, supini, obliqui. Habitus est corporis et eorum, quæ circa corpus sunt applicatio, per quam

hoc

hoc habere, illa haberi dicuntur. Sunt itaq; mixtæ relationis ſpecies ſex: actio, paſſio, ubi, quando, ſitus, habitus. Quarum duæ priores naſcuntur é ſubſtantiarum qualitatumq; actione. Mediæ duæ è capacitate, qua ſubſtantias locus & tempus comprehendunt atq; metiuntur. Reliquæ è ſubſtantiarum habitudine prona aut ſupina ad locũ: atq; ex habitudine earundem ad qualitates, ut penulas, togas, ueſtesq; alias

Idem


Relatio
Simplex
Substantiæ
Idem.
Diuersum.
Quãtitatis
Aequale, Inæquale.
Magnum, Paruum
Par, Impar.
Qualitatis
Simile, Dißimile.
Herus, Seruus.
Dux, Comes.
Mixta
Actio
Docere.
Secare.
Gignere.
Paßio
Doceri.
Secari.
Gigni.
Vbi
Sursum, Deorsum.
Dextrorsum, Leuorsum
Quando
Olim, nuper, dudum.
Heri, cras, perendie: quæ
referũtur ad tẽpus pñs.
Situs
Statio, Seßio.
Pronum, Supinum.
Habitus
Togatum, Penulatum.
Loricatum, Armatum.

Relatiões breuius hunc in modũ nõnulli distingũt. Relatiua omnia esse, aut alicuius, hoc est, quæ iunguntur genitiuo, qualia sunt: imperator, rex, prætor, dictator consul, pater, filius, auus, nepos, maritus, uxor, socer, gener, frater, soror, præceptor, discipulus, patronus, cliẽs, dñs, seruus, dux, comes. Aut alicui ut æqualis inæqualis, par, impar, uicinus, propinquus, similis, dissimilis. Aut ad aliqd: ut magnũ, paruũ, longum, breue, mõs, uallis, altũ, humile, sublime, depressum. Itẽ primus, secundus, tertius, quartus, quintus, sextus, uigesimus, cẽtesimꝰ, millesimꝰ. Quippe nihil esse secũdũ põt aut tertiũ, nisi aliud primũ sit. Eodẽ pertinent simplex duplex, triplex, quadruplex. Et simplũ, duplum, triplum, quadruplũ, dimidium. Nã duplũ ad aliquid simplum refertur, sicut magnũ ad paruũ: altũ ad humile sursum ad deorsum, supinũ ad pronũ, longũ ad breue secundũ ad primũ. Relatiuorũ natura est, ut unũ sine altero nequeat intelligi. Pater enim esse nemo potest sine filio, nec mõs sine ualle, nec dux sine comite. Itẽ relatiua inuicẽ se definiũt. Pater est, qui habet filiũ. Filius qui habet patrẽ. Maius, quo aliquid minus est. Minus quo maius aliquid reperitur. Maritus, q uxorẽ habet. Vxor, cui maritus est. Et relatiua simul aũt oriri, cõsistere, desinere. Siquidẽ eodẽ tẽpore fiunt, & desinũt esse, dñs et seruus, præceptor & discipulus, auus et nepos, dux & comes.

Triplex natura relatiorum.

Q. VID

QVID THEMA ET quot eius ſpecies.

DVas uocum diuiſiones abſoluimus, alteram in induiduas & communes, alteram in dictiões ſubſtantiarum, quantitatum, qualitatum & relationum. Reliquum eſt, ut dicamus, quomodo ſingulæ uoces, definiri et diuidi poſſint. Thema, eſt id de quo agitur, uel eſt id, ad quod omnia orationis, ſeu diſceptationis argumenta referuntur. Thematum duo genera ſunt. Simplex thema, eſt uox aliqua ſimplex: ut deus mundus, homo, animal. Compoſitum, eſt integra oratio, ſiue pronunciatum, uel axioma. Clodius iure cæſus eſt. Mundus prouidentia regitur. Diſſerendi ratio ad diſciplinas omneis neceſſaria eſt.

DE DEFINITIONE nominis.

TRia Dialectices officia ſunt: finire, diuidere, ratiocinari. Finitio & diuiſio ad themata ſimplicia pertinent: argumentatio ad orationẽ. Definitio eſt oratio, quæ aut uocis, aut rei alicuius naturam declarat. Ea duplex eſt, nominis & rei. Finitio nominis, eſt ſimplex ætymologia, uel qualiſcunq; interpretatio uocabuli. Vt ſacrilegium eſt ſacræ rei ablatio. Conſul qui Reipub. conſulit. Theologus, qui de deo loquitur. Medicus, qui medetur. Id genus finitiones imperfectio

res

res sunt, quàm descriptiones rerum, neq; rerum naturam explicãt, sed uocum duntaxat originem. Quoniã non contiuuo scimus, qui consulentes Reipub. consules uocandi sint. Nam & miles in pugna Reipub. consulit & ciuis ædificans domum, consulit Reipub. Sic nõ statim liquet, qui de diuina mente disputantes theologi sint. Etenim & philosophi, & poëtæ, et oratores crebro de deo disserunt, nec ideò ipsos eo cognomento nũcupamus. Sic de medici descriptione dicendum: herbas complures, & bruta animantia mederi posse, non tamen medicorum nomen usurpare. Cæterum nominis finitio planè necessaria est, præsertim quando uox, de qua agitur, est ambigua. Docet enim principio disceptationis, orationis, uel operis, qua uerbi significatione uti uelimus. Vt scripturi de mundo, initio exprimere debemus, quid nos appellemus mundum. Est enim mundus proprie qui constat ex decẽ orbibus siderum & quatuor elemẽtis. Plinius mundi uocabulo pro cœlo interim utitur: uulgus quandoq; pro terra.

Quid mundus.

DE SVBSTANTIAE finitione.

ALtera est finitio rei. Quæ est oratio, qua quid sit res explicatur. Huius quinq; species sunt: finitio substantiæ, finitio causarum, finitio quæ constat ex effectibus seu officijs, finitio quæ constat ex partibus uel

bus uel speciebus, & finitio, quæ ex accidentibus componitur. Substantiæ definitio est, quæ constat ex genere & differentia. Vt homo est animal habens mentem. Animal est corpus uiuum & sentiens. Planta, est corpus uiuum & non sentiens. Ignis est elementum calidum & siccum. Elementũ, est substantia corporea & simplex infra orbem Lunæ. Deus est substantia carens corpore, à qua res omnes sunt cõditæ. Quod addo propter animas, quæ etiam sine corpore sunt substantiæ. Differentias, quum defuerint, excogitare licebit. Vt herba plantæ genus est, quod quotannis aresci. Sic enim distat à fructice, & arbore. Pro ijs sæpe accidentium congerie utimur. Ita calidum et siccum uocamus differentiam ignis: calidum & humidum, aëris: frigidum & humidum, aquæ: frigidum & siccum terræ.

DE CAVSARVM FINItione, & quatuor causis.

DEfinitio causarum est, quæ ex causis rei constatur, uel quæ rei causas exprimit. Causã proprie uocamus id, ex quo, per quod, à quo, siue gratia cuius aliquid fit. Causæ quatuor sunt: materia, forma efficiens, finis. Materia est, ex qua aliquid fit. Vt pannus est materia uestis. Lana est materia panni. Ligna & lapides sunt materia domus. Forma est ipsa figura, effigies, seu qualitas, quam induit materia. Vt figurã

Materia.

Forma.

gura illa, quam habet domus, est forma & causa domus, sine qua domus, non diceretur. Et figura illa, quã præ se fert nauigium, est forma & causa nauis: quippe sine ea huiuscemodi lignorum structura nauis uocari non posset. Est ergo forma causa domus, nauis, uestis, urbis, & aliarum rerum. Causa efficiens, est res, quæ aliquid efficit: ut architectus, uel faber est causa efficiens domus & nauigij. Finis est gratia cuius aliquid fit. Hic alio nomine usus dici potest, quemadmodum causa efficiens autor. Domus finis, uel causa est habitatio, ut nos defendat ab imbre, & tempestatibus. Finis nauium, nauigatio est. Quatuor ergo domus, et nauis causæ sunt, sine quibus neq; domus, neq; nauigium fit. Materia, hoc est, ligna & lapides: forma, id est, figura illa, quam habent domus & nauis: efficiẽs ut architectus aut faber: finis, ut habitatio, nauigatio. Simili ratione aliarum quoque rerum causæ possunt indagari. Ex his quatuor causis finitiones rerum conficimus. Vt domus est ædificium è lignis & lapidibus habitationis gratia constructum. Hæc finitio duabus constat rei causis, materia & fine. Aedificium genus est. Penula, est uestis uilis et densa, qua cæteras ab imbre custodimus, Cæteras ab imbre defendere, finis est, & causa penulæ. Vestis, genus est. Vilis & densa, accidentia sunt differentiæ loco posita, quibus penula

Causa efficiens.

Finis.

ab alijs differt ueſtibus. Hac uoce Cicero utitur, ubi ait Milonem penulatum fuiſſe, quum occideret Glodium. Ad hunc locum pertinent definitiones nominum relatiuorum, quorum unum alterius cauſa eſt, et quæ mutuo ſe definiunt. Vt pater eſt, qui habet filium. Filius, qui habet patrem.

FINITIO EX EFFECTIbus, ſeu officijs.

EX effectibus, ſeu officijs haud rarò finitiones cõponuntur. Magna eſt effectuum cum officijs cognatio, adeò ut plerunq; haud facile diſcernas. Effecta propriam cuiuſq; rei uim demonſtrãt. Vt magnes eſt lapis, qui attrahit ferrũ: hæmatites, qui ſanguinem ſiſtit. Malua herba eſt, quæ uentrem lenit. Sol ſidus eſt cuius ortu dies fit. Luna ſidus eſt, cuius ui fluunt ac refluunt maria. Sirius ſtella eſt, qua exoriente ardor ſoris geminatur. Ex officijs. Iuſticia uirtus eſt, qua unicuiq; rei tribuimus ſuum. Grammatice eſt, quæ recte loquendi modum docet. Rhetorice eſt, quæ bene dicẽdi præcepta tradit. Prætor eſt qui iuri dicendo in ciuitate præeſt. Aedilis, qui publica & priuata ædificia curat. Comœdus, qui actores, quomodo agendæ ſint fabulæ, docet. Effectus magis ad res natura agentes: officia uerò ad res, quæ conſilio agunt, pertinent.

FINI-

FINITIO EX PARTIBVS uel speciebus.

QVartum definitionum genus componitur ex partibus, uel speciebus. Ex partibus. Dies ciuilis, est spatium uiginti quatuor horarum. Annus uertens, qui constat diebus tercentum sexaginta quinq; et quadrante diei. Magnus annus, qui quadraginta nouẽ uertentium annorum millia complectitur. Ex speciebus. Finitio, est oratio quæ aut uocis, aut rei alicuius naturam declarat. Hæc desciptio è duabus contexitur finitionum formis, nominis et rei. Differunt species et partes. Nam genus prædicari potest de speciebus, totum de partibus nequaquam.

FINITIO EX ACCIDENTIBVS.

QVintum finiendi genus constat accidentibus. Homo est animal, bipes, erectum, sine pennis. Narcissus, flos est croco similis, mense Augusto florens, postremus omnium florum. Ceruus est animal quadrupes, pilo subrufo, ungula bisulca, ramosis ac solidis cornibus, & ad septennium usq; deciduis.

QVAE SERVANDA sint in finitione.

DIfferunt finitio & finitum. Finitio enim proprie uocatur id, quod uerbũ est, consequitur. Finitum, id quod præcedit. Vt in hac oratione, homo

est animal capax rationis: homo definitum est: animal capax rationis, finitio. In finiendis rebus duo seruanda sunt. Ne finitum plura comprehendat, quàm finitio. Et contra ne finitio aliquid contineat, quod desit definito. Quare hæc finitio uitiosa est: homo est animal bipes: quia tum gallinæ, tum anseres bipedes sunt. Et hæc: homo est animal literatum, ac bellicosum: quoniã pleriq; imbelles sunt, et literarum expertes. In priore latius definitio patet: in posteriore definitum. In omni finitione genus definiti ponendum, aut aliquid loco generis. In orationibus, uel libris finitio thematis scopus esse debet, & regula omnium eorum, quæ de themate illo tradũtur. Vt si quis de Dialectices, Rhetorices, uel mundi natura scripturus sit, ita uocem finiat, oportet ut rei totius summam quàm breuissime complectatur. Quod fit, quum dicimus: Dialecticen esse artem docendi siue explicandi naturam thematum simplicium & compositorum. Rhetoricen esse bene dicendi scientiã. Sola species definitur.

DE DIVISIONE.

Triplex diuisio.

Diuisio est uocis in species, uel partes, aut accidẽtia distinctio. Diuisionũ tres sunt formæ. Quarum prima est generis in species. Sic corpus uiuum in plantam & animal diuiditur: arbor in malum, pyrũ pinum: axioma in simplex & compositum. Secunda, rei in

rei in parteis, uel membra. Vt quum arborem in radices, caudicẽ, ramos, fólia, flores partimur. Axioma in ſubiectum & prædicatum. Hanc Cicero partitionem: illam ſuperiorem, diuiſionem nominat. Tertia, rerum in accidentia. Vt pharmacorũ aliud ſalutare, aliud peſtiferum. Arborum aliæ ſyluestres, aliæ domeſticæ. Proloquiorum aliud uerum, aliud fálſum. Hic arborũ & pronunciatorum rationẽ tribus diuiſionũ formis diſtinximus. In diuiſione duo ſeruãda. Alterũ ut mẽbra ſint oppoſita uel pugnantia. Qua de cauſa hæc bona nõ eſt: hoĩm alij ruſtici ſunt, alij docti. Itẽ hominũ alij liberi, alij urbani. Fieri enim poteſt, ut idẽ ſit ruſticus & eruditus: idem liber & urbanus. Alterum, ut diſiunctum cõſtans ex mẽbris omnibus ſimul ſumptis conuerti poſſit cum diuiſo. Velut in diuiſione animati corporis in animal, et plantã: quicquid eſt animal uel plãta, eſt corpus uiuum: & quicquid uiuũ corpus eſt, eſt animal uel planta. Quocirca diuiſio plantæ in herbam & fruticẽ non eſt bona. Nã licet iſtud proloquium uerũ ſit: quicquid eſt herba uel frutex, eſt planta: fálſum tamen eſt, quicquid eſt planta, eſt herba uel frutex.

OCTO QVAESTIONES, VEL loci thematis ſimplicis.

PRima, quæ etymologia uel origo uocabuli ſit. Vt Medicus dicitur, quia medetur. Mundus, à

perfecta absolutaq; elegantia. Chelidonia, quod ab hirundine inuenta sit. Secũda an sit. Vt sit ne ars aliqua qua adiuuari memoria posit. Sit ne deus. Sint ne inferi Hæc quæstio secundo loco absoluenda est. Tertia quid sit res de qua agitur. Quid sit deus. Quid mundus. Quid uirtus. Quid fortitudo. Huc pertinẽt, ea quæ de quinq; finiendi formis dicta sunt. Quarta, quæ causæ sint: A quo autore res sit profecta. Cuius gratia facta. Ex qua materia constet. Cuiusmodi figuram habeat. Foculi forma apud Theocritum describitur ad hunc fermè modum: Dabo & profundum poculum molli oblitum cæra, recens fabricatum, adhuc sculpturã redolens. Quinta unum an multa. Sint ne plures dif, quemadmodum ueteres crediderunt. Hic dicemus, qua ratione id esse non posit. Sint ne plures mundi. Demeocritus enim innumerabiles esse mundos opinabatur, quasi pilas alios extra alios. Sexta, quæ & quot sint species rei. Vt treis esse plantarum formas, arborem, fruticem, herbam. Duo esse axiomatum genera simplex & compositum. Quatuor uirtutum species prudentiã, iusticiam, fortitudinem, temperantiam. Septima, quibus membris, seu partibus constet. Arboris partes sunt: radix, caudex, rami, flores. Axiomatis, subiectum & prædicatum. Octaua, quæ rei sint uires uel officia, siue quid res efficiat. Quid efficiat Luna

suo

ſuo inceſſu. Quid Chelidonia. Quid ſol efficiat Plinius ſcribit in Naturali hiſtoria, his nerbis: Non tẽporum modo, terrarumq;, ſed ſiderum etiam ipſorum, cœliq; rector. Hic lucem rebus miniſtrat, aufertq; tenebras. Hic reliqua ſidera occultat. Hic uices temporum, annumq; ſemper renaſcentem ex uſu naturæ temperat. Hic cœli triſtitiam diſcutit, atq; etiam nubila humani animi ſerenat. Hic ſuum lumẽ cæteris quoq; ſideribus fœnerat. Hac ratione thematum ſimplicium natura indaganda eſt.

QVID AXIOMA, ET quæ eius partes.

PRonunciatum, axioma, enunciatio, proloquium uel propoſitio, eſt indicatiua, & ſimplex oratio qua certi quiddam ſignificatur. Vt continentia temperantia eſt. In omnibus perſonis, numeris, ac temporibus modi indicatiui axioma, uel propoſitio dicitur. Cicero mortalis erat. Igne mundus interibit. Dederam ad te literas. Cæſar uicit Pompeium. Verba infinitiua ac ſubiunctiua, ſi pro indicatiuis ſumãtur, propoſitionem efficiunt. Vt omnes concurrere pro concurrebãt. Aeſtas non ſemper fuerit, cõponite nidos, pro erit. M Varro in lib. de lin. Lat. ad Cic. quarto & uigeſimo, pronunciatum ita finit: Proloquium eſt ſententia in qua nihil deſideratur. De hoc Gellij uerba hæc ſunt.

erit autem planius quid proloquiũ sit: si exemplũ eius dixerimus. Axioma igitur huiusce modi est. Annibal Pœnus fuit. Scipio Numantiã deleuit. Milo cædis damnatus est. Neq; bonum est uoluptas, neq; malũ. Et omnino quicquid ita dicitur, plena atq; perfecta uerborũ sententia, ut id necesse sit aut uerũ aut falsum esse: id à Dialecticis ἀξίωμα, id est oratio uerum aut falsum plene significans appellatũ est. A Marco Varrone proloquium. A Marco autem Cice. pronunciatũ. Partes axiomatis sunt subectũ & prædicatũ: uel quem admdũ Græci aiunt, ὑποκείμενον, καὶ κατηγορημένον. Subiectũ prior proloquij pars est, de qua aliquid dicitur. Prædicatũ posterior pars est, quæ de alio prædicatur. Vt in his: Cice. est orator, iusticia est uirtus, subiecta sunt Cice. iusticia. Prædicata uerò orator uirtus. Interdũ uerba resoluẽda, quo partes dictæ habeantur, hoc modo: Cæsar uicit Pompeiũ, hoc est, fuit uincens. Cice. scribit, est scribens. Id prodest ad perue-

Id est subiacens & prædicdiũ.

stigandos errores taliũ sophismatũ: Nullus panis est piscis, Cice. comedit panẽ, ergo non comedit piscẽ. Nullus canis est equus, Cæsar canẽ habet, non habet igitur equũ. Differunt enim panis & comedens panẽ: piscis & comedens piscem: canis & habens panem: equus & habens equũ. Miror nonnullos hunc soluendi modum improbare quando non parũ ad pronunciatorum intellectum confert. Aiunt neminem ita loqui, fateor

Nec ideo hæc præscribo, quod sic aliquos loqui uelim sed uti hac ratione axiomatum uim excutiant. Pari modo damnari posset consuetudo Grammaticorum quod in exploranda orationis serie primo loco ponunt uocatiuum: secundo rectum: tertio uerbum: aduerbium quarto, quinto obliquum, quum perpauci tamen sic loquantur. Nam elegantissima ferè oratio est, in qua uoces digeruntur ordine conuerso.

Prædicari, est alterum de altero explicandi eius causa dici. Vt quum dicimus homo est animal: animal de homine prædicatur, & naturam eius exprimit. Bifariam accipitur. Aliquando pro uere & adfirmatiue de aliquo dici, ut hic gratitudo iusticia est. Sæpenumero pro quouis modo de altero dici, ut aliud nihil sit, quàm esse prædicatum. Velut in hoc proloquio, homo non est lapis. Prædicari

PRIMA DIVISIO
Pronunciati.

AXioma aliud simplex est, aliud cõpositũ. Simplex, cuius præcipuæ partes sunt subiectũ, et prædicatum, ut somnus est imago mortis. Compositũ, cuius partes sunt duo pronunciata simplicia, quæ connectuntur coniunctionibus &, uel, si. Id triplex est: copulatiuum: disiunctiuum, conditionale. Copulatiua propositio est, cuius partes coniunguntur

coniunctione

coniunctione copulatiua. Vt Cicero est orator, & Plato philosophus. Sol diurnum sidus est, et Luna nocturnum. Possunt & plura pronunciata, quàm duo connecti. Demosthenes orator est, & Socrates philosophus, & Homerus poëta. Scipio & bis consul fuit, & bis triumphauit, & censura functus est. Disiunctiua dicitur, cuius partes connectuntur coniunctione disiunctiua: ut mundus semper fuit, uel conditus est à deo. E disiunctiuo axiomate ad hunc modum ratiocinamur. Si uiuat aut animal est, aut planta. Verum animal non est, igitur plãta. Cicero in secunda Philippica: Necesse est Cæsaris interfectores aut liberatores populi Romani, conseruatores q; reipub. esse: aut plus quàm sicarios, plus quàm homicidas, plus quàm parricidas. Sed liberatores patriæ sunt: ergo non homicidæ, non sicarij, non parricidæ. Idem primo de natura deorum In omnibus disiunctionibus alterutrum uerũ esse oportet. Vt si concessum esset huiusmodi aliquid: aut uiuet cras, aut nõ uiuet Epicurus, alterũ fieri necessarium. Conditionalis, in cuius initio si coniunctio ponitur. Si sol oritur, dies est. Si furatus est rem sacrã, sacrilegus est. Apud uulgus triplex est de propositionum natura quæstio: quæ qualis quãta. Ad quæ respõdent simplicẽ esse, aut cõpositã. Ad qualis, adfirmatiuã uel negatiuam. Ad quanta, generalẽ, particularẽ, indefinitã singularem.

SECVN

SECVNDA DIVISIO.

PRonunciatum aliud uerum est, quod rebus consentit. Vt fortitudo uirtus est. Aliud falsum, qđ rebus non cõsentit. Vt fortitudo est uitium. Lapis est corpus uiuum.

TERTIA.

PRoloquiorum adfirmatiuum est, quo alterũ alteri dicitur inesse. Vt pudor est metus. Animus immortalis. Aliud negatiuum quo alterũ dicitur non inesse alteri. Vt patientia non est uitiũ. Libido non est uirtus.

QVARTA.

AXiomatum aliud uniuersale est, cuius subiecto præponitur signum uniuersale: uel quo alterum dicitur inesse, aut non inesse alteri uniuersim. Vt omnis homo capax rationis est. Nihil tã alte à natura positũ est, quò uirtus non possit eniti. Nulla uirtus opibus inferior est. aliud particulare, cuius subiecto præfigitur signum particulare: uel quo alterum dicitur ineße, aut nõ inesse, alteri ex parte aliqua. Vt aliquis homo orator est. Aliquod animal oculis caret. Hæc proprie est indefinita, aliquis homo est animal, & signum præpositum subiecto, omnino superuacuum est. Licet enim uera sit locutio aliquem hominem animal esse, aliquod animal corpus esse uiuum, tamen parum apta est. Nam si rex quispiam uniuersos ciues ad se

conuoca

conuocârit, impropriè loquetur, qui dixerit aliquos accitos esse ad regem ciues. Aliud indefinitum, quo alterum dicitur inesse, uel non inesse alteri sine signo, et quod simile est uniuersali. Vt poëtæ sunt honore digni Hoïem decet piũ esse. Fures puniendi sunt. Sic proprie appellãtur ꝓpositiones necessariæ, ubi genus uel differentia de specie prædicatur. Vt homo est animal, homo est mortalis, capax rationis. Hæ uerò sunt particulares homo scribit, homo est orator. Vtrobiq; subaudi tur aliquis. Aliud singulare, ubi propriũ nomen, uel indiuiduũ subijcitur. Vt Demosthenes orator fuit. Homerus literarum princeps est. Hæc herba emoritur.

QVAE SINT SIGNA VNIuersalia, quæ particularia.

GEneralia, siue uniuersalia signa uocamus quæ significant uocem sequentẽ accipi pro omnibus indiuiduis. Vel: quæ interpretamur per coniunctionẽ, aut propositionẽ copulatiuam. Sunt autẽ hæc: cunctus uniuersus, singuli, omnis, quisq;, unusquisq;, nullus, nullus non, nemo, nemo nõ. Cuncti mortales ambitiosi sunt. Vniuersa pecunia dabitur. In singulas naues singuli milites accersebãtur. Omnis homo mortalis est. Sua cuiq; sententia. Vnumquodq; crimen excutietur. Quæ sic explicamus. In hanc nauem militem unum accersebant & in illam nauem militem unum accersebant. Sic na-

uigijs

uigijs alijs. Huc pertinent interrogationes, quæ interim propositionem generalẽ efficiunt. Quid non uastauit? id est, omnia. Et prouerbia: Iuuenesque senesque, hoc est, omnes. Miscebis sacra prophanis, id est, omnia. Item hæc: Quantum est hominum uenustiorũ. Quicquid erat copiarũ amisit. Si quid erat copiarum amisit, hoc est, omnes uenustiores, omnes copias. Differunt omnis & totus, quod hoc ad partes, illud ad species seu formas referatur, ut totus homo, omnis homo. Particularia uerò signa sunt, quæ indicant uocem sequentem pro aliquot duntaxat indiuiduis accipi, uel quæ interpretamur per pronunciatum disiunctiuum Huiusmodi signa sunt hæc: aliquis, quidam, quilibet, quiuis, nõnullus. Vt aliquis homo fortis fuit. Quidam non satis te amat. Qualibet hirsutas fronde tegente comas, id est, hac uel illa citra delectũ, non omnibus frondibus. Non apte itaque quemlibet hominem pro omni homine dicimus. Quemuis arbitrum cedo, hoc est, hunc uel illũ sine delectu. Distant aliquis, quidam nõnullus. Nam aliquis de re incerta: quidã de certa dici solet: nonnullus mediũ tenet modum. Porrò aduerbia uniuersalia sunt: nunquàm, semper, ubiq;, nusquàm. Particularia, unquàm, usquàm, quandoq;, aliquando, interdum, nõnunquàm. Singularia: hic, illic, isthic, nũc, hodie, cras, perendie, nudiustertius.

Particularia

Singularia

Quinta

QVINTA.

Necessaria propositio

PRonunciatorum aliud ne, ceſsarium eſt, quum prædicatum neceſſario ineſt ſubiecto. Id fit, quando genus, uel differentia de ſpecie dicitur: aut finitio de definito. Vt, homo eſt animal. Homo eſt capax rationis. Animal eſt corpus uiuum & ſentiens.

Cõtingẽs

Aliud contingens, quũ prædicatum ut ineſt ſubiecto ita poteſt non ineſſe. Quod fit, quando de ſubſtantijs accidentia dicuntur: aut de accidentibus accidentia. Vergilius poëta eſt. Poëtæ ſunt honore digni. Aliud

Impoſs. hbs

impoſsibile, quum fieri non poteſt, ut prædicatũ inſit ſubiecto. Lapis ſentit. Frutex eſt animal.

DE OPPOSITIONE PRONUNCIATORUM.

Cõtraria

TRia ſunt pugnantium axiomatum genera. Contraria dicuntur, duo uniuerſalia. Vt omnis pudor eſt metus. Nullus pudor eſt metus. Horum natura eſt, ut nunquam ſimul uera ſint: ſæpenumero tamen, præſertim in contingentibus, falſa. Vt omnis homo poëta eſt. Nullus homo poëta eſt. Subcontraria,

S-bcõtraria

duo particularia ſunt. Aliquis homo eſt doctus, aliquis homo non eſt doctus. Hæc nunquàm ſimul falſa ſunt, ſed quandoq; ſimul uera. Condictoria, ſunt duo axio-

Cõtradictoria

mata, quorũ alterum eſt uniuerſale, alterum particulare: uel quorũ alterum utrunq; eſt ſingulare. Vt omnis

nis pietas est iusticia, aliqua pietas nõ est iusticia. Nullus pudor est metus, aliquis pudor est metus. Hæc nunquã simul neq; uera, neq; falsa sunt. Triplex ergo propositionum pugnantia est. Contraria, quando utraq; est uniuersalis. Subcontraria, quum utraq; particularis. Contradictoria & maxima, quum altera generalis, altera particularis est. In omnibus seruanda sunt duo. Vt altera sit adfirmatiua: altera, negatiua. Vt in utraque idem sit subiectum, & idem prædicatum. Quoniã hic nulla est pugnãtia Cicero est orator, Vergilius nõ est orator. Axiomata contraria ac subcontraria solum pugnant qualitate: contradictoria etiã quantitate. Ideoq; inter hæc maior est pugnantia.

Omnis patientia est fortitudo

Contrariæ

Nulla patientia est fortitudo.

Contradictoriæ

Contradictoriæ

Aliqua patientia est fortitudo.

Subcontrariæ

Aliqua patientia nõ est fortitudo.

DE PROPOSITIONVM Isodymania.

Isodymania

ISodymania, uel (ut uulgari uocabulo utar) æquipollẽtia pronunciatorũ, eſt ſimilis tum quantitas tũ qualitas duorum axiomatum, quibus idem ſubiectum ac prædicatum eſt. Quantitas ad generalitatẽ: qualitas ad negationem affirmationemq; referenda eſt. Signa ἰσοδυναμοῦντα hæc ſunt: non omnis, & aliquis non: omnis, & nullus non: omnis & nemo non: non omnis non, & aliquis: nonnullus, & aliquis nonnullus non, & aliquis non. Ex his cõficiuntur pronunciata ἰσοδυναμοῦντα. Nõ omnis homo eſt iuſtus: aliquis homo nõ eſt iuſtus. Omnis homo eſt mortalis: nullus homo nõ eſt mortalis. Oĩs homo ignauus eſt: nemo non eſt ignauus. Non omnis homo non eſt doctus: aliquis homo doctus eſt. Nõnulli oratores fuerunt: aliqui oratores fuerunt. Nonnulli homines nõ amant literas: aliqui homines literas non amant. Hæc ratio inueniendi propoſitiones, quæ eandem habeant uim, duas adfert cõmoditates, Conducit enim non mediocriter ad iudicium, ſi propoſitio aliqua obſcura ſit. Deinde haud parũ facit ad copiã. Quippe pulchrum eſt quærenti ſermonis ornatum poſſe multas excogitare formas loquendi: atq; ex ijs, ueluti ex ingẽti floſculorum multitudine aptiſſimam, elegantiſſimamq; eligere.

Signa æq pol homid

DE

DE CONVERSIONE.

Conuersio propositionis, est subiecti ac prædicati commutatio. Conuersionum duo genera sunt: simplex, & (ut uulgari uocabulo utar) per accidens. Simplex est, quando non mutantur signa. Hoc modo uertuntur pronunciata generalia negatiua, & particularia adfirmatiua. Vt nulla iusticia uitium est: nullum uitium est iusticia. Aliqua fortitudo uirtus est: aliqua uirtus est fortitudo. Hic manent signa nullus & aliquis uocibus alijs transpositis. Altera uertendi forma est, qua mutantur signa. Id fit in axiomate generali adfirmatiuo. Omnis homo animal est: aliquod animal est homo. Omnis patientia fortitudo est: aliqua fortitudo est patientia.

QVOT SINT FORMAE argumentorum.

Diximus duas esse Dialecticæ partes, topicen ac criticen. Topicen locos demonstrare, unde argumẽta petantur, de quibus posterius loquemur, Criticen uerò, rationes colligendi: quæ ad iudiciũ faciunt, quando docere libet confirmationes, aut nostras, aut poëtarum, aut oratorũ efficaces esse, & cohærere: uel uanas esse, et nihil efficere. Inde hanc Dialectices partem criticen, hoc est, iudicandi artem nuncupamus.

Sicut enim aurũ lapide, & igne probatur: ita ſunt certæ argumentorũ ſpecies, formæ, uel modi, quibus nullo penè negocio cognoſcamus ũm probationis è locis inuentæ. Hos colligendi modos deſcribemus. Argumentum eſt ratio probationem præſtans, qua colligitur aliud per aliud: & quæ quod eſt dubium, per id quod dubium non eſt, confirmat. Argumentorũ quatuor formæ ſunt: ſyllogiſmus, enthymema, inductio, exemplum. Soriten ad ſyllogiſmos referunt: nec reuera aliud, niſi ſyllogiſmus eſt. Quod aperte docet axiomatum commutatio, quæ crebra in epicherematis eſt apud oratores. Quid etenim aliud eſt, omnis homo eſt animal, omne animal eſt ſubſtantia, ergo omnis homo eſt ſubſtantia: quàm omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal, igitur omnis homo eſt ſubſtãtia? Sorites quidem, quoniam medium in maiore propoſitione prædicatur, in minore ſubijcitur, plures admittere tũ uoces tum axiomata poteſt, quàm ſyllogiſmus, uerum probandi loquendiq; conſuetudo id non requirit. Primus colligendi modus ſyllogiſmus uel ratiocinatio per antonomaſiam nuncupatur, quemadmodum Homerus poëta, & ius ciuile quod Romanorum eſt. Nam & enthymema, & inductio, & exemplorum uſus formæ quædam ſunt ratiocinandi.

PARTES

PARTES SYLLOGISMI uel ratiocinationis.

RAtiocinatio uel ſyllogiſmus duplex eſt, Dialecticus & Rhetoricus, qui à Fabio epicherema uocatur. Eius enim hæc uerba: Epicherematos & quatuor, & quinq;, & ſex etiam factæ ſunt partes à quibuſdam. Cicero maxime quinq; defendit, ut ſit propoſitio, deinde ratio eius, tum aſſumptio, et eius probatio, quinta complexio. Dialectica ratiocinatio eſt efficaciſſima probandi forma, qua è duobus pronunciatis cõcluſio ſeu thema colligitur. Huius partes tres uoces maior, minor, media: et duæ propoſitiones, quarũ prior maior propoſitio nominatur, altera minor. Thema ipſum quod probatur, uocant concluſionem, cõplexionem, intentionẽ. Vt hic: omnis metus eſt adfectus, omnis pudor metus eſt, ergo omnis pudor eſt adfectus, priora duo axiomata appellari poſſunt probatio ſiue ſyllogiſmus, & tertium, thema probatum: quemadmodum in hac oratione, homo eſt animam mentem habens, pars altera finitio, altera finitum. Vel ſi lubet adiecto themate tres dici poſſunt propoſitiones. Terminus maior, eſt uox quæ cum medio ponitur in maiore propoſitione. Minor terminus, uocabulum eſt, quod cum medio ponitur in minore propoſitione. Medius, qui bis uſurpatur ante concluſionẽ. Vt in hoc ſyllogiſmo: omnis in-

Epicherema ſiue ratiocinatio ſyllogiſmus

Partes ſyllogiſmi

nis insidiator iure occiditur, Clodius est insidiator, ergo Clodius iure cæsus est, insidiator medium est: iure occisus, terminus maior: Clodius, minor.

DE FIGVRIS, ET MODIS Syllogismorum.

OMnis syllogismus habet materiam, & formã. Materia sunt axiomata, ex quibus syllogismus componitur. Sic dicimus pronunciatũ esse uerũ aut falsum nihil ad formã facere, sed solũ ad materiã confirmatiõis. Quippe ex proloquijs falsis sæpe syllogismus bonus contexitur. Vt hic: Nullum animal mortale est, omnis homo est animal, ergo nullus homo mortalis est

Forma. Forma est uerborũ, seu axiomatũ dispositio. Quemadmodũ enim in ædificijs ligna & lapides materia sunt: domus aut nauis eorundẽ dispositio: sic probationes è locis inuentæ syllogismi, enthymematis, inductiõis, seu exẽpli formã suscipiunt. Hæc cõstat figuris & modis

Figura. Figura, est dispositio medij. Tres sunt figuræ. Prima, quando mediũ in priore pronunciato subijcitur: in posteriore prædicatur. Secũda, quũ utrobiq; prædicatur mediũ. Tertia, quando bis subijcitur. Harũ unaquæq;

Modus. aliquot sub se modos habet. Modus est ratio qualitatis & quantitatis propositionũ. Prima figura modos admittit quatuor: secunda totidẽ: tertia sex. In modorum nominibus oẽs propè characteres peculiarẽ aliquã habent

bēt uim. A uniuersalē affirmatiuā significat: E uniuersalem negatiuā: I particularem affirmatiuā: O particularem negatiuā: B indicat argumentationē reduci posse ad primæ figuræ primum modum: C ad secundū: D ad tertium: F ad quartum: S conuersionem simplicem notat: P per accidens: M axiomatum transpositionē. Græci his dictionibis utuntur: γράμματα, ἔγραψε, γραφίδι, τεχνικὸς, in prima figura: ἔγραψε, κάτεχε, μέτριον ἄχολον, in secūda: ἅπασι, σθεναρὸς ἰσάκις, ἀσπίδι, ὁμαλὸς, φέριστος, in tertia.

Id est literas scripsit calamo artifex: scripsit contine, mediocritatē sine ira: omnibus fortis, æqualiter, scuto planus, optimus.

QVAE SERVANDA SINT in syllogismis.

IN omni syllogismo necesse est maiorem propositionem, uel minorem, aut utranq; adfirmatiuam esse. Nam ex duabus negatiuis nihil recte colligitur. Ante conclusionem altera uel utraq; debet esse uniuersalis. Si maior propositio uel minor negatiua fuerit conclusio quoq; negatiua sequetur. Si propositio maior uel minor particularis fuerit: cōclusio etiam particularis erit. Medium nunq̄ ponitur in conclusione. In syllogismo nō sint plures uoces, quàm tres. Medium in altera propositionū distribui debet, hoc est, generaliter uel pro omnibus significatis accipi. Quare inepta confirmatio est: animal est equus: omnis homo est animal: ergo homo est equus. Non plus debet sumi in una

propositione pro medio, quàm in altera. Quod in hac probatione fit: Nullus piscis est auis: homo comedit piscẽ: ergo nõ comedit auẽ. Neq; nomen aliquod ambiguũ sit, qd' in uno axiomate, aliter capiatur, q̃ in alio.

V iii

MODI PRIMAE FIGVRAE.

BArbara: Omne animal sentit, omnis homo animal est: igitur omnis homo sentit. Celarẽt: Nullum animal caret sensu, omnis homo animal est: ergo nullus homo caret sensu. Darij: Oĩs insidiator iure occiditur, Clodius est insidiator: ergo Clodius iure cæsus est. Ferio. Nulla ars inutilis est, Dialectice ars est: igitur Dialectice nõ est inutilis. Nõnulli his addunt alios modos, qui conclusionem inuersam habent, uel, ut ipsi uocant, indirectam. Etenim duas conclusionum formas tradunt. Directam in qua maior terminus prædicatur de minore. Vt hic: Omnis iusticia uirtus est, pietas est iusticia: ergo pietas est uirtus. Indirectam, in qua terminus maior subijcitur: Omnis temperantia est uirtus, clementia temperantia est: igitur aliqua uirtus est clementia. Posterior forma loquendi planè contraria est communi naturæ sermonis.

MODI SECVNDAE FIGVRAE.

Cesare. CEsare: Nemo prodigus est auarus, omnes fœneratores sunt auari: ergo nullus fœnerator est prodigus. Hæc ratiocinatio per conuersionẽ sic ad primam

mã figuram ducitur: Nemo auarus est prodigus, omnes fœneratores sunt auari: ergo nullus fœnerator est prodigus. Per ductum ad impossibile, siue per contentionem, hoc modo: Nemo prodigus est auarus, aliquis fœnerator est prodigus, igitur aliquis fœnerator non est auarus. Camestres: Omnis gratitudo est iusticia nulla prudentia est iusticia, ergo nulla prudentia est gratitudo. Ducitur ad secundum modum primæ figuræ conuersione & transpositione propositionũ. Nulla iusticia est prudentia, omnis gratitudo est iusticia, ergo nulla gratitudo est prudentia. Per contentionem ad tertium modum. Omnis gratitudo est iusticia, aliqua prudentia est gratitudo, igitur aliqua prudentia est iusticia. Festino: Nemo ignauus literas amat, Cœlius literas amat, ergo Cœlius non est ignauus. Per conuersionem ad primam figuram ducitur ita: Nemo literas amans ignauus est, Cœlius literas amat, ergo Cœlius non est ignauus. Per contentionem Nemo ignauus literas amat, Cœlius est ignauus, ergo Cœlius non amat literas. Baroco: Omnes eruditi sunt comes & humani, homo iste nec comis est nec humanus, ergo non est eruditus. Postrema hæc colligẽdi forma solum ad primam figuram ducitur per contentionem: Omnes eruditi sunt comes & humani, homo iste eruditus, ergo comis est, & humanus.

Camestres.

Festino.

Baroco.

MODI TERTIAE FIGVRAE.

Darapti. DArapti: *Omnis homo mentem habet, omnis homo est animal, igitur aliquod animal habet mentem. Per conuersionem sic ad primam figuram ducitur: Omnis homo mentem habet, aliquod animal homo est, ergo aliquod animal mentem habet. Per cõtentionem: Nullum animal habet mentem, omnis homo est animal, ergo nullus homo habet mentem. Hic infertur propositio maiori contraria.*

Felapton. Felapton: *Nulla desidia est uirtus, omnis desidia metus est, ergo aliquis metus non est uirtus. Quæ ratiocinatio sic probatur per conuersionem: Nulla desidia uirtus est, aliquis metus est desidia, ergo aliquis metus non est uirtus. Per contentionem hoc modo: Omnis metus est uirtus, omnis desidia metus est, ergo omnis desidia uirtus est: quæ itidem maiori est contraria.*

Disamis. Disamis: *Aliquis Aethiops orator est, omnis Aethiops est homo, igitur aliquis homo est orator. Per conuersionem & transpositionem pronunciatorum sic ad primam figuram ducitur. Omnis Aethiops est homo, aliquis orator est Aethiops, ergo aliquis orator est homo. Per contentionem: Nullus homo est orator, omnis Aethiops homo*

Datisi. *est, ergo nullus Aethiops est orator.* Datisi: *Omnis homo est mortalis, aliquis homo est animal, igitur aliquod animal est mortale. Probatur conuersione: Omnis*

nis homo est mortalis, aliquod animal est homo, ergo aliquod animal est mortale. Contentione autem sic: Nullum animal est mortale, aliquis homo est animal, ergo aliquis homo non est mortalis. Bocardo: Aliquis homo non est ignauus, omnis homo est animal, igitur aliquod animal non est ignauũ. Hic modus quoq; duntaxat ad primam figuram ducitur per contentionem: Omne animal est ignauum, omnis homo est animal, ergo omnis homo est ignauus. Ferison: Nullus homo æternus est, aliquis homo est animal, ergo aliquod animal non est æternum, Conuersione ducitur ad primã figurã, hoc modo: Nullus homo æternus est, aliquod animal est homo, igitur aliquod animal non est æternũ Contentione autẽ sic: Omne animal est æternum, aliquis homo est animal, ergo aliquis homo æternus est. Bocardo. Ferison.

MODVS PROBANDI SYLLOGISMI formam per contentionem.

Apud rhetores inter schemat dianoeas cõtentio est, hoc est, rerũ diuersarũ uel contrariarũ cõparatio, qua etiam utuntur Dialectici. Cæterũ quod nos hic diximus probari per contentionẽ, id uulgus ait cõfirmari ductu ad impossibile, hoc est, ad id, quod manifeste falsum est. Hanc contentionẽ, si quis uolet, uocare poterit Dialecticam: alteram oratoriam. Formã itaq; syllogismi probam esse hunc in modum dicere possumus

possumus cõtentione Dialectica. In secũda figura èmaiore propositione, et contradictoria conclusionis, inferenda contradictoria minoris. Vt omnis homo habet mentẽ, aliquod animal mente uacat, igitur aliquod animal nõ est homo. Huius conclusionẽ si quis esse falsam putet, cõtexendus syllogismus è pronunciatis contradictorijs: Omnis homo capax rationis est, omne animal est homo, ergo omne animal est capax rationis. Atqui hæc postrema quoniã falsa est, necesse est falsa quoq; esse alterã earũ, ex quibus ipsa colligitur. Nõ maiorẽ nam ea in syllogismo priore dicebatur uera. Ergo minorẽ, quæ contradictoria est conclusiõis, cuius ueritas incerta erat. Si itaq; falsum axioma est, omne animal est homo, uerũ est, aliquod animal nõ est homo, q. erat thema probandũ. Nam duo contradictoria nunq̃ simul falsa sunt. Porrò in tertia figura ex axiomate cõtradictorio conclusionis, et minore propositione, colligitur cõtradictoria uel cõtraria maioris. Vt hunc syllogismũ: Aethiopes nõ sunt Germani, omnis Aethiops homo est, ergo aliquis homo nõ est Germanus, sic ad primã figurã ducimus: Omnis homo est Germanus, omnis Aethiops homo est, igitur omnis Aethiops est Germanus. Hac ratione omnes syllogismi in secunda & tertia figura possunt confirmari. Sed in secunda, propositio maior: in tertia, minor seruari debet.

COM-

COMMVNIS COLLIGENDI lex seu ratio.

In omni argumentatione bona, ut supra apparuit, ex pronunciato contradictorio conclusionis, bene sequitur contradictorium pronunciatum antecedentis. Bona est ratiocinatio: nullum animal lapis est, ergo nullus homo est lapis, igitur & hæc bona: aliquis homo est lapis, ergo aliquod animal lapis est.

DE INVENTIONE MEDII.

MEdiũ hoc modo inuenias. Habito themate causam perquire aliquam, quur ita sit, ut ipso significatur. In qua uox ea, quæ in themate non apparet medium erit. Vt sint themata: Clodius iure cæsus est Cicero mortalis fuit. Fingamus interrogare nos hominem quemquem etiam ineruditum, quam obrem iure cœsus Clodius, quare Cicero fuerit mortalis. Rationes in promptu: quoniam insidiator erat, quia omnis homo mortalis est, uel quia cõstabat ex rebus, quæ diu non possunt cohærere, ex calido, frigido, humido, sicco. Termini medij sunt: insidiator, homo, & constans rebus quæ diu consistere nequeant. Vnde syllogismi conficiuntur: Omnis insidiator iure cædi=tur, Clodius est insidiator, ergo Clodius iure cæsus est omnis homo est mortalis, Cicero homo erat, igitur Cicero erat mortalis. Quicquid compositum est rebus,

quæ

quæ diu nõ possunt cohærere mortale est, Cicero constabat rebus, quæ diu nequeunt cohærere, ergo Cicero mortalis erat. Ex his colligitur idem thema tot probari modis, quot eius possint inueniri causæ. Cæterũ non nisi axioma particulare confirmari potest per omnes figuras. Exempli gratia, thema sit, aliqui homines nõ sunt Græci: Hispani mediũ esto. In prima figura syllogismi istiusmodi erit: Nulli Hispani sunt Græci, aliqui homines Hispani sunt, ergo aliqui homines non sunt Græci. In secunda: Nulli Græci sunt Hispani, hoïes aliqui Hispani sunt, igitur aliqui homines nõ sunt Græci. In tertia: Nulli Hispani sunt Græci, Hispani hoïes sunt ergo aliqui homines non sunt Græci. Hic uidemus diuerso positu medij axioma idem probari, & eandem manere conclusionem.

DE SYLLOGISMO RHETORICO.

RHetorici syllogismi partes quinq; sunt: propositio uel expositio, propositionis approbatio, assumptio, assumptionis ratio, complexio. Propositio est, per quam breuiter is locus proponitur, ex quo omnis emanat uis argumentationis. Ratio expositionis est quæ demonstrat uerum esse, quod proposuimus, uno pluribusúe argumentis. Assumptio est per quam id, quod ex propositiõe ad ostendendum pertinet, assumi

tur. Assumptionis ratio, est per quam id quod assumptum est, confirmatur. Complexio est, per quã id quod ex tota argumentatione conficitur, exponimus. Ratiocinatio oratoria interdũ quinq;, quandoq; quatuor, sæpenumero tribus duntaxat partibus constat. Quinq;, quando tam expositio, quàm adsumptio indiget probationis. Quatuor, quũ sola uel propositio, uel adsumptio rationibus confirmatur. Tribus, quando neq; expositio, neq; adsumptio probatione eget.

QVINQVE PARTITA ratiocinatio.

PRopositio, uel expositio: Quicquid optime administratur, administratur consilio. Ratio uel cõfirmatio expositionis: Domus ea, quæ ratione regitur longe apparatior est, quàm ea, quæ temerè, & nullo consilio gubernatur. Alia ratio: Exercitus is, cui præpositus est sapiens, & callidus imperator, commodius regitur, quàm is qui stultitia, & temeritate alicuius administratur. Alia approbatio. Eadem nauigij ratio est: nam nauis optime cursum conficit, in qua prudens gubernator est. Adsumptio, quæ tertia argumentationis pars est: Mundus optime administratur. Confirmatio adsumptionis: Quippe & signorũ ortus & obitus, certum quendã ordinẽ seruant.

Et annuæ cõmutationes non modo quadam ex neceſsitate ſemper eodem modo fiunt, uerũ ad utilitatẽ quoq; rerũ omniũ ſunt accõmodatæ. Et diurnæ nocturnæq; uiciſsitudines nulla in re unquàm mutatæ, quicquã nocuerunt. Hactenus quatuor habuimus ratiocinationis partes. Quinta eſt cõplexio, ſiue intentio. Quæ aut id infert ſolum, quod ex omnibus partibus colligitur, hoc modo. Conſilio igitur mundus adminiſtratur. Aut unũ in locum quum contraxerit breuiter propoſitionẽ & adſumptionem, id adiungit, quod ex his conficitur, ad hunc modum. Quod ſi melius geruntur ea, quæ conſilio, quàm quæ ſine conſilio geruntur: nihilq; omnium rerum melius quàm mundus adminiſtratur: conſilio igitur mundus adminiſtratur.

QVADRIPARTITA.

Expoſitio: Qui ſæpenumero nos per fidẽ fefellerunt, eorũ orationi fidẽ habere nõ debemus. Propoſitionis ratio: Si quid enim perfidia illorum detrimenti acceperimus, nemo erit, præter nos metipſos, quẽ iure accuſare poßimus. Alia ratio: Ac primo quidem decipi incõmodum eſt, iterũ ſtultum, tertio turpe. Adſumptio: Carthaginenſes autẽ perſepe iam nos fefellerunt. Hæc probationis non indiget. Complexio Summa igitur amentia eſt, ijs credere aut fidem habere, quorum perfidia toties deceptus ſis.

Tripartita

TRIPARTITA.

AVt metuamus Carthaginenſes oportet, ſi inco lumes reliquerimus: aut eorũ urbẽ diruamus. Aut metuere non oportet. Reſtat igitur, ut urbem dirruamus. Alia: Quicunq; literas amant, opes, honores ac corporis dignitatem contemnere ſolent. Poëtæ literas amant: igitur opes & honores contemnunt. Id ſolẽ intereſt inter Dialecticos, & Oratores: quod hi copioſius, illi breuius rem eandem exponunt. Hi non ita anxie ordinem ſeruant pronunciatrum: illi ſemper maiorem propoſitionẽ primo loco: minorem ſecundo: cõplexionem poſtremo ponunt.

CAPTIOSAE ARGVmentationes.

QUod homo eſt, hoc nõ eſt equus: homo aũt animal eſt, equus igitur animal non eſt. Quod nix eſt, hoc grando nõ eſt, nix alba eſt, grãdo igitur alba nõ eſt. Omnis homo dormit uel uigilat, ſed nõ omnis homo uigilat, ergo omnis homo dormit. Omnis homo eſt doctus uel indoctus, uerũ nõ omnis homo doctus eſt, igitur omnis homo eſt indoctus. Quicquid nõ amiſiſti hoc habes, mille talenta non amiſiſti, igitur mille talẽta habes. Nullum aurũ eſt argentum, Cicero habet aurũ, ergo non habet argentũ. Nulla manus caput eſt, iſte manũ habet, ergo nõ habet caput. Aliquod animal

equus est, omnis homo est animal, igitur homo equus est. Aliqua substantia lapis est, omnis homo substantia est, ergo homo est lapis. Omnis homo mentem habet, aliqua effigies picta homo est, igitur picta imago mentem habet. Quinq; sunt duo, & tria, ergo quinq; sunt duo, & quinq; sunt tria. Omne malum est fugiendum, pomum aliquod malum est, ergo pomum est fugiendum. Omnis homo habet mentem, omnis homo est animal, ergo omne animal habet mentem. Duo sunt duplum ad unum, & nõ sunt duplum ad tria, igitur duo sunt duplum & non duplum. Deus ubiq; est, ubiq; est aduerbium, ergo deus aduerbium est. Animal est genus, homo est animal, ergo homo est genus. Huc pertinet ars quædam, quam autor quidam, cuius nomen nunc non teneo, iusto uolumine descripsit. Ea docet cõmunes quasdã cauillationes, quibus in omni disciplina etiam quiduis possis persuadere. Isthæc oĩa dilui facile poterunt, si ea quæ in syllogismi compositione seruãda præscripsimus, teneãtur. In primo & secundo sophismate è solis particularibus colligitur thema. Dicendũ erat: quicquid homo est, hoc non est equus: quicquid nix est, hoc grando non est. In tertio, & quarto coniunctio uel accipitur disiunctim, & ita infertur conclusio, quasi accipe retur disiunctiue. Vel capitur duobus modis. Disiunctim, quando non potest exponi per pro-

Vel, duob9 modis accipitur.

propositionem disiunctiuam. Hæc enim propositio uera est: omne corpus uiuum est animal uel planta. Hæc autem falsa: omne corpus uiuũ est animal, uel omne corpus uiuum est planta. Disiunctiue, quum per axioma disiunctiuũ exponitur, hoc modo: Cicero orator est uel poëta: Cicero orator est, uel Cicero est poëta. Inquinto nõ amittere semel dicitur, pprie de rebus quas possidemus: post improprie de rebus quas nunq; uidimus. In sexto & septimo plus ponitur pro medio in una, propositiõe quàm in altera. In octauo et nono mediũ nusq; distribuitur. In decimo homo capitur bifariã: pprie pro hominibus uiuis, improprie pro pictis. In undecimo, Et, duobus modis accipitur: copulatim & copulatiue. Hanc coniunctionem descripsimus in libello de usitatis uocum, quæ nõ flectuntur. In duodecimo, decimoquinto, & decimosexto non eodem modo accipiuntur malum, ubiq;, animal. Decimumtertium thema generale probat in tertia figura. In decimoquarto binarius duplus & non duplus est, sed ratione diuersorum: sicut homo idem filius & pater. Tolerandæ hæc sunt, ac ideò ea uoluptatis causa tradidimus. Verũ alia sunt prodigia, quibus sophistarum libri replentur, quale est hoc: Alterum a & utrunque b sunt c, omne d utrunq; a & alterum b est, ergo omne d est c.

Istiusmodi nugis hoc seculo multa adolescentum

& uirorum milia occupantur. Parentes parum sciũt, quibus rebus liberi sui per tot annos dant operam. Domi magno sudore & parsimonia pecuniam quærunt, qua charissimos filios alant, & hi homines præstigijs suis per tres aut quatuor perpetuos annos miseram iuuentam detinent, quum alioqui simplicem Dialecticen intra totidem menses commodissime possint tradere. Qua de causa ergo tot adolescentes horũ sophismata cupiunt perdiscere? Certe non cupiunt, sed coguntur quia neminem inueniunt, qui breuiter ueram artem doceat. In multis academijs intra spatium unius mensis bis prælegi Dialecticen: & re ipsa comperi tantum profeciſſe auditores, ut nihilamplius desiderarint. Sed inter docendum hortabar eos, ut ea quæ audierant, à lectione conferrent inter se, & firmarent exercitio. Summam artis in pariete grandibus typis depingebã, quam quotidie semel prælongo radio omnibus declarabam ante finem lectionis. Finito mense rogabam eos, an adhuc semel repeti uellent eandem artem, dicebant se satis habere Dialectices, etiam illi, qui ante aduẽtum meum in Dialectica nhil unquã uiderant. Tamen præter ipsam eodem mense alijs horis audiuerant nõnihil in Græcis literis, Cosmographiam, Rhetoricen, atque alias artes. Nam ego plerunq; doceo per totum diem ab ortu solis ad occasum, excepta dimidiata hora

quæ

quæ prandio datur. Dialecticã totã plus ſexagies prælegi, et adhuc plus centies prælecturus ſum, ſi uixero. Quod dico ne quis iudicium meum de præſtigiatoribus illis uelut parum prudentis, aut non ſatis exercitati aſpernetur. Ego hanc artem plurimum conferre ſentio ad ſcribendum. Efficit enim primum ut res omnes apte definire & diuidere poßis, ut nõ ſit opus aliorum autorum deſcriptiones, quæ plerunq; ineptæ ſunt tanquam oracula quædam ſequi: tum ut omnes orationis partes cohæreant: deniq; præcipue confert ad copiam, quemadmodum in uſu locorum circa libri finem demonſtrabimus. Vſus dialectices.

DE ENTHYMEMATE.

Enthymema, eſt imperfectus ſyllogyſmus. Id quã doque maiorem cum themate complectitur: ut hic, omnis iuſtitia uirtus eſt, igitur pietas uirtus eſt, deeſt minor, pietas eſt iuſticia. Interdum ex minore, & themate cõponitur omiſſa maiore: ut pietas eſt iuſticia ergo pietas uirtus eſt, deeſt maior, omnis iuſticia uirtus eſt. Vtra deſit, hoc pacto cognoſcas. Si in antecedente, & cõſequẽte idem ſit ſubiectũ, maior deeſt: ſin idem prædicatum minor. Vt in hoc enthymemate: Clodius inſidiator eſt, ergo Clodius iure cæſus eſt, deeſt maior: inſidiator omnis iure occiditur. Hic uerò minor deeſt: Omnis inſidiator iure occiditur, ergo Clodius iure cæ

sus est. Quoniam in priore, idem subiectum: in posteriore, idem prædicatum. Enthymemate crebrò Poëtæ utuntur. Vt apud Ouid. Quæritur Aegisthus, quare sit factus adulter, in prõptu causa est, desidiosus erat. Antecedens est, Aegisthus desidiosus erat: Thema, Aegisthus adulter erat: deest maior, omnis desidiosus adulter est. Partes huius ratiocinationis duæ sunt: antecedens prior enthymematis pars: & consequens posterior.

DE INDVCTIONE.

INductio, quæ Græcis ἐπαγώγη dicitur, est forma colligẽdi, quæ è singularibus, ad uniuersale progredimur. Vt plebs Romana optime de Milone sentit: equester ordo optime sentit: Senatus optime sentit: totus igitur populus Romanus optime de Milone sentit. Syllogismus à generalibus sæpe progreditur ad singularia. Omnis homo mortalis est, Cicero est homo, ergo Cicero mortalis est. Inductio semper à particularibus ad generalia. Homerus mortuus uel mortalis est, Demosthenes mortalis est, igitur omnis homo est mortalis. In epagogis cauendum, ne diuersum aliquid inter singularia, quæ nõ exprimũtur, appareat. Quippe nõ recte colligas: Demosthenes orator est, Cicero orator est, ergo omnis homo orator est. Partes inductionis sunt antecedens, quod singularium coaceruatione con

ne constat: & consequens generale, collectum è singularibus.

DE EXEMPLO.

EXemplum uel παράδειγμα est, quoties unius particulare per aliud probatur, propter similitudinem, quæ utroq; reperitur. Alij modi colligendi nomen habent à forma, ut syllogismus à ratiocinando: inductio ab inducendo, quòd è singularibus, uniuersale inducat. Exemplum à materia, hoc est, ab exemplis è quibus ipsum componitur. Vt hic: Nauium rectores iudicio non sorte eliguntur, igitur & magistratus iudicio non sorte eligendi sunt: rectores nauium iudicio eligi, est exemplum, per quod probamus istud thema: magistratus iudicio esse eligendos. Et ab ea propositione rectores nauium iudicio non sorte eliguntur, tota dispositio argumenti dicitur exemplum. Nihil itaque aliud est exemplum, quàm exemplorum similium, parium, maiorum, aut minorum in confirmatione dispositio. Distat ab enthymemate, quod hoc syllogismo probari possit, exemplum non possit: hoc antecedens plerunque generale habeat, exemplum semper particulare. Exempli materia multiplex est, ut in locis indicabimus.

DE LOCIS.

LOci argumẽtorum ſedes ſunt. Ita eos appellauerũt, quod in ipſis faciendæ fidei inſtrumẽta ſint repoſita. Duo locorum genera. Dialectici, ut genus, ſpecies differẽtia, definitio, materia, forma, finis, ſimile par, maius, minus. Et Rhetorici, qui aut laudatiui dicuntur: ut genus, natio, patria, infantia, puericia, adoleſcẽtia. Aut ſuaſorij, ut tutum, iucundũ, facile, neceſſarium, utile, iuſtum, honeſtum: & his contrarij à periculis, ab iniucundo, à difficili, à non neceſſario, ab inutili, & iniuſto, ab inhoneſto. Aut iudiciales: ut teſtes, tabulæ, quæſtiones, rumores. Hos ordine deſcribemus poſita prius diuiſionis tabula.

Genus,


Loci
Dialectici
Genus.
Species.
Differentia.
Finitio.
Materia.
Forma.
Finis.
Rethoirci
Laudatiui
Genus, Natio.
Patria.
Infantia, Pueritia.
Adolescentia.
Genera uirtutũ & uitiorũ animi.
Deliberatiui
Tutum.
Iucundum.
Facile.
Necessarium.
Vtile, Iustum.
Honestum.
Periculosum.
Iniucundum.
Difficile.
Non necessarium.
Inutile, Iniustum.
Inhonestum.
Iudiciales
Testes.
Tabulæ.
Quæstiones.
Rumores.

GENVS ET COMMVNE.

GEneris negatio em cõsequitur speciei remotio Studiosus non est: igitur fortis non est. Affirmationem generis non sequitur adfirmatio speciei. Ineptũ enim argumentum. Animal est, ergo homo est: uirtus est, ergo prudentia est. Totius generis adfirmationem consequitur adfirmatio cuiuslibet speciei. Omne argentum legauit, igitur & cælatum. Omnes artes nouit igitur & Dialecticen. Simili forma è communi colligimus particulare. Commune hic uocamus, quicquid altero latius patet. Vt homo commune est ad Aethiopem & hominem album: ad pauperem & opulentum. Domus ad paruam domum, & magnã. Colligendi forma eiusmodi est. Nullã unquam domum habuit, igitur nec magnam. Nunquam librum aliquem uidit, ergo nec auratum.

SPECIES, AC PARTICVLARE.

REmota specie, non consequitur remotio generis Vt homo non est, igitur animal non est. Chelidonia arbor non est, ergo nec planta. Sed adfirmata specie, sequitur adfirmatio generis. Ciccero est homo, ergo & animal. Remotis uniuersis speciebus remouetur genus. Neq; prudens, neq; iustus, neq; fortis, neq; temperans est, igitur ne studiosus quidem est. Huc etiã referendæ sunt probationes, quæ è particulari colligunt com=

commune. Particulare hic nominatur, quicquid altero angustius est. Quod genus uestis longa ad uestē: homo timidus, ad hominem: liber elegans ad librum. Argumentandi ratio talis Librum elegantem habui, ergo et librum. Equum paruum uendidit, igitur & equum.

DIFFERENTIA.

NEgationē differentiæ sequitur negatio speciei, quam constituit: & adfirmationem, adfirmatio. Spongia sentit, est igitur animal. Ratiōe caret, igitur homo non est.

FINITIO ET ETYMOLOGIA.

A Definitione ad definitum, & contra à definito ad definitionem argumentamur tum adfirmatiue tum negatiue. Animal capax rationis est, ergo et homo. Animal est, igitur corpus uiuum ac sentiens. Nō est animal capax rationis, ergo homo non est Nō est animal, igitur nec corpus uiuū & sentiens. Similitudine ab etymologia argumentum ducitur, sed negatiue duntaxat. Nō est sacræ rei ablatio, ergo nec sacrilegiū Non medetur, igitur non est medicus. Non loquitur de deo, non est ergo Theologus.

DESCRIPTIO.

DIstant finitio & descriptio. Quod hæc quale aliquid sit: illa quid sit, doceat. Hæc accidentibus: illa genere & differentia constet. Ex descriptione

haud

haud alia ratione argumentum conficitur, atq; è definitione. Sed cauendum ne descriptio latius pateat, néue sit angustior, quàm id, quod describitur.

TOTVM ET PARTES.

A Toto inferũtur partes, non remouẽtur. Domũ emi, ergo & tectũ & parietes emi. Verũ non recte dicas, domus nõ est, ergo nec tectum nec parietes sunt. Possunt enim supereſſe parietes, reliquis cõsumptis incẽdio. Partes si uniuersæ colligãtur, totũ inferũt. Parietes & tectũ sunt, necesse est igitur domum esse.

CAVSAE QVATVOR.

CAusarum naturam ante exposuimus. Ab efficiente. Sol adhuc sub terra est, igitur nondum est dies. Efficientium causariũ aliæ natura agunt, quæ non consilium, sed impetum sequuntur, quales sol, luna, ignis, herbæ, gemmæ: aliæ consilio, ut homines. Sub lata materia aufertur effectus. Nullum lignũ habuit, non potuit igitur fabricare naues. Ferrum non habet, ergo nec cudere gladios potest. A forma: Rotundus est globus, est ergo uolubilis. Non habet figuram domus, ergo nec domus est. Non habet speciem libri, igitur non est liber. A fine, Doctus est, ergo multos labores pertulit: nam doctrina laborum finis est. Nauigandum est, igitur & naues habendæ.

Euenta

EVENTA.

PAri modo ex euentis uel effectibus colliguntur causæ. Ab effectu causæ efficientis. Dies est, ergo sol est ortus. Peperit, igitur cum uiro rem habuit. Ex effectu materiæ: Poculū liquitur, non est igitur ligneū Ab effectu formæ: Volubile est uas, est ergo rotundum. Ab effectu finis: Nauem emit, igitur nauigare uult. Nauigatio causa est, emptio nauis, effectus. Equū sibi comparauit, igitur aliquò faciet iter. Fugit labores, ergo nunquàm doctus erit. Id quod facimus propter aliud, effectus est, & res alia finis. Studemus, quo docti possimus euadere. Vxorem ducimus, causa gignendi liberos. Castigamus aliquem, quo reddamus melliorem. Discimus Dialecticen, ut de unoquoq; themate apte disserere uel scribere possimus. Breuiter nō stamus, nō incedimus, non prandemus, nō dormimus, nisi cuius rei causa. Ex affectu finem, & contra è fine effectum colligimus affirmatiue & negatiue.

SIGNA.

SIgnorum tria genera sunt. Antecedentia, quæ ante rem eueniunt: ut apparatus, colloquiū. Adiuncta, quæ cum re fiunt: ut umbra corporum, strepitus pedum. Cōsequentia, quæ post rem: ut titubatio, trepidatio, pallor, rubor, tremor. E signis adiunctis antecedentibus argumentū tale conficit. Teren. Solitudo ante

ostium

ostiũ, nihil apparatus, ergo non erunt nuptiæ. E signis adiunctis sic ratiocinamur: Pallet, cogitabundus sedet, animum subinde mutat, igitur amat: hæc omnia nanq; amori sunt coniuncta. E consequentibus sic: Expalluit, titubauit, trepidauit: ergo sibi conscius est.

AVTORITAS ET EXEMPLVM.

AB iudicio uel autoritate argumentamur affirmatiue. Optima statim discenda sunt: ita enim Quintilianus faciendum existimauit. Negatiue non apte: hoc non scripsit Aristoteles, igitur sic non est. Distant exemplum & locus ab autoritate: quòd in uno iudicio hominis, in altero facti similitudine utimur. Exemplum aut simile est, aut dissimile, aut par, aut maius, aut minus. Simile: Quemadmodum uascula oris angusti nimiam humoris copiam respuunt, sensim autem immisso liquore replentur: sic tenera puerorũ ingenia grandia nõ percipiũt, modica & uiribus suis apta commodius discunt. Argumentũ à simili confutari potest, si aut dissimile esse ostendamus, aut cõmodiorem similitudinem demus, hoc modo: Vt picẽ nemo attingit, nisi cõtamineturꝫ ita poëtas nemo legit, quin ad libidinẽ incitetur. Negabimus simile quidpiã poësin cum pice habere, & aliã similitudinẽ dabimus. Imò quod apes facere uidemus, ut ex unoquoq; flosculo quicquid optimũ est, excerpant, uenenum araneis relinquant: sic è poëtarum

A simili.

tarũ scriptis excerpimus utilia, obscœna relinquimus

Dissimile: Si barbarorũ est in diem uiuere, nostra cõsilia sempiternum æuum spectare debent. A pari: Si patri ius est in filium, igitur & in filiam. Si fratrem domi alis, quur me eijcis? E maioribus exemplis duobus modis conficimus argumenta. Affirmatiue sic: Cæsar Pompeium uicit, & militem non poterit uincere? Adulterum occidere licet, ergo & loris cædere. Nam si quis id facit, aut facere potest, quod maius est, poterit, & quod minus est. Negatiue: Rex non potest arcem aut urbem expugnare, ergo nec miles. Cicero non persuasisset, multo minus puer hic. Parenti non obtemperat, & parebit alieno? Sic apud Ouidium, ubi Phaëtonta sol deterret à quadrigis: Vasti quoq; rector olympi,

A dissimli.

A pari exemplo.

A maiori

Negatiue.

Qui fera terribili iaculatur fulmina dextra,
Non aget hos currus, & quid Ioue maius habetur?

Idem paulum infra:

Nec tibi quadrupedes animosos ignibus illic,
Quos in pectore habent, quos iure & naribus efflant,
In promptu regere est, uix me patiuntur, ubi acres
Incaluere animi.

Confirmatur locus propositione: Si id quod magis uidetur inesse, non inest: nec id quod minus uidebitur inesse, inerit. E minori exemplo maius colligitur affirma

affirmatiue, quando minus exemplum pro minus ueri-
simili, seu minus probabili accipitur. Hic puer persua-
A minori affirmatiue sit, igitur & Cicero persuadere potuisset. Terent. in
Andria: Hic paruæ consuetudinis causa huius mortẽ
tam fert familiariter: quid si ipse amasset? quid mihi
hic faciet patri? Furem cædere licet, igitur & latro-
nem. Si puer ista potuisti, uir non poteris? Leo ingre
di antrum potest, ergo & lepus. Si maleficij cõmemo-
ratione offenduntur ij, qui iniuria alium adfecere: quo
modo putes adfectos esse eos, qui rebus ipsis læsi sunt?
Tibicines quum ex urbe recessissent, publice sunt reuo
cati: Ciuitatis principes, qui bene de Republica meriti
sunt, quũ inuidiæ cesserint, ab exilio nõ sunt reuocandi?
In his minus est probabile alienos amari, quàm paren
tes: pueros efficere aliquid posse, quàm uiros: leones
ingredi antrum posse, quàm lepores. Huc pertinet uel
A minori negatiue. gare pronunciatum: Si id quod minus uidetur inesse
inest: & id quod magis uidebitur inesse, inerit. Ne
gatiue, quum minus exemplum pro faciliori, uel ma-
gis probabili accipitur. Non potest arcem expug-
nare, ergo nec ciuitatem. Non licet adulterum lo-
ris cædere, ergo nec occidere. Etenim si quis id facere
non potest, quod minus aut probabilius est: nec pote-
rit id, quod maius est, aut minus uerisimile. Hos locos
Cicero & Quintilianus uocant à cõparatione maiorũ

&

& minorum. Ad exemplareferri possunt sententiæ, parœmiæ fabulæ, apologi. Omnis sentẽtia aliquid probat, sed thema seu axioma consequens ferè subauditur ad hunc modum. Omnis spes in uirtute ponenda, ergo forti animo labores perferendi. Non semper æstas erit properandum igitur, cauendumq; studiose, ne tempus ullum sine fructu abeat. Nihil tam altè posuit natura quò uirtus nõ possit eniti, aut homini nihil arduũ, ergo non desperandum. Mala mille molestãt affliguntq; hominẽ, cui segne & inutile corpus, ergo summo impetu rem aggrediemur. Sententiæ.

PVGNANTIA.

RErum pugnantium quinque ferè genera sunt: relatiua, contradictoria, priuatiua, contraria, diuersæ species & differentiæ. Relatiua ut credere, debere: patronus cliens: præceptor & discipulus. E quibus ad hunc modum conficimus argumenta: Si fateris à me tibi creditam pecuniam, tu mihi debes. Carthaginenses Romanis subiectos fuisse dicitis: constat igitur Romanos Carthagini imperasse. Contradictoria, quæ propositiones sunt, inter quas nullo modo conuenit, ut Homerus poëta est, Homerus non est poëta. E quibus sic ratiocinamur: Si uerum est axioma Cæsar uicit Pompeium: falsum est contradictorium pronunciatum Cæsar non uicit. Priuatiua: ut Relatiua. Contradictoria. Priuatiua.

t lux

lux & tenebræ: uisus & cæcitas. Cæcus est, ergo non uidet. Tenebræ sunt, igitur non est lux. Contraria sunt calidum & frigidum: humidum & siccum: album & nigrum: bonum & malum. Herba calida est, ergo non est frigida. Aër humidus est, non est igitur siccus. Si amandus, qui bene meretur, odio prosequendus, qui male. Si præmio dignus, qui tyrannũ occidit: supplicio adficiendus, qui iuuat. Si ueniam meretur, qui imprudens nocuit: non meretur præmiũ, qui imprudens profuit. Quem res plus nimio delectauere secundæ, mutatæ quatiẽt. A diuersis speciebus et differentijs. Homo est, ergo non est equus. Capax rationis est, igitur non est expers rationis. E loco contrariorum petitur contentio hoc est, contrariorum cõparatio, qua præcipue oratores utuntur in demonstratione personarum, quum unius uirtutes, alterius uitijs conferunt. Sic Cicero in Catilinam: Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus. De hac exornatione plura in orationum figuris dicentur.

COMMVTATA PROportio.

SIcut se habent sex ad tria, sic ad quatuor octo: igitur ut se habent tria ad quatuor, ita sex ad octo.

Vt se

Vt se habent ad septem duo, ita sex ad unum & uiginti: ergo sicut se habent septem ad unum & uiginti, ita duo ad sex. Sicut se habent duodecim ad sex, ita decem ad quinque: ergo ita se habent duodecim ad decem, sicut sex ad quinque. Ita habent se duodecim ad trigintasex, ut ad quindecim, quinq; : igitur sic se habent quinque ad duodecim, ut quindecim ad trigintasex. Si quis ergo negauerit sic se habere tria ad quinque, ut ad quindecim nouem, probari poterit per mutatam proportionem, hoc modo. Sicut se habent tria ad nouem, ita quinque ad quindecim: ergo ita se habent ad quinq; tria, quemadmodum nouem ad quindecim. Hæ proportiones sic forma quadrata depingi possunt.



CONIVGATA ET CASVS.

A Coniugatis. Si fortitudo uirtus est, fortem studiosum esse necesse est. Terentius: Homo sum humani nihil à me alienum puto. Coniugata dicuntur quæ sola nominis terminatione distant, ut candidũ & candor. A casibus. Prudẽter agit, ergo prudens est. Si ingratitudo turpis est, turpiter igitur facis, qui bene merito gratiam non referas. Casus hoc loco est nominis in aduerbium deflexio.

LOCI LAVDATIVI, SVASORIJ, & iudiciales.

TRiplex laus est: personarum, factorum, rerũ. Personæ laudantur à genere, à natione, patria, iuuenta, senectute, ab educatione & disciplina, ab habitu corporis, ab animo, à studio. Qui loci quoq; pertinent ad iudicia, quum causa coniecturalis est, ut in arte oratoria demonstrabimus. Factorum laus è suasorijs locis petitur. Siquidem eadem penè ratione facta laudamus, qua ad ea hortamur. Vt Scæuolæ factum laudatur, quia periculosum, quia utile, quia necessariũ reipublicæ fuerit. Res ut historia poëtice, philosophia probantur, quod sint iucundæ, faciles, honestæ, utiles, necessariæ. Ex his manifestum est laudes factorum ac rerum, & suasorium genus eosdem ferè locos habere. Omissis alijs, nonnihil de personis agemus. A genere.

Cicero

Cicero pro Sextio. Parente Publius. Sextius natus est, homine (ut plerique meministis) & sapiente & sancto & seuero. Vergilius: At non ille satum quo te mentiris Achilles, talis in hoste fuit Priamo. A natione. Sic Cicero testium autoritatem eleuat, quod Græci sint, his uerbis: Tribuo illis literas, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis lepõrem, ingeniorũ acumen, dicendi copiam: denique & si qua sibi alia sumunt, non repugno: testimoniorum religionem, & fidem nunquam ista natio coluit: totiusque huiusce rei, quæ sit uis, quæ autoritas, quod pondus ignorat. Hic utile fuerit singularum gentium mores tenere. Græci mendaces dicuntur: Galli leues: Pœni perfidi: Latini supercilioſi: Germani bellicoſi: Hiſpani iactabundi. Cicero pro L. Sylla. Licet ipſi nos amemus, tamen nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos ſuperamus. A patria Athenienſis eſt, ergo ueriſimile eſt eum Græce loqui. Romanus eſt, igitur & Romane ipſum loqui probabile eſt. A ſexu. Cicero. Pro Sextio: Mortem quam etiam uirgines Athenienſes pro patria contempſiſſe dicuntur, ego uir conſularis timerem? Habitus corporis ſæpenumero naturam hominis, & animi cõditionem exprimit. Vnde ita ratiocinamur: Forma bona, uultus modeſtus, humeri demiſſi, probabile eſt igitur probum eſſe & honeſtum. Contra, color ſeruilis

est, pilosæ genæ, dentes putridi, os intortum, humeri inæquales: quis sub ist iusmodi corporis habitu animũ sceleratißimum latere dubitet? Cic. in oratione pro Roscio: Nónne ipsum caput, & supercilia penitus abrasa olere maliciam & clamare calliditatem uidentur? A nomine. Vt si quem Valerium esse nominatum dicamus, quòd animo & corpore ualeat. Candidum, quòd minime sit cãdidus. Probum, quòd minime probus sit. Ad personarum demonstrationes spectant uirtutũ ac uitiorũ genera. Suasorios locos supra enumerauimus: hic aliquot eorum exẽpla ponemus. A tuto argumentum colligit Dauus, ubi inquit, nullum fore periculum si Phamphilus dixerit uxorẽ se uelle ducere. A pericu

In pricipio lib. 2. Meta morph.

lis. Ouid. Medio est altißima cœlo. Vnde mare et terras ipsi mihi sæpe uidere. Fit timor, & pauida trepidat formidine pectus. Vltima prona uia est, & egent moderamine certo. Tunc etiã, quæ me subiectis excipit undis, Ne ferar in præceps Thetis solet ipsa uereri. Ait uiam esse sublimem in medio cœlo: circa occasum uerò, pronam & præcipitem. A difficili. Idem: Ardua prima uia est, et qua uix mane recẽtes Enituntur equi. Similia facile ex autoribus peti possunt. Iucundum uocamus, quod uoluptatẽ, aut animi, aut corporis, aut utriusq; adfert. Facile, quod sine periculo et negocio possit fieri. Necessariũ, quod aliter fieri negt.

Locũ

Loc iudiciales sunt tabulæ, testes, quæstiones, rumores quibus aut deberi nobis aliquid, aut alios quicquam fecisse, quod negant, confirmamus.

DE VSV LOCORVM.

RElíquum est, ut aliquid de locorũ usu dicamus. Quatuor adferunt commoditates. Conducunt enim maxime ad copiã: inde ad confirmationem: tum ad confutationem: deniq; ad palinodiam, exercitationem cum primis utilem iuuenibus. Loci sunt definitio, genus, species, adiacentia, officia, efficiens causa, finis, effecta. Eos hoc modo in thematum natura scrutanda percurremus. Si suadere philosopho uelis, ut ducat uxorem: thema uel thesis constituenda: Sit ne philosopho ducenda uxor. Huius partes duæ sunt, philosophus & uxor, quas per locos omnes deducemus. Philosophus est homo sapiẽtiæ studiosus. Species: Stoicus, Peripateticus, Academicus, Epicureus. Adiacentia, quæ & propria dici possunt, pallor, macies, horror, seueritas uitæ, morum integritas, amor laborum rerum humanarum incuria, contemptus uoluptatum. Officia, studere, uigilare, & aliquid semper efficere, quò melior ipse, meliores alij fiant. Finis bene tranquilleq; uiuere. Effecta sunt mores hominum uitaque rectis institutis emendata, & cõscriptæ uiuendi leges. Pari forma discurrendum per locos alterius partis.

Vxor est mulier in consortium uitæ liberorum causa legitimè accepta. Adiacentia, pudicitia & negligẽtia tori. Actus & officia, blandiri, queri, rixari, suspicari æmulam metuere, & communem rem familiarem curare. Finis, procreatio & educatio liberorum. Quantum hæc ad copiam conferant nemo non uidet. Tres cõmoditates alias demonstrabo. Si philosophum hortari uelimus ut ducat uxorem: ad confirmationem pertinebit, quod uxores pariunt ac educant liberos, quod curam habent rei familiaris. Ad confutationem uerò, quod queruntur, rixantur atq; omnia perturbãt. Ad palinodiam hac ratione. Si deterrere eundem ab uxore uelimus, dicemus eas blandiri, queri, rixari, perturbare omnia; neq; hominem unquam tranquillum esse, qui semel in malam inciderit uxorem. Deinde ea quæ causam ante cõfirmabant, sic refutanda. Pariunt quidem liberos, sed cum ijs pariunt perpetuam calamitatem: & rem domesticam ita curant, ut nonnunquã plura dissipent, quàm maritus colligat. Simili modo per loc̃os encomiasticos, suasorios, atque iudiciales uagabimur in quæstionibus alijs. Indicant enim quid de re quaq; dicendum sit.

SEQVVNTVR TABVLAE
aliquot Dialectices.

Τοπικὰ, siue inuentio, qua cõtinentur loci

quinq; pugnantiũ rerum genera, relatiua, contradictoria, priuatiua, contraria, diuersæ species & differentiæ, cõmutata proportio, cõiugata, causus. Quidam loci ad utraq; themata pertinent, ut etymologia, definitio, causæ.

Rhetorici

Demonstratiui, seu encomiastici, nã dialectici gñis locos, qa illud præcipuã suã supellectilẽ habet ex arte dialectica, inter locos dialecticos posuimus. Et historicũ genus nihil nisi ꝑpetua quædam narratio est.

- Personarum, genus, natio, patria, sexus, infantia, pueritia, adolescentia, iuuenta, senectus, educatio, & disciplina, forma uel habitus corporis, animi natura, studium. Quibus adduntur genera uirtutum & uitiorum.
- Factorum, ut Scæuolæ facti, utile, inutile, honestũ, inhonestum, periculosum, tutum, necessarium, facile, difficile, iustum, iniustum.
- Rerum, ut belli, pacis, philosophiæ, iucundum, facile, necessarium, utile, honestum, periculosum, iniucundum, difficile, inhonestum, non necessarium, inutile.

Suasorij,

Tutum, iucundum, facile, necessarium, utile, iustum, honestum, periculosum, iniucundum, arduum, non necessarium, inutile, iniustum, inhonestum.

Iudiciales,

Testes, tabulæ, quæstiones, rumores.

Singulares uel individuæ.

Quædam

Genus.

nestum, periculosum, iucundum, arduum, non ne-
cessarium, inutile, iniustum, inhonestum.
Iudiciales, Testes, tabulæ, quæstiones, rumores.

Singulares uel individuæ.
Quædam
Communes — Genus. Species. Differentia. Proprium. Accidens.
Dictiones, quarum
Quædam — Substãtiarũ. Quantitatũ. Qualitatũ. Relationũ.
Ad uocũ ordinẽ pertinent formæ finiendi diuidẽdiq;.
κρίτικὴ, ue iudicatio quæ describit
Propositiones, quæ diuidũtur in simplices & cõpositas, in ueras & falsas, in affirmãtes & negantes, in generales, particulares, indefinitas, singulares.
Probationes, seu formas argumentorum quatuor. — Syllogismum. Enthymema. Inductionem. Exemplum.
Dialecticæ partes duæ
Dialectici thematũ — Simplicium, quæ etymologia, an sit, quid sit, quæ causæ, unum an multa, quæ species, quæ partes, quæ uires uel officia.
Compositorum, genus & communes, species & particulare, differentia, etylogia, definitio, descriptio, totum & partes, causæ quatuor & totidem

PRIOR VOCVM DIVISIO.

Dictionum aut uocum duæ formæ

- Singulares, seu indiuiduæ: Cicero, Bucephalus, hæc herba, ille homo, ista domus.
- Communes
  - Genus, animal, flos, herba, uirtus.
  - Species, homo, equus, leo, aurum, argentum, plumbum.
  - Differentia, habens mentẽ, mente uacans, sentiens, non sentiens.
  - Proprium, posse loqui, ridere, numerare, mugire, hinnire.
  - Accidens, album, orator, poëta, domus, uestis, pannus, liber.

ALTERA DIVISIO VOCVM.

Dictiones alia ratione in genera quatuor diuiduntur. Aliæ enim

- Substantiarum, ut homo, lana, lapis, lignum, caput, pectus, pes, digitus.
- Quantitatũ, ut palmus, pes, passus, iugerũ, annus, mẽsis, duo, tria, uncia, sextans, quadrans, triens.
- Qualitatum, ut rhetorice, dialectice, geometria, prudentia, iustitia, fortitudo, album, nigrum, uestis, panis, nauis.
- Relationũ, seu relatiuæ: idem, diuersum, æquale, inæquale, par, impar, simile, dissimile, dux, comes, auus, nepos, proconsul, prouincia, magnum, paruum, primus, secundus, tertius, simplum, duplum.

Finitio duplex
- Nominis, ut consul est, qui reip. cõsulit: Medicus, qui medetur: Theologus, qui de deo loquitur: Achelous, est fluuius: Athenæ, ciuitas: Olympus, nomẽ mõtis est.
- Rei,
  - Substantiæ, animal corpus uiuum est & sentiens.
  - Causarum, domus est ædificium ẽ lignis & lapidibus habitatiõis causa constructum.
  - Quæ cõstat effectibus, seu officijs.
  - Quæ ex partib. uel specieb. cõstat
  - Quæ ex accidentibus cõponitur.

Diuisio triplex
- Generis in species.
- Rei in partes.
- Rei in accidentia.

Quõ arbores diuiduntur in
- Malum, pinum, esculum, quercum.
- Radices, truncũ, ramos, folia, fructus.
- Domesticas & syluestres.

Dispositiones uel formæ confirmationum quatuor sunt,

- Syllogismus, cuius partes
  - Propositio, expositio, uel propositio maior.
  - Assumptio, propositio minor.
  - Thema, complexio, intentio, conclusio.
- Enthymema, cuius partes antecedens & consequens. Omnis insidiator iure occiditur, ergo Clodius iure cæsus est.
- Inductio, cuius partes quoque antecedens & cõsequens. Alexandri, Herculis, Cæsaris, Platonis, Demosthenis, Ciceröis, Vergilij labores par Fortuna sequuta est: ergo semper, quod Græci aiunt, Θεὸς πόνῳ ἀποκρίνει τύχη.
- Exemplum, à simili, dissimili, pari, maiori, minori. Huc pertinent sententiæ, paræmiæ, fabulæ, apologi.

Id est, Laborire-spondet fortuna.


Syllogismus constat
Materia, cuius partes
Tres uoces: maior, minor, media.
Duæ propositiones, maior & minor cum themate.
Forma, uel dispositiõe materiæ, cuius partes duæ sunt
Figura, est dispositio medij. Hæc triplex est,
Prima, quãdo ipsum in priore propositione subijcitur: in posteriore prædicatur.
Secunda, quũ in utraque prædicatur.
Tertia, quando bis subijcitur.
Modus, est dispositio quantitatis & qualitatis propositionum. Hic indicat, quæ axiomata esse debeant generalia, particularia, affirmantia, negantia.

Quibusdam talis locorum distinctio placet.

Probationes sunt

Aut ἄτεχνοι, ut rumores, tabulæ, testes, quæstiones.

Aut ἔντεχνοι, seu artificiosæ quæ constant

Signis, quorũ

Quædam

Necessaria, peperit, non est igitur uirgo.

Probabilia, sepelijsti solus, ergo occidisti.

Quædam

Antecedentia, nullus apparatus est, ergo non erunt nuptiæ.

Adiuncta, Pallet, cogitabundus sedet, animum subinde mutat, igitur amat.

Consequentia, Expalluit, titubauit, trepidauit, ergo sibi conscius est.

Argumentis, quæ ducuntur

Vel à personis, ut genus, natio, patria, sexus, educatio, pueritia, adolescentia, iuuenta

Vel à rebus, ut genus, species, definitio, exemplũ, simile, par, maius, minus.

IOACHIMVS FORTIVS PETRO Stellæ legum professori peritissimo, Salutem dicit.



AS de eloquentia præceptiones nomini tuo dedicamus doctissime Stella, nõ quòd ijs tibi sit opus, sed quòd forsitan nonnihil possint conducere Ludouico filio tuo eloquentiæ studioso. In quo adolescente uixdũ quindecim annos nato, quum Aureliæ eram sæpe miratus sum utriusq; linguæ peritiam tantam, ut etiam cum uiris doctis certare possit. Hunc postq̃ semel atq; iterum audiueram interpretantem dialogos Luciani, quandoq; sum hortatus ad exercitiũ, non ut quotidie bis doceret, quemadmodũ passim clamitat uulgus, sed per omnes diei horas nunc publice, nunc domi, nuncin aliorum ædibus, ut ab aurora ad Solis occasum, si fieri posset, nunq̃ lingua quiesceret. Quod si faceret, breui futurus esset, nõ modo tibi et patriæ, sed toti mũdo admirabilis. Mirantur credo q̃ plurimi, quur tantopere semper exercitiũ probẽ, sed ipse sum expertus id, qd' uulgari puerbio dicitur, μελέτη πάντα δμᾶται i. Exercitiũ Crede hoc mihi, quod euentus indicabit, tanto cõperies oia posse doctiorẽ filiũ, quanto sæpius docuerit. Multi tabescũt lectione solitaria per annos decẽ aut uiginti, sed quem

Vel a rebus, ut genus, species, definitio, exemplũ, simile, par, maius, minus.

ſructũ referunt? Quum proferenda ſunt ſtudia, muti ſunt: nihil ſummatim & apte docere poßunt, nec epiſtolam unã, ſi opus fuerit, ſcribere. Nomine duntaxat ſunt eruditi, quacunq; uagãtur incerto ſcopo, temere percurrunt oĩa, & quũ ſolos ſe omnia habere credũt, ſoli omnium ſunt expertes. Ingentẽ librorũ copiam habent, præter quã nihil queunt oſtentare. Contra quàm pulchrũ eſt, uerſari in cœtu hominum, atq; ex omniũ uultu, oĩm ſentire iudicia, uidereq; quid magis aut minus arrideat? Homerus, Demoſthenes, Cicero aliiſq; innumeri nunquã tam clari extitiſſent, ſi noſtrorum hominum more ſemper ſomniaſſent domi. Si quiſq; eſſet tam fortunatus, ut per ſingulas diei horas, idq; annorũ quinq; ſpatio, in maxima multitudine docere poßit (quod facile eſt nuſq; hærentibus) hic haud dubie euaderet tantus, quantus nemo unquam fuit, aut unquam ſit futurus. Qui quinquagies aut centies dicendi artem tradidit, expeditius eã in promptu habet, quàm ſi per totam uitam in Rhetorum ſcriptis ſomniaſſet, ſeſeq; infelici labore conſumpſiſſet in tenebris. Hæc propterea tibi ſcripſi, quòd aliquando rogare me ſoles, quæ ſtudendi ratio cõmodiſſima uideatur. Aiebas te uelle filium tuum oratoriã artem perdiſcere, ad eam hæ noſtræ præceptiones, haud parũ cõferent emolumenti. Vale Stella chariſſime, ego tui tuorũq; meritorũ ſemper ero memor. Lugduni Calẽdis Ianu. M.D.XXXI

IOACHIMI
FORTII RINGELBERGII
Andouerpiani Rhetorica.



HETORICEN uocant bene dicendi scientiam. Distat à Dialectica, quod neruos omneis & robur orationis totius petimus à Dialecticis: ornatum à Rhetoricis. Aut quod dialectice tanquam primas causæ lineas ducit: Rhetorice uiuos addit colores. Orator est uir bonus dicendi peritus. Ab rhetore & declamatore distat. Quod orator dicitur, qui causas ueras agit. Quales fuere Cicero ac Demosthenes. Rhetor uerò professor Rhetorices. Declamator, qui causas fictas agit exercitij gratia. Item orationes, oratoris sunt, ut orationes Ciceronis, ac Demosthenis, declamatiões, declamatoris. Dicere hic uocamus apte, copiose et distincte loqui. In Rhetorices præceptionibus hunc seruabimus ordinẽ. Primum causarum genera distinguentur. Inde tradentur inuentionis, siue oratiõis partes: exordium, narratio, diuisio, confirmatio, confutatio, conclusio. Postremo reliqua quatuor oratoris officia: dispositio, elocutio, memoria, pronunciatio.

DE TRIBVS CAVSARVM Generibus.

QVo facilius intelligamus causarum genera dicendum quid proprie causam uocemus. Hæc aliquando significat id, ex quo, propter quod, per quod siue à quo aliquid fit. Eiusmodi causæ quatuor sũt: efficiens, materia, forma, finis, quas in Dialectica descripsimus. Sæpenumero ponitur pro ratione. Interdum pro actione omni, quàm in foro, aut in senatu habemus Sic dicimus tria esse causarum genera: demonstratiuũ deliberatiuum, iudiciale. E quibus tamen magis proprie causa uocatur, quæ iudicialis est. Demonstratiuũ genus est, quò laudamus, uituperamus, narramus, aut docemus aliquid: ita dictũ, quod demonstret, quale aliquid sit. Deliberatiuum siue suasorium, quò quicquã suademus uel disuademus. Iudiciale quo accusamus uel defendimus in iudicio aliquẽ. In demonstratiuo genere uersatur Plinij Panegyricus: in suasorio, Solis apud Ouidium oratio, qua Phaëtonta deterret à quadrigis: in iudiciali, omnes fermè tum Ciceronis tum Demosthenis orationes. Item ad demonstratiuum genus referendæ descriptiones personarum, regionum, prædiorum, artium, fontium, hortorum, montium, monstrorum, tempestatum, itinerum, conuiuiorũ, ædificiorum pomparum. Ad suasoriũ, cõciliatio, exhortatio, dehortatio,

tatio, ſuaſio, diſſuaſio, cõſolatio, petitio, commendatio, monitio. Ad iudiciale, accuſatio, querela, defenſio, expoſtulatio expurgatio, exprobratio, cõminatio, deprecatio. Demonſtratiui generis finis eſt honeſtas: deliberatiui, utilitas: iudicialis, æquitas. Hæc tria genera ita diſcernuntur. Res aut futuræ ſunt, aut factæ. De futuris deliberamus. Factæ uel in iudiciũ uocantur: uel extra iudiciũ docẽtur, narrãtur, laudãtur, uituperãtur. Vel ſic: Oĩs cauſa uel uerſatur in iudicio, uel extra iudiciũ. Si in iudicio, iudicialis eſt. Si extra iudicium, aut tractat res præteritas, aut futuras. Si præteritas, demõſtratiua eſt. Si futuras, deliberatiua. Nã de futuris cõſultamus, nõ de præteritis. De primo genere plura dicenda.

DE GENERE DEMONSTRATIUO.

ID triplex eſt, dialecticon, hiſtoricõ, laudatiuũ. Dialecticũ eſt, qd' cuiuſcunq; thematis aut ſimplicis aut cõpoſiti naturã demonſtrat. Idẽ & didacticõ, & methodicõ appellatur. Vt quũ ſermo eſt de mũdo, de deo de homine: aut quũ inquirimus, an prudẽtia uirtus ſit. Hæc oĩa ad Dialecticos locos pertinẽt: ac ideo inde nomen habent. Eo genere ſcripta ſunt officia Ciceronis. Hiſtoricon, quo res geſtæ deſcribuntur. Laudatiuũ triplex eſt. Laudãtur enĩ uel perſonæ, ut Cæſar: uel facta ut Sceuolæ factũ: uel res, ut pietas, iuſticia, fortitudo.



DE OFFICIIS ORATORIS.

QVinq; sunt officia oratoris, inuenire, disponere, exornare, uerbis & sententijs, edisserere, ac pronunciare uel agere. Inuentio, est excogitatio rerum uerarum, aut uerisimilium, quæ causam probabilem

bilem reddant. Dispositio, est apta rerum, atq; argumentorum omniũ collocatio. Elocutio, est idoneorum uerborũ & sententiarũ ad inuentionem accõmodatio. Memoria, est firma animi, rerum & uerborum dispositionis præceptio. Pronunciatio, est uocis uultus ac gestus moderatio cum uenustate & gratia. Eadem Cicero in libris de oratore hisce uerbis enumerat: Quinq; faciunt quasi membra eloquentiæ: inuenire quid dicas inuẽta disponere, deinde ornare uerbis, post memoriæ mandare, tum ad extremum agere, aut pronunciare. Idem alio loco: Si quis uniuersam & propriã oratoris uim definire complectiq; uult, is orator erit, qui quæcunq; res inciderit, quæ sit dictiõe explicanda, prudenter, & cõposite, & ornate, & memoriter dicat, cũ quadã etiam actionis dignitate. Prudenter ad inuentionem refertur: composite ad dispositionem: reliqua ordine ad alia. Omnis oratio constat rebus & uerbis. In rebus intuenda intuentio: in uerbis, elocutio: in utroq;, dispositio: hæc memoria complectitur omnia, & actio siue pronunciatio commendat. Sunt & tria alia officia oratoris: ut probet, ut delectet, ut flectat. Probare necessitatis est: delectare suauitatis: flectere uictoriæ. Ad probationem pertinent confirmatio, et confutatio ad delectationem, ornatus sermonis & elocutio: ad uictoriam ratio affectuum.

DE PARTIBVS ORATIONIS, siue inuentionis.

ORationum quatuor ferè species sunt. Ciuilis, qua utuntur in concionibus, qui administrant remp. Priuata, qua priuati inter sè mutuo colloquuntur. Dialectica, qua cõpendio ij qui rogant, & respondent ad interrogata, disserunt. Et oratoria, qua utuntur oratores, quum laudãt, accusant, uel defendunt aliquem. Huius sex sunt partes: exordium, narratio, diuisio, confirmatio, confutatio, conclusio. Quarũ prima, auditorum animos conciliat: narratio, & contentio docent: peroratio mouet. Ordo dictus naturalis est, & crebrior. Verum pro causæ ratione uarie potest immutari.

DE EXORDIO.

EXordium, est principium orationis, quo audito res facimus attentos, beneuolos, ac dociles. Attẽtos facimus sex modis. Primum, si pollicebimur nos de rebus magnis, nouis, inusitatis uerba facturos. Quẽad modum Vergilius: Protinus aërij mellis cœlestia dona Exequar, hanc etiam Mecœnas aspice partem. Admiranda tibi leuiũ spectacula rerum, Magnanimosq; duces, totiusq; ex ordine gentis Mores, & studia, & populos, & prælia dicã. Scripturus de apibus, gentiũ mores, studia, populos, atq; prælia pollicetur. Secũdo: Si

rogabimus

rogabimus ut attente audiant. Id frequens est apud Ciceronem, & in prologis comœdiarū. Vergilius in eodem loco: Hanc etiam Mecœnas aspice partem. Tertio, expectatione. Si paululum expectabimus cum grauitate quadam, & seueritate uultus, antequam ordiamur. Vt apud Ouidiū in oratiōe Vlyssis: Donec Laertius heros Astitit, atq; oculos paulum tellure moratos Sustulit ad proceres, expectatoq; resoluit ora sono. Quarto: Si pollicebimur nos dicturos breuiter solū ea quæ putabimus quàm maxime pertinere ad utilitatem causæ. Quinto: Si interdū aliquid salsi facetiq; narrabimus quod audiendū excitet, & à tædio defendat orationem. Sexto dubitatione. Si dubitare nos significabimus quibus potissimum uerbis rem tantam exordiamur. Vt dicturus de tam sublimi immensoq; & modū omnem cogitationis humanæ excedente mysterio, nō ui deo quibus uerbis, aut qua ueneratione aptius rē tantam prosequar. Attentio inter agendum renouari potest ita. Magna sunt hæc, sed leuia præ his, quæ nunc dicturus sum. Nunc ad ipsum rei caput accedo. His lōgius fortasse sum immoratus, cætera paucis ac dilucide expediam. Beneuolentiam captamus quatuor modis: à nostra persona, ab aduersariorum, ab auditorum persona, & à rebus ipsis. A nostra persona beneuolentiam contrahemus, si nostrum officium sine

arrogantia laudabimus. Teren. Ego postquam te emi à paruulo, ut semper tibi apud me iusta & clemens fuerit seruitus scis: feci è seruo ut esses libertus mihi, ꝓpterea quod seruiebas liberaliter. Quod habui summum precium, persolui tibi. Vlysses apud Ouidium libro Metamorphoseon decimotertio.

Néue mihi noceat, quod uobis semper Achiui
Profuit ingenium.

Sed quia crebrius hac oratione utemur, particulã eius apponam:

Donec Lãertius heros.

Astitit: atq; oculos paulum tellure moratos
Sustulit ad proceres, expectatoq; resoluit
Ora sono: neq; abest facundis gratia dictis.
Si mea cum uestris uoluissent uota Pelasgi,
Non fòret ambiguus tanti certaminis hæres,
Tuq; tuis armis: nos te poteremur Achille.
Quem quoniam non æqua mihi uobisq; negarunt
Fata (manuq; simul ueluti lachrymantia tersit
Lumina) quis magno melius succedet Achilli,
Quàm per quem magnus Danais succeßit Achilles.
Huic modo ne prosit quod, ut est, hebes esse uidetur.
Néue mihi noceat, quod uobis semper Achiui
Profuit ingenium, meaq; hæc facundia, si qua est,
Quæ nunc pro domino, pro uobis sæpe locuta est,

Inuidia

Inuidia careat, bona nec sua quisq; recuset.
Nam genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra uoco: sed enim quia rettulit Aiax
Esse Iouis pronepos, nostri quoq; sanguinis autor
Iuppiter est, totidemq; gradus distamus ab illo.

Ab aduersariorum persona, si eos in odiũ, in inuidiam, in contemptionem adducemus. Sic beneuolentiã Cicero captat in præfatione ad Herennium. Quas ob res, inquit, illa quæ Græci scriptores inanis arrogãtiæ causa sibi adsumpserunt, reliquimus. Nã illimé parum multa scisse uiderentur, ea cõquisiuerunt, quæ nihil ad propositum attinebant, ut ars difficilior cognitu putaretur. Nos autem ea, quæ uidebantur ad rationem dicendi pertinere, sumpsimus. Non enim spe quæstus aut gloria commoti uenimus ad scribendum, quemadmodum cæteri: sed ut industria nostra tuæ morẽ geramus uoluntati. Ab auditorum persona: si illos aut illorum dicta uel gesta laudabimus. Velut apud Terentium in Andria: Propterea quod seruiebas liberaliter, Cæterum in iudiciali genere, ubi maxime ad uictoriam tendit oratio, iudicis laus accõmodari debet ad utilitatem causæ. Vt allegemus pro honestis, dignitatẽ illi suam pro humilibus, iusticiam: pro læsis, seueritatem: pro infelicibus, misericordiam. Idcirco Cicero Ligarium exulem defendens, & ueniam petens non æquitatem,

non

non doctrinam, aut alias doces, sed solum misericordiã laudat Cæsaris. Nulla de uirtutibus tuis plurimis nec gratior, nec admirabilior misericordia est. Hoïes enim ad deos nulla re propius accedunt, quàm salutem hominibus dando. Nihil habet nec fortuna tua maius, quã ut possis: nec natura tua melius, quàm ut uelis conseruare quàm plurimos. A re ipsa, si rem de qua dicturi sumus, auditoribus fore frugiferam adfirmemus. Hoc modo faciemus & attentos & beneuolos. Attentos, quia res futura est utilis. Beneuolos, quoniam studere uidemur illorum commoditati. Quippe nisi fauere mus, non traderemus, quod illis foret utile. Dociles, tribus modis. Primum, si summam causæ breuiter exponemus: uel, si dicamus quid aut quo ordine simus scripturi: ut omnes poëtæ, quando proponunt. Homerus poëta: Ἀνδρα μοι ἔννεπε μῶσα πολύτροπον ubi se uerba facturũ de Vlysse pollicetur. Ouid. in Fastis: Tempora cum causis Latium digesta per annũ, Lapsaq; sub terras, ortaq; signa canã. Deinde si ante omnia diluamus eam partẽ, quam nobis putamus maxime offecturam. Ouidius in oratione Vlyssis: Neue mihi noceat, quod uobis semper Achiui Profuit ingeniũ, meaq; hæc facundia, si qua est, Quæ nunc pro domino, pro uobis sæpe locuta est, inuidia careat. Aiax ante persuaserat Vlyssi non habendam esse fidem, quod

i. Virũmihi dic Musa prudentem

quod facundia facile falleret auditor. Id diluit Vlyſſes, docetq; iniquum fore, ſi facundia, quæ toties profuerat Græcis, ſibi nũc officiat. Quare auditores, qui ante inſtituerant non habendam eſſe fidem orationi, dociles facit, & aptos, ſiue promptos ad audiendam, ac cognoſcendam cauſam. Deniq;, ſi interdum repetemus, quæ non ſatis percepiſſe eos, qui cognoſcunt, putabimus.

EXORDIORVM SPECIES.

DVo exordiorum genera ſunt, principium & inſinuatio. Principium uocamus, quando auditores facimus attentos, beneuolos, atque dociles aperte. Quale eſt illud apud Terentiũ in Aud. Ego poſtquàm te emi à paruulo, ut ſemper tibi apud me iuſta & clemens fuerit ſeruitus ſcis, feci è ſeruo ut eſſes libertus mihi, propterea quod ſeruiebas liberaliter, quod habui ſummum precium perſolui tibi. Cicero in Catilinam: Rempub. Quirites, uitamq; omnium ueſtrũ, bona, fortunas, coniuges, liberosq; ueſtros, atque hoc domicilium clariſſimi imperij, fortunatiſſimã pulcherrimamq; urbem hodierno die deorum immortalium erga uos ſummo amore, laboribus, conſilijs, periculisq; meis ex flamma, atq; ferro, ac penè ex faucibus fati, ereptam, & uobis conſeruatam ac reſtitutam uidetis. Vtrobiq; aperte ab officio ſuo beneuolentiam

iam captant. Insinuatio uerò est, quando hæc eadem prestamus, hoc est, attentos, beneuolos, & dociles, facimus, sed occulte, ut lachrymis, aut alia quapiam ratione. Nam ab iratis si perspicue pax & beneuolentia petatur, non modo ea non inuenitur, sed augetur atq; inflammatur odium. Insinuationis exemplum longe elegantissimum est in oratione Vlyssis, cuius initium supra adscripsimus. In ea attentos facit expectatione, beneuolos lachrymis, dociles, diluendo id, quod Aiax de facundia Græcis persuaserat. Cæterum ut constet quando utendũ sit principio, quando insinuatione, alia ratione distinguenda causarum genera.

ALIA CAVSARVM DIVISIO.

Dictum est prius tres esse causarum formas: demonstratiuam, deliberatiuam, iudicialem. Cuius q; illorum quinque adhuc genera sunt: honestum, turpe, dubium, humile, obscurum. Honestum causæ genus uocãt, quando id laudamus, suademus, defendimus: quod ab omnibus uidetur laudandum, suadendum, defendendũ. Vt quum laudamus fortitudinem, quum hortamur ad pacem, quum pro patre aduersus latronem dicimus. Turpe, quum aut honesta res oppugnatur aut defenditur turpis: ut si dicas aduersus patrem pro latrone. Dubium est, quando habet in se causa & honestatis & turpitudinis partem: ut si quis dicat

pro patre latrone. Turpe est enim defendere latronem: pulchrum defendere patrem. Humile, quum contempta res adfertur. Obscurum, quum causa intricata seu obscura est. Nunc qua nam ratione ordiendum sit in singulis causarum generibus dicendum. Quando res honesta est, uti licebit principio, nisi auditores sint uel defessi audiendo alios, uel persuasi ab aduersarijs. Quando causa turpis erit, utendum insinuatione. In genere dubio utemur principio. Sed ante omnia diluemus partẽ, quæ habet turpitudinẽ, ne ea nobis obsit. In genere causæ humili magis faciemus attentos. Vt Vergilius. Protinus aërij mellis cœlestia dona Exequar. In obscuro, dociles.

QVANDO NON LICEAT uti Principio.

TRia sunt tempora, quibus principio uti non licet quando causa turpis est: quando auditor persuasus est ab his, qui ante contra nos dixerunt: & quĩ idem defessus est eos audiendo, qui ante dixerũt. Quando causa turpis est, utemur insinuatione. Quũ auditor persuasus est ab his qui cõtra nos dixerunt, ordiemur à dicto aduersarij, quod postremo loco dixerit: uel ab eo, quod firmissimum sibi adiumentum fore putauerit Vt in Vlyssis oratione: Néue mihi noceat, quod uobis semper Achiui Profuit ingenium: meaque

hæc

hæc facundia, si qua est, Quæ nũc pro domino, pro uobis sæpe locuta est, Inuidia careat. Hoc loco Vlysses orãtur ab eo, quod aduersarius Aiax putauerat sibi fore firmissimum adiumentũ. Quando auditor defessus est ordiemur à fabula, apologo, aut aliqua re, quæ risum moueat. Cicero quum diceret, uidit generum suum homunculum præter euntem magno cinctum gladio. Dij boni, inquit, iudices, quis alligauit generũ meũ gladio? Posset & hoc narrari inter dicendum. Roganti imperito cuidam oratori, num oratio bene mouisset ad cõmiserationem, Catulus respondit: Profecto nemo tam durus fuit, cui oratio tua non sit uisa miserabilis.

DE INVOCATIONE.

ORatores aliquando in exordio inuocant more poëtarum. Vt Domosthenes in oratione aduersus Aeschinem pro Ctesiphonte: Primũ quidem uiri Athenienses, deos atq; deas omneis precor, ut quantũ beneuolentiæ ipse semper habui & erga hanc urbem & erga uos, tantum mihi nunc à uobis præstetur in præsenti certamine.

DE EXORDIIS VITIOSIS.

VItiosa exordia quatuor sunt: apparatum, commune, longum, & contra præcepta. Apparatum nuncupamus, quod nimium splendide uel adfecta te compositum est. Commune, quod pluribus causis po

potest

poteſt accommodari. Longum, quod pluribus uerbis compoſitum eſt, quàm cauſa requirit. Contra præcepta, quod præcipue dociles facit, quum opus eſt beneuolentia, aut attentione: & quod neq; attentos, neq; beneuolos, neq; dociles efficit auditores.

DE NARRATIONE.

NArratio, eſt rei factæ, aut non factæ utilis ad perſuadendum expoſitio. Narrationum duæ ſpecies ſunt. Altera ipſius cauſæ, quum exponimus rẽ geſtam, & omnia trahimus ad utilitatem noſtram uincendi cauſa. Id fit quinq; modis: partitione, præparatione, eleuatione, exaggeratione, admonitiõe. Partitio in narratione tædium leuat: ut dicam iudices, quæ acta ſunt ante rei contractum: quæ in re ipſa, item quæ poſtea: & audiſtis iudices, quæ acta ſunt ante rei cõtractum: nunc audietis, quæ in re ipſa. Præparatio, eſt quando quicquam addimus de noſtro, quod faciat ad utilitatem cauſæ. Vt in oratiõe pro Ligario: Ligarius profectus eſt in Aphricã, quum eſſet adhuc nulla belli ſuſpicio. Hic eum profectum eſſe in Aphricam, ad ueram rei narrationem ſpectat. Cæterum quod tum nulla ſuſpicio belli fuerit, id Cicero adiecit de ſuo, idq; poſtea approbauit. Idcirco narratio, confirmationis propoſitio eſt: & confirmatio, narrationis probatio. Narratio quippe ſæpe ea proponit, quæ poſtea con-

firmabimus: & confirmatio ea probat quæ ante sunt narrata. Eleuatio, est rei uel criminis depreßio siue diminutio. Vt si luxuriam uocemus hilaritatem: auaritiam, parsimoniam: negligentiam, simplicitatẽ. Exaggeratio contraria est eleuationi. Admonitio. Cicero: Adhuc Ligarius omni culpa uacat. Admonet Cæsarẽ nondum dictum esse aliquid dignum accusatione. His quinq; formis narratio ad uictoriam tendit.

DE DIGRESSIONE.

ALtera narratiõis species, est rerum ad causam pertinentiũ. Quæ à Græcis παρέκβασις, à nostris digreßio nuncupatur. Ea fit causa transitionis, exornationis, laudationis, criminatiõis, & descriptionis locorum, quam topographiam nominant. Transitionis: quò commodius transeamus ad rem aliam. Vtin Metamorph. Ouidius, quum narrasset fabulã Daphnes, quo pacto erat mutata in laurum: ut cõmode transiret ad fabulam Ius, omnia flumina conuenisse memorat ad patrẽ Daphnes cõsolationis causa, præter patrẽ Ius, qui domestico erat impeditus luctu, propter filiã, quæ conuersa erat in iuuencã. Quod itaq; dixit cõfluxisse illuc fluuios, digreßio est: quæ nihil quidẽ ad institutum, hoc est, ad rerum metamorphosin pertinet, nisi quod fabulas cõnectit. Exornationis: ut apud Vergiliũ, ubi describitur tẽpestas, qua coactus est Aeneas in Aphri-

in Aphricam. Laudationis, ut apud Ciceronem pro Cornelio Balbo, ubi digreditur ad laudes Pompeij. Crĕminationis, quum aliorum crimina eleuamus, quò aduersarij uideatur grauius. Locorũ descriptionis: Sic Ouidius in formarum mutatione describit Parnasum montem, in quo seruati erant Deucalion & Pyrrha, Separat Aonios Actæis Phocis abaruis, (his uerbis:

Terra ferax, dum terra fuit, sed tempore in illo
Par maris, & latus subitarum campus aquarum,
Mons ibi uerticibus petit arduus astra duobus,
Nomine Parnasus, superatq; cacumine nubes.

DE CIRCVNSTANTIIS.

AD narrationẽ pertinent circunstantiæ, quarũ duo genera sunt. Aliæ nãq; rerum sunt: ut causa, locus, occasio, instrumentũ, tẽpus, modus. Aliæ personarum: natio, patria, sexus, ætas, educatio, disciplina, habitus corporis, fortuna, animi conditio, studium consilium. Harum usus plurimum confert ad amplificandum. Vt si rem è sacro loco furatum esse dixeris quemquam, plus est, quàm si solum esse furatũ dicas.

DE DIVISIONE.

DIuisio est, per quam aperimus quid conueniat nobis cum aduersarijs, quid sit in controuersia & per quã exponimus quibus de rebus simus dicturi. Ita nũcupatur, quod diuidat seu distinguat causam uel

orationem. Eius duæ sunt partes. Altera, qua dicimus quid nobis cum aduersarijs conueniat: hac solum utimur in genere iudiciali. Vt absoluta narratione hoc modo causam diuidere Orestes potest. Interfectã esse matrẽ à me cõuenit mihi cum aduersarijs: uerũ id factũ iniuste, pernego. Altera, per quam exponimus, quibus rebus simus uerba facturi. Hac utiũtur in omnibus causarum generibus. Posterior pars in duas rursus species diducitur enumerationẽ et expositionem, Enumeratio est, quando res plures ac diuersas, de quibus dicturi sumus, enumeramus. Vt dicam primum de prudentiæ ratione: inde de iusticiæ dignitate: tum de fortitudine: postremo de temperantia. Vergilius:

Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram
Vertere Mecœnas, ulmisq; adiungere uites
Conueniat: quæ cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori: atq; apibus quanta experientia parcis,
Hinc canere incipiam.

In enumeratione seruandum, ut partes omnes eo ordine exponamus, quo usi fuerimus in diuisione. Quod scite seruauit in Andria Terentius. Enumeratio est: Eo pacto & Gnati uitam, & consilium meum cognosces, & quid facere in hac re te uelim. Tria recenset de quibus uerba facturus est. Ait se dicturum esse primum de Gnati uita: tum de suo consilio, quare falsas finxerit nuptias; deniq; quid Sosiam uelit facere. Hæc

ordine eodẽ sic explicat. Primũ Pamphili memorat uitam: Nã is postq̃ excessit ex ephebis Sosia. Inde suum cõsiliũ, circa scenæ finẽ. Nũc id operã do: ut per falsas nuptias uera obiurgãdi causa sit, si deneget. Postremo quid facere uelit Sosiã: Nunc tuũ est officium has bene ut adsimules nuptias, perterrefacias Dauũ. Ad hunc modũ, artificiũ et Dialectices, et Rhetorices in autorũ lectiõe perquirendũ. Expositio est, quãdo sine numero breuiter exponimus, qua de re, uel quibus de rebus sic mus uerba facturi, Vt quũ de dei æternitate, de dignitate uirtutis, de apum natura dicturos nos esse pollicemur. Diuisio etiã dociles facit, tametsi ad exordiũ solũ id pleriq; putant pertinere. Etenim per totã orationẽ data occasione facere licet attentos, beneuolos ac dociles, sed maxime in exordio. Ita Cic. in peroratiõe pro Ligario beneuolentiã captat Cæsaris, his uerbis: Nulla de uirtutibus tuis plurimis, nec gratior, nec admirabilior misericordia est Nihil habet fortuna tua maius, quàm ut possis, nec natura tua melius, quàm ut uelis cõseruare quàm plurimos. Quidã diuisionem inter orationis partes non numerant, quod pauciſsimis semper uerbis absoluatur. Horũ si quis uelit iudiciũ sequi, non repugno. Diuisio duplex est. Orationis: ut dicã de iustitia, & quid sit, & quot habeat partes. Et thematis ut partes iusticiæ sunt natura, consuetudo lex.

DE CONFIRMATIONE ET confutatione.

CONfirmatio, est oratio qua nostras probationes exponimus cum asseueratione, hoc est, cum instantia uocis & uultus. Vt quis tam cæcus est, qui hoc non uideat? Quis tam impudens, ut neget? Item: stultius est, quàm ut refelli debeat. Et: perfrica faciē, aude negare. Quoniā pleriq; adeo tepide dicunt, ut res etiā uera, uix uideatur uerisimilis. Confutatio est contrariarum argumentationum dissolutio. Confirmare autem & confutare facile poterimus, si causæ cōstitutionem cognouerimus. Ergo de statuum natura atq; generibus nonnihil dicendum.

DE STATV.

STatus uel cōstitutio, aut ut Græci inquiūt, στάσις est causæ uel rei summa, ad quā omnia orationis argumenta referuntur. Neq; solū in iudiciali genere, sed in alijs quoq; causis status est. In deliberatiuo constitutio est, sit ne utile, honestum, licitum: aut ex Stoicorum sententia, expediat ne. Hi enim negabant quicquam esse utile, quod non simul esset honestū. In gratulatione, An illius præsenti cōmodo lætemur. In gratiarum actione: Sit ne hic illi huius meriti causa gratus In cōsolatiōe: Sit ne huic dolendū huius rei amissæ causa. Historiæ etiā & poēmata quæstionē habent et statum

tum. Vt apud Sallustiũ in bello Iugurthino, quo modo pugnatum sit cum Iugurtha. Apud Homerum in Ilia de: quomodo Græcia ad Troiã bellauerit. In Odyssea: quo pacto Vlysses in patriã redierit. In Aeneide Vergilij: quomodo Aeneas in Italiam uenerit.

QVID SIT STATVS IN GENERE IVDICIALI.

STatus in iudiciali genere est prima deprecatio defensoris cum accusatoris insimulatione coniuncta. Vel est quæstio aut oratio, quæ oritur ex intentione accusatoris, et responsione defensoris. Vt occidisti Aiacem: nõ occidi: unde existit quæstio, occiderit ne Vlysses Aiacem. De hac constitutione eiusq; speciebus ac partibus, eo tã accurrate Cicero perscripsit, quod uersabatur in iudicio. Sic uidemus oẽs penè Cicer. de Rhetorica arte præceptiones accõmodatas esse iudiciali generi. Hæc in formas treis diuiditur: coniecturalem, legitimam, iuridicialem. Tria etenim sunt, quæ in omni disceptatione quæruntur: an sit, quid sit, quale sit. An sit. Vt fecerit ne Clodius insidias Miloni. Sit ne interfectus Aiax ab Vlysse. Quid sit, ut sit ne sacrilegiũ an simplex furtũ, si res sacra è loco priuato ablata sit, quale sit, iustũ an iniustũ. Iure ne Oreſtes occiderit matrẽ an iniuria. Quo circa hac ratiõe discernũtur. Vt si cõtrouersia de facto sit, cõiecturalis appelletur: si denoïe facti, legitima, si iure an iniuria factũ sit quæratur, iuridicialis.

DE STATV CONIECTVRALI eiusque Locis.

Coniecturalis status est, quum coniecturis ueritas exquiritur. Exemplum sit huiusmodi. Duo quidam simul in tabernam diuertunt. Caupo alterum eorum, quem grandem pecuniã secum adferre deprehenderat gladio alterius nocte interfecit, pecunias abstulit, gladium inuagina recondidit. Ille cuius gladio alter occisus erat, mane gladium, & cætera quæ secũ attulerat, sustulit, solus profectus est. Non multo post caupo clamitat esse hominem occisum. Et cum quibusdam diuersoribus eum, qui ante exierat, consequitur atq; comprehendit. Gladium è uagina educit, reperit cruentum, peregrinus cædis accusatur. Hæc causa coniecturalis est quoniam factum negatur, & coniecturis multis ueritas indaganda est. Coniectura peti solet à persona, re, causa, loco, modo, materia, tempore, occasione, facultate. Persona triplex est, loquentis audientis, aduersarij. In persona spectanda nomen, natura, educatio, fortuna, adfectio animi, habitus corporis, studium, consilia. Nomen. Vt si quis dicatur candidus, dicemus male appellari cãdidum, quum præter nomen nihil habeat candidi. Si Innocentius, quod nihil sit eo nocentius. Ad naturam referuntur sexus, natio, patria, ætas. Sexus: ut uir sit an mulier. Latrocinium enim

enim facilius in uiro: ueneficiũ in muliere. Natio: Sit ne Latinus, Germanus, Hispanus. Patria: ut Romanus, Aethenienſis. Aetas: Sit ne puer, adoleſcens, iuuenis uir an ſenex: et quomodo in hiſce uitæ partibus ſe geſſerit. Quoniam ſingulis ſua natura eſt. Educatio, qua ratione, & à quibus ſit educatus: Nam mollis educatio, indulgentia parentum, & licentia præceptorũ efficit quoſq; natura bonos deteriores. Fortuna: ſeruus ne ſit, an liber: pecunioſus, an tenuis: priuatus, an cũ potestate, fortunatus, an infortunatus. Adfectio animi: iracundus, petulans, frugi: auarus an liberalis. Habitus corporis. Corporis enim robur, pulchritudoq; & ueſtium cultus, plerunq; libidinis & petulantiæ indicia ſunt. Studiũ eſt uehemens animi ad rem quampiã applicatio. Vt ſit ne orator, poëta, medicus, uenator, ſutor. Conſiliũ eſt faciendi excogitata ratio. Videndum quæ conſilia ante rem ſint habita. Hactenus dicta ad perſonas referuntur. Sequuntur reliqua: res, cauſa, locus, modus, materia, tempus, occaſio, facultas. Res eſt negotiũ ipſum, de quo agitur: ut parricidium, ſacrilegium, peculatus. Cauſæ duæ ſunt partes, impulſio & ratiocinatio. Impulſio eſt temerarius animi impetus ad faciendum aliquid, aut non faciendum: ut timor furor, ira. Ratiocinatio eſt, quæ commodorum comparatione aut incõmodorum uitatione ad rem hortatur.

Vt si interfectū esse dicamus, gratia lucri aut hæreditatis. Locus, opportunus an importunus: angustus, an plus, nemorosus: lōginquus an propinquus: celebris an desertus: sacer an prophanus: publicus an priuatus. Modus: Clam an ui: palam an occulte: insciens an prudens: amore an odio. Materia: fuste an gladio: arcu, ueneno, incantatione. Tempus: nocte, an die. Occasio, est temporis commoditas, quæ ad rem aliquam hominem trahit inuitatq;. Facultas, qua facile quicquam esse factu docemus. Vt occidi à pluribus pauciores: à uigilantibus dormientes: à præparatis inopinantes. Ex hisce locis coniecturas uel materiā captabimus, qua uel nos defendemus, uel aduersarios accusabimus. Vt ad hunc modum se defendere Catilina potest. A persona sua: Ea sum nobilitate, ijsq; parentibus iudices, ut talia de me sine testibus suspicari non debeatis. A persona auditis. Nā uestræ prudētiæ iudices est, eā potestatē talibus hominibus nō cōcedere: ne fictis argumētis nobiles homines circūueniāt. Ab aduersarij persona. Atq; eo magis expellendus Cicero, quod mihi semper inimicus infestusq; nobilitati fuerit. Ab re. Non enim tanti sceleris suspicionē sine testibus approbare debetis. A loco. Præsertim in hac rep. in qua sanctissimæ leges summo studio semper conseruatæ sunt. A causa. Idcirco etiam magis Cicero expellendus, ne si fictis argumentis lo-

cus

eus dabitur, multos nostrum hi noui homines inuadere conentur. A tẽpore. His præsertim tẽporibus, quibus ignobiliũ animi in nobilitatem sunt accensi. Ea etenim licentia uiuitur, ut nemo falsa crimina non excogitet.

DE LEGITIMA CONSTITVT.

CONstitutio legitima est, quũ ex legibus & scriptis aliquid cõtrouersiæ nascitur. Sic dicta est, quod sæpenumero è legibus oriatur. Ea sex partibus absoluitur: scripto & sententia: contrarijs legibus, ambiguo, definitiõe, tralatione, ratiocinatiõe. Ex scripto & sententia controuersia oritur, quum inter litigantes unus scripto: alter scripti sentẽtia utitur. Eiusmodi causæ cõstitutio est, ubi in Philippicis Cicero probat statuam deberi Seruio Sulpitio, qui legatus missus ad Antoniũ in legatione mortuus erat. Lex legatis ferro interremptis statuam decernebat. Hunc honorem Cicero uolebat Seruio Sulpitio decerni: qui nõ ferro, sed legationis labore occubuit. Ex contrarijs legibus, quãdo altera lex iubet aut permittit, altera uetat quicquã fieri, hoc est, quũ accusator & defensor suam utercp; legẽ habet, qua sese tueatur. Ex ambiguo, quum scriptum duas aut plures res significat. Hoc sæpenumero fit multiplici potestate uerborũ, & accentu, et genere & numero, & aspiratione, & contextu oratiõis, & quibuscunq; modis significatio uerborũ commutatur.

Vt p-

Vt paterfamiliâs amico taurum legauit. Post mortem eius, amicus seruũ petit nomine Taurũ. Hæres se bouẽ debere dicit. Testamento quidam posuisset statuam auream hastam tenentem. Vbi ambigitur utrã esse aureã uoluerit, statuámne an hastã. Ex definitione causæ constat, quũ controuersia est, quo nomine factum appelletur. Quidã furatus est rem sacram ex ædibus priuatis. Accusator sacrilegiũ esse adfirmat: reus, simplex furtũ quod ignorauerit rem esse sacrã. Hic definiri debent sacrilegium & simplex furtum. In tralatione seu transmutatione status consistit, quoties ab alio nos accusari debere dicimus: aut non nos sed alios: aut non apud hos iudices, sed apud illos: non hac lege, sed illa non hoc crimine, sed illo: non hac pœna, sed illa: non hoc modo, non hoc loco, non hoc quærente, aut agente, sed alio. Ex ratiocinatione controuersia constat, quum res sine propria lege uenit in iudicium, quæ tamen ab alijs legibus similitudinem quandam aucupatur. Hæc in quinq; parteis distribui potest. Prima. An quod semel ius est, idem & sæpius. Vt furti damnatus adfixus est cruci, sed rupto fune delapsus, repetitur ad supplicium. Secunda. An quod in uno ius est, idem & in pluribus. Qui duos uno tempore tyrannos occidit, duo præmia petit. Qui Romæ tres liberas habebat, certa priuilegia, & immunitates habuit.

Quidam

Quidam sex aut nouem habuit: dubitatio existit utrũ duplum au triplum habebit priuilegium. Tertia. An quod ante ius fuit, etiam post sit. Mulier rapta habet optionem, ut uel caput raptoris petat, uel connubium. Raptor fugit, interim rapta nupsit alij, reuerso raptore petit optionem mulier. Quarta. An quod in toto ius est, idem et in parte. Aratrũ accipere pignori non licet, uomerem accepit. Quinta. An quod in parte, idẽ & in toto. Lanas euehere Tarento nõ licet, oues uexit

DE IVRIDICIALI CONstitutione.

IVridicialis constitutio est, quum iure an iniuria factum aliquid sit, quæritur. In hac reus aut fatetur quippiam feciſſe se, quod uetitum sit, aut non. Illud adsumptiuam: hoc, absolutam nominamus. Absoluta iuridicialis est, quum recte aliquid factum esse dicimus Vt quidam abdicare filium uult, quod philosophiæ operam dederit. Filius se recte id facere ait. Assumptiua est, in qua quum reus rem per se turpem feciſſe confiteatur, re tamen assumpta extranea iure factum defendit. Huius species quatuor sunt: criminis concessio relatio, remotio, comparatio. Concessio est, quum reus petit sibi ignosci. Eius partes duæ, purgatio & deprecatio. Purgatio est, per quam eius, qui accusatur, non factum ipsum, sed uoluntas defenditur. Ea habet par-

tes

tes tres: imprudentiam, casum, necessitudinẽ. Imprudentia dicitur, quum scisse se aliquid reus negat. Lege Cornelia de sicarijs punitur, qui occiderit hoĩem. Quidã dum aubus ruri insidiatur, missa sagita hominẽ in uirgultis dormientem interfecit: per imprudentiam se excusat. Simile est, si quis accusetur, quod ciuem Romanum occiderit. Casus est, quum demonstramus aliquã fortunæ uim uoluntati obstitisse. Vt in hac: Aliquis pecuniam certo die Ephesi soluere promisit, adiecta pœna, nisi tunc soluta fuerit. Is profectus est domo id temporis, quod uideretur satis ad eam profectionẽ futurum. Aduersis tempestatibus usq; usus ad constitutum diem non uenit. Excusat se per casum aut fortunã. Dux Romanus missus aduersus Cymbros, exercitũ temerè duxit in locum iniquum. Circumuentus ab hostibus amisit militum octoginta milia. Reuersus Romam accusatur læsæ maiestatis. Confert culpam in casum et fortunã. Necessitudo est, quũ ut quadam reus id, quod fecerit, fecisse se ait. Lex est apud Rhodios, ut si qua rostrata in portu nauis deprehensa sit, publicetur. Magna exorta tempestate uis uentorũ inuitis nautis Rhodiorum in portum nauim coẽgit. Deprecatio est, quũ se peccasse consulto reus confitetur, tamen petit sibi ignosci. Hoc genus uix in iudicium uenire potest, ideo quod concessa culpa difficile sit ab eo, qui peccatorum

esse

esse uindex debet, ut ignoscat, impetrare. Fit tamen si pro eo dixeris, qui sæpe fuerit de re publica bene meritus, qui ob salutem populi quandoq; sese in pericula coniecerit. Relatio criminis est, quum aliquid nos aliorum peccatis coactos feciſſe dicimus. Ea est huiusmodi Horatius occisis tribus hostibus, & duobus amissis fratribus domum se uictor recepit. Is animaduertit sororem suam de fratrum morte non laborantem: sponsi autem nomen appellantem identidem, qui unus ex hostibus fuerat. Indigne id passus uirginem occidit. Ait se coactum esse iniquitate sororis, quod illa hostium mortem lugebat, fratrum negligebat: denique se & populum Romanum uicisse, moleste ferebat.

Remotio criminis est, quum culpam uel in hominem, uel in rem aliquam reijcimus. In hominem. Vt si accusetur is, qui consulum iussu Seruium Sulpitium seditiosum hominem occiderat. In rem: Paterfamiliâs moriens seruo donauit libertatem ea conditione, ut mortuo sibi poneret æream statuam in foro. Quum mortuus esset paterfamiliâs, seruus ponere statuam noluit. Sed plebiscitum erat, nulli posse statuam poni, nisi consensu plebis. Seruus liberum esse se adfirmat, & quod statuam non posuerit, eam culpam in rem, hoc est, in plebscitum reijcit.

Distat

Distat criminis remotio à relatione, quod illic penitus remouetur, hic duntaxat minuitur culpa. Cõparatio porrò criminis est, cum dicimus necesse fuisse alterutrum facere, & id quod fecimus utilius esse. Vt Aulus Albinus à Iugurtha inclusus, cum effugere non posset cum Iugurtha in collocutionẽ uenit, ita decessit, ut impedimenta relinqueret, exercitum sub iugo educeret. Satius esse duxit exercitum sine impedimentis educere, quàm simul cum impedimentis exercitum quoque perdere.

DE IVDICATIONE.

Iudicatio est quæstio quæ oritur ex ratione defensoris, ac firmamento accusatoris. Ratio est quæ defensionem continet. Quippe nisi attulerit rationem reus, nulla erit controuersia. Firmamentum uel infirmatio est id, quod adfertur ab accusatore contra rationẽ defensoris. Quemadmodũ ex intentione accusatoris & depulsione defensoris constitutio conficitur: ita ex ratione defensoris, ac firmamento accusatoris colligitur iudicatio, hoc modo. Intentio: interfeci matrem Orestes. Depulsio: interfeci, sed iure. Status: iure ne id fecerit. Ratio: Illa enim patrẽ meum occiderat. Firmamentum uel infirmatio: quenquam illa occiderat patrem, tamen tu filius nocentem matrem interficere non debebas. Iudicatio: licuerit ne nocentem matrem occidere.

Apud

Apud quosdam lex erat, ne quis Dianæ uitulum immolaret. Nautæ quidam quum aduersa tempestate in alto iactarentur, uouerunt: si eo portu, quem conspiciebant, potiti essent, ei Deo qui ibi esset, se uitulũ immolaturos. Casu erat in eo portu fanum Dianæ eius, cui uitulum immolari non licebat. Imprudentes legis quum exissent, uitulum immolauerunt. Accusantur. Intentio est: uitulum immolastis ei Deo, cui non licebat. Depulsio est in concessione posita. Ratio, nesciuimus non licere. Infirmatio, tamen quoniam factum est, quod non licebat, ex lege supplicio digni estis. Iudicatio, quum id fecerint, quod non oportuerit, & id non oportere nescierint, sint ne supplicio digni. In coniectu rali causa iudicatio nihil differt à constitutione. Vt re pertus est Vlysses apud Aiacem interfectum in sylua, cuius capitalis ante inimicus fuerat. Accusatio, occidisti Aiacem. Depulsio, non occidi. Coniecturalis constitutio uel iudicatio, occiderit ne.

Quid θέσις ac ὑπόθεσις.

QVoniam de statuum siue thematum natura mentionem fecimus, prius quàm ad alia transeamus, dicendum quid Rhetores uocent θέσιν καὶ ὑπόθεσιν. Quæstionum formæ duæ sunt. Aliæ quæ remotis personis, & temporibus, & locis in utranq; partem tractantur. Hæ nominãtur & theses, & quæ

ſtiones infinitæ. Vt an ducenda ſit uxor. Aliæ quæ perſonarum, temporum locorúmue complexu conſtant. Sit ne ducenda uxor Catoni. Quæ nunc hypotheſes, nunc quæſtiones finitæ uocantur.

DE CONCLVSIONE.

Concluſionem ſiue perorationem appellant artificioſum terminum orationis: uel poſtremam orationis partẽ, quæ breui argumentatione ex iſs quæ dicta ſunt aut facta conficit, quod neceſſario conſequitur. Diſtat ab epilogo, quod concluſio orationis: enumeratio uerò perorationis, interim etiam narrationis membrum ſit. Concluſionis tres partes ſunt, epilogus, amplificatio adfectus, uel, quod idem eſt, enumeratio, indignatio, conqueſtio aut commiſeratio.

DE ENVMERATIONE.

Epilogus eſt breuis ante dictorum repetitio. Vt apud Ciceronẽ pro Pompeio: Quare uidete iudices num dubitandũ uobis ſit, omni ſtudio ad id bellũ incũbere, in quo gloria nominis ueſtri, ſalus ſociorũ, uectigalia maxima, fortunæ plurimorum ciuium cum rep. defendũtur. Et pro Archia poëta: Quare conſeruate iudices hominẽ pudore eo, quem amicorũ ſtudijs uidetis cõprobari, tum dignitate, tum etiã uenuſtate: ingenio aũt tanto, quanto id cõuenit exiſtimari. Cauſa uerò eiuſmodi, quæ beneficio legis, autoritate municipij, teſtimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur.

DE INDIGNATIONE.

AMpli, atio est quoties rem aliquam grauiorẽ seu maiorẽ, quàm est, efficimus. Vt apud Ciceronẽ pro A. Cluentio: Quod hoc portentũ dij immortales, quod tantum monstrum ullis locis, quod tam infestũ scelus & immane, aut unde natum esse dicamus? Amplificamus quandoq; commutato rei nomine. Vt quũ occisum eum dicimus, qui cæsus est: latronem qui est improbus: occidisse, cui res acerbior acciderit: exanimatum, dolore adfectũ: mutum, qui nihil respondet: reuixisse, qui spem recepit: carnificem immitem: sacri legum scelestum: ueneficam malam: scelus, monstrũ, pestem, labem, sceleratũ. Huc pertinent Atreus pro crudeli. Sardanapalus pro effœminato. Aut quũ per collationem efferuntur quæ amplificant. Cic. in. Verrẽ: Nõ enim furem, sed raptorem: non adulterum sed expugnatorem pudicitiæ: non sacrilegũ, sed hostem sacrorum, religionumq;: sicarium, sed crudelissimum carnificem ciuium sociorumq;, in uestrum iudicium adduximus. Plin. in Panegyrico de Traiano: Non enim de tyranno, sed de ciue: non de domino, sed de parente loquimur. Tertius amplificandi modus incrementum dicitur, quum per gradus peruenitur interdum ad summum, interdum quodammodo supra summum. Facinus est uincire ciuem Romanum, scelus uerberare

propè parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? Quartus, cum cursu quodam grauius grauiusq; semper aliquid insequitur. Vt de uomitu in Antonium Cicero: In cœtu populi Romani, negocium publicum gerens, magister equitum. Quintum genus σωωθροισμὸν, id est, congeriem uocãt, qua rem eandem alijs atq; alijs modis efferimus. Vt quid tuus ille Tubero districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat amorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Amplificatio quoq; alia ratiõe in duas formas distinguitur. Aut enim rem alteram eleuamus, alteram extollimus. Aut alterius partis laudes sic amplificamus, ut præferamus tamen id, quod laudãdum suscepimus. Μείωσις cõtraria est amplificationi quoties attigisse dicimus eum, qui pulsauit: læsisse qui uulnerauit. Vtraq; interdum hyperbolen sapit: ut pice nigrior, cæcitate cæcior: breuior pygmæo, minus habet, quàm nihil.

DE ADFECTIBVS.

Adfectus est cõmotio quædam uel perturbatio animi. Adfectuũ genera his uerbis enumerat Fabius: Neq; miseratione solũ mens iudicũ permouẽda est, sed etiã faciendum ut irascatur, mitigetur: inuideat faueat: contemnat, admiretur; oderit, diligat: cupiat, satie-

satietate adficiatur: speret, metuat: lætetur doleat. Creberrima est commiseratio: Cicero pro Milone: Sed finis sit, neq; enim præ lachrymis loqui possum, et hic se lachrymis defendi uetat. Cõmiserationem captamus his ferè modis. Ab habitu personæ. Vt apud Vergilium: Obstupui steteruntq; comæ, & uox faucibus hæsit. Ab ætate. Apud eundem: Infelix puer atq; impar congressus Achilli. A fortuna. Ausonijsq; olim ditissimus aruis. Hinc quoq; indignationem excitamus. Dido apud Vergilium: Et nostris illuserit aduena regnis. A loco. Quum uitam in syluis inter deserta ferarum Lustra domosq; traho. Eodem pertinent figuræ quædam. Ἀπόρησις uel dubitatio: En quid ago, rursus ne procos irrisa priores Experiar? Ἐκφώνησις aut exclamatio: Dij talem terris auertite pestẽ. Ἀποστρόφησις. Quos ego: sed motos præstat componere fluctus. Permissio: Præter miseram animam, & hoc corpus nihil relictum est, his utere atq; abutere ut libet. Epimone uel epizeuxis. O Mysis Mysis. Vos uos appello fortissimi uiri. Criminis seu delicti confessio. Cic. pro Ligario: Erraui, temere feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, delicti ueniam peto, ut ignoscas oro. Duplex est adfectus: πάθος, quando auditorum animi uehementer concitantur: & ἦθος, quum leniter solum permouentur. Hoc comœdijs, il-

lud tragœdijs familiare. De ijs hæc Marci Tullij Ciceronis uerba: Duo sunt, quæ bene tractata ab oratore admirabilẽ eloquentiam faciunt. Quorum alterum est ἠθικὸν ad naturã, & ad mores, & ad omnem uitæ consuetudinẽ accõmodatum. Alterũ παθητικόν quo perturbantur animi, & concitantur: in quo uno regnat oratio. Illud superius come, iucundũ, ad beneuolentiam conciliandam paratum. Hoc uehemens, incensum, incitatum, quo causæ eripiuntur. Quod quũ rapide fertur, sustineri nullo pacto potest. Possunt & alia ratione adfectus distingui. In lætos, qui gaudium concitant audiẽtis animo, ut in gratulatione. Et tristes, quibus iram, indignationem, aut misericordiam mouemus. In adfectuum ratione seruandum, ut ipsi uideamur tales quales cupimus auditores. Nam ut Quintilianus ait, non incendit nisi ignis: nec madescimus nisi humore, nec res ulla dat alteri colorem quem ipsa non habet. Idẽ Fabius refert se uidisse histriones, qui adhuc flentes è spectaculo descendebant, tantopere conati erant commouere populum.

DE DISPOSITIONE.

ABsoluta inuentione, tradenda dispositio, elocutio, memoria, pronunciatio. Membra orationis sic disponenda. Primo loco exordium ponetur, secundo narratio, tertio diuisio, quarto confirmatio,

quinto

quinto confutatio, sexto conclusio. Exigente tamen causa ordine hunc quandoq; commutamus. Probationes firmiores primo & ultimo loco: aliæ medio proferendæ sunt. Naturalis rerũ ordo in cõpositione quoq; uerborũ seruari debet: ut uiros ac fœminas, diẽ & noctem, ortũ atq; occasum dicas: nõ fœminas & uiros, nõ noctem ac diem, non occasum & exortum. Cauendum etiam ne decrescat oratio, & fortiori subiungatur aliquid infirmius: ut sacrilego fur, aut latroni petulans. Vt dispositio, ita & ordo duplex est. Naturalis, quo rem ut gesta est narramus. Artificiosus, quo naturalem ordinem consulto perturbamus. Superior ille ad historicos & oratores: hic ad poëtas pertinet. Poëtæ enim plerunque à medijs ordiuntur rebus. Sic Homerus Odisseam à tempore, quo Vlysses erat in Calipsus insula auspicatur. Quæ uerò præcesserant, quomodo ad Cyclopes, ad inferos uenerat, in insula Phæacum postea recitantur. Quemadmodum instructio exercitus in aciem imperatori: ita hæc pars oratori summe necessaria est. Etenim sicut illa in pugnando: sic in dicendo dispositio facile uictoriam parit. Quippe disponere aliud nihil est, nisi argumenta suo quæque loco collocare, & uelut in aciem producere.

DE ELOQVVTIONE, memoria, & actione.

ELocutio tribus constat partibus, elegantia, compositione, dignitate. Elegantia sermonem purũ ac latinum reddit: & uerba requirit propria, usitata, latina. Compositio continet ordinem, iunctũrã, numerum. Ordinem: si sensus uerbo claudatur: si diẽ et noctem dicamus, ortum & occasum, non contra. Iunctũram, si crebri uocalium concursus uitentur, qui uastam atq; hiantem reddunt orationem. Numerum, si eundem multorum uerborum exitũ uitabimus, et longam uerborum continuationẽ, quæ tum auditoris aures, tum spiritum orantis lædit. Dignitas constat exornationibus uerborum ac sententiarum, quas alio loco describemus. Memoria duplex. Naturalis, uis quædã animi sedem habens in posteriore cerebri parte. Et artificiosa, quæ est eadem ipsa naturalis præceptionibus quibusdam firmata. Hæc constat locis & imaginibus. Loci sunt ueluti tabulæ, in quibus rerũ simulachra collocantur. Quod genus ædes, intercolumnia, anguli, parietes. Imagines sunt similitudines earum rerum, quas meminisse uolumus: ut equus, leo, canis, domus. Quæ si ordine libeat ediscere, collocabimus in primo loco equum aliquem, in secundo leonem, in tertio canem, in quarto domum. Pari forma oratio in parteis aliquot

diuidi-

diuidi, ac per imaginum excogitationem ediſci poteſt. Nam artificioſa memoria duplex eſt. Verborum, quũ ſingulis dictionibus imaginem tribuimus. Rerum, quã do res aliqua ſeu particula orationis, una duntaxat effigie ſignatur. Pronunciatio uel actio eſt moderatio uocis, uultus, & geſtus cum gratia & uenuſtate. Hæc tria præſtare debet: ut conciliet, perſuadeat, moueat: quibus natura non deeſt, ut etiam delectet. Conciliatio commendatione, morum, & orationis ſuauitate conſtat: perſuadendi uis, aſſeueratione: mouendi ratio, adfectibus. Ad actionem chironomia ſpectat, quæ plerunque negocium futuro exhibet oratori.

FINIS.

IOACHIMI FORTII RINGELBERGII ANdouerpiani Schemata.



Figura siue schema, est insignis forma loquẽdi. Quippe anteq̃ dicendi ars inuenta erat, nõ deerãt facundi hoĩes, in quorũ oratiõe multa erãt obseruatiõe digna. Videbãt primi illi Rhetores ac eloquẽtiæ studio si repetitiões, et traductiones, et metaphoras multũ habere gratiæ, adnotauerũt ergo eas inter præceptiões, quas de ratione dicẽdi cœperãt colligere, uocauerũtq; σχήματα λέξεως. Videbãt quoq; uehementer cõmouere auditores, et nõ mediocriter facere ad persuadendũ exclamatiões siue uociferationes illas, q̃bus affectes oĩes perturbabantur: censuerũt igitur eas esse imitãdas & aliquãdo clamandũ esse exigẽte causa. Sed quia clamores nõ habebant neq; requirebant certũ aliquẽ ordinẽ uerborũ, et quia nihil faciebant ad uocũ seu cõpositionis elegantiã, huiusmodi uociferationẽ appellauerũt figurã διανόιας. Schema ergo nominabãt omnẽ modũ loquẽdi, qui multũ faciebat uel ad uenustatẽ orationis uel ad res seu probationes quasdã, quibus facile aliquid auditoribus uidebãt persuaderi, quales sunt, exclamatio, demonstratio, contentio. Qua ratione schematum genera distinguamus, sequens tabula indicabit.

διανόιας, { Contentio, demonstratio, dubitatio, epiphonema, exclamatio, expolitio, hyperbole, interrogatio, occupatio, sententia, subiectio.


Δεικνύοιας, Contentio, demonstratio, dubitatio, epiphonema, exclamatio, expolitio, hyperbole, interrogatio, occupatio, sententia, subiectio.
Schema seu figura duplex est,
λέξεως aut sermonis, cuius duæ species,
Figura, in qua uerbi significatio manet, quæ triplex est.
Dictionis,
Προσθεσις, ἀφαίρεσις, ἐπένθεσις, συγκοπή, paragoge, apocope, ἔκτασις, συστολή, διαίρεσις, σωσαίρεσις, σωαλοιφή, ἔκθλιψις, ἀντίστοιχον, μετάθεσις, tmesis.
Orationis,
ἀναδίπλωσις, ἀποσιώπησις, ἀσυνδέτον, complexio, σύνθεσις, ἔκλειψις, epimone, gradatio, hypallage, interpretatio, ἰσόκωλον, πρόσωποποιία, περίφρασις, πολυσύνδετον, repetitio, traductio.
Constructionis
Πρόληψις.
Zeugma,
σύλληψις.
σύνθεσις.
ἀντίπτωσις.
Figura in qua uerbi significatio mutatur. Hæc dicitur tropus
Dictionis
Metaphora.
σωνεκδοχή.
ἀντονομασία.
Orationis
Aenigma.
Parœmia.

SCHEMATA ΔΙΑΝΟΙΑΣ aut Sententiarum.

Apostrophe. Αποστροφὴ, uel auersio est, quum aliò cõuertimus sermonem: ut in exordio Fastorum Ouidij: Scilicet arma magis, quàm sidera Romule noras.

Contentio. Contentio, est rerũ contrariarum uel diuersarum comparatio: Cæsar aduersum libertatem populi Romani bellum geßit: Sylla ne ea tolleretur, totis uiribus adnixus est. Cæsar euertit Remp. Sylla eam conseruauit. Cæsar tyrannidem arripuit: Sylla urbem à tyrannide liberauit. Ouidius in Tristibus:

Ille habuit fidamq́; manum, sociosq́; fideles:
Me profugum comites deseruere mei.
Ille suam lætus patriam uictorq́; petebat:
A patria fugio uictus & exul ego.

Et infra:

Illi corpus erat durum, patiensq́; laborum:
Inualidæ uires, ingeniumq́; mihi.
Ille erat aßidue sæuis agitatus in armis:
Assuetus studijs mollibus ipse fui.

Duplex est contentio. Altera est figura uerborum: ut inimicis te placabilem, amicis inexorabilẽ præbes. Altera ad sententiarum colores pertinet. Contẽtio dicendi forma insignis est, & mire conducit ad persuadendum, sed in uerbis non consistit, quia indoctißimus

quisq;

quisq;, qui uix duas uoces connecteret apte, ea posset uti. Idem dictũ sit de omnibus figuris διανόιας, si quis dubitauerit, quamobrem sic appellentur, aut qua ratione à uerborum figuris differant. Est & hoc discrimen quod uerborum schema tollitur, si uerba mutaris: sententiarum permanet, quibuscunq; uerbis uti uelis. Correctio.

Correctio, quum tollitur id, quod dictum est, & ponitur magis idoneum: Theologus, imò nugator. Crudelis homo, imò ne homo quidem. Demonstratio est quũ ita res uerbis exprimitur, ut geri ante oculos uideatur. Hæc crebra est apud Homerum. Is enim sæpenumero rẽ ita describit circũstantijs, ut semel lecta uix unquam poßit è memoria labi. Vt primo libro Iliados de descensu Appollinis: Demonstratio.

Βῆ δὲ κατ' οὐλύμποιο καρήνων χωόμενος κῆρ
Τὸξ' ὤμοισιν ἔχων, ἀμφηρεφέατε φαρέτρην.
Ἐκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο,
Αὐτοῦ κινηθέντος.

fuit ab Olympi uerticibus irato animo irato arcũ humeris gestans & bené munitam. Clangebantq; sagittæ super

Cicero pro Milone: Quum alter ueheretur in rheda penulatus, unà sederet uxor. Virg. de seditione: Ignes & saxa uolant, furor arma ministrat. Cælius in Antonium: Ipsum offendunt temulento sopore profligatũ totis præcordijs stertentem ructuosos spiritus geminare, præclarasq; cõtubernales ab omnibus spondis transuersis incubare, & reliquas circũiacere passim. Quæ

tamen

tamen exanimatæ terrore, hostium aduentu percepto excitare Antonium conabantur. Nomen inclamabant, frustra ceruicibus tollebant, blandius alia ad aurẽ inuobat, uehementius etiam nonnulla feriebat. Quarũ quũ omnium uocem tactumq; noscitaret, proxime cuiusq; collum amplexu petebat, nec domire excitatus, nec uigilare ebrius poterat: sed semisomno sopore inter manus Centurionũ, concubinarũq; iactabatur. Dubitatio dicitur, quum dubitare nos significamus uel unde sumamus exordium, propter rerũ multitudinẽ: siue quid potissimum agamus dolore aliquo adfecti. Cicero pro Roscio: Quid primum querar, aut unde potissimum exordiar iudices, aut quod, aut à quibus auxiliũ petam? Deorúm ne immortaliũ? populi ne Romani, uestrám ne, qui summam potestatem habetis, hoc tempore fidem implorem? Emphasis est, quando plus innuitur, quàm per uerba significatur. Ἐπιφώνημα Græci, Fabius adclamationem uocat. Ea est rei narratæ, uel probatæ summa adclamatio. Narratæ, ut apud Vergilium: Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Adeò à teneris consuescere multum est. Probatæ, apud Marcum Tullium pro Ligario: Quorũ igitur impunitas Cæsar tuæ clementiæ laus est, eorum te ipsorum ad crudelitatem acuet oratio? Apud Martialem sæpenumero carmen epiphonemate claudituꝛ. Exclama

humeros irascentis dũ per uiã incederet.

Dubitatio.

Emphasis

Epiphonema.

clamatio, uel Ἐκφώνησις: O tempora, ô mores, ô mi
serum me: eg, O cœlum, ô terra, ô maria Neptuni. Exclamitio
Expolitio, quoties eodem in loco diutius cõmoramur
& sententiam eandem alijs atq; alijs modis uariamus.
Quod bifariam fit: Cõmutatione uerborum, cum res
eadem alijs atq; alijs uerbis, ac figuris sæpius effertur.
Cõmutatione pronunciationis, quum alio atq; alio nul
tu, gestu, uoce, adfectu. Hyperbole, est oratio que su Hyperbole
perat fidem, ut ocyor fulmine. Interrogationũ duæ
formæ sunt. Simplex: ut, Vos qui tandem, quibus aut Interroga
uenistis ab oris?. Figurata multas habet species. Inter tio.
rogamus enim quandoq; nõ sciscitãdi gratia, sed instan
di Cice. Quid tuus ille Tubero districtus in acie Phar
salica gladius agebat? Quousq; tandem abutere Cati=
lina patientia nostra? Aut miserationis causa: Sinon
apud Verg. Heu quæ me tellus, quæ me æquora pos=
sunt Accipere? Aut indignationis: & quisquam nu=
men Iunonis adoret? Aut admirationis: Di boni quot
illic hoïes litigant? Aut acrius imperandi gratia: Non
arma expedient, totaq; ex urbe sequẽtur. Ironica per Ironica.
missio est, cũ permittẽdo deterrere conamur: Pete reg
na per undas. Accede ad ignẽ hũc, iã caleſces plus satis Occupatio.
Occupatio, quũ dicimus nos præterire, aut nolle dice
re, id q; maxime dicimus. Prætereo quod adoleſcentiã
omni ſcelere cõtaminaueris. Nolim dicere q̃ turpiter

antea

Parenthesis antea gesseris magistratum. Παρένθεσις, quũ orationi aliquid inseritur. Hæc raro adfert ornatum, imò licentia quædam oratorum est, sicut πρόσθεσις, ἐπένθεσις, paragoge poëtarum. Permissio, quum aliqua iudici, uel aduersario permittimus. Præter miserã animam & hoc corpus nihil relictum est, his utere atq; abutere ut libet. Prosopopœia, est personarũ ficticia quum aut urbes, aut defunctos, aut res inanimatas loquentes inducimus. Ouid. Qui modo Nasonis fueramus quinq; libelli. Sententia, uel γνώμη, est dictũ ad mores uel res communes pertinens. Obsequiũ amicos, ueritas odium parit. Subiectio est, quum ipsi responsum nostræ interrogationi. Ideò literas deseremus, quod grandi labore cõparantur? Nihil minus. Transitus uel transitio, quum paucis monemus quid dictum sit & quid postea simus dicturi. Hactenus de turpitudine belli, nunc de incommodis dicemus.

Permissio

Prosopopœia.

Sententia.

Subiectio.

Transitio.

FIGVRAE DICTIONVM, IN quibus significatio non mutatur

Λέξεως, figuras nunc describemus, & primũ eas, in quibus uerborũ significatio eadem permanet. Quando dictionis initio litera, seu syllaba additur, uocatur πρόσθεσις, ut gnatus pro natus, tetuli pro tuli. Quũ medio, epenthesis: ut relligio, induperator, pro religio, imperator. Quando fini, paragoge: ut dicier

Prosthesis.

Epenthesis

Paragoge.

dicier, huiusce, ἔλθησι, ἔχησιν, pro dici, huius, ἔλθη ἔχη. Sin principio aliquid adimatur, nominatur ἀφαί ρεσις, ut ruit omnia late, temnere, πάθεν, τέρωετο Aphæresis κεῖνο, pro eruit, contemnere ἔπαθεν, ἔτέρπετο, ἐκεῖνο Si medio, συγκοπὴ: ut agrestũ, dixti, acce Syncope. stis, ἔτάρες, pro agrestium, dixisti, acceßistis, ἔταί ρες. Si fini, apocopen: ut peculi pro peculij, ὅλω pro Apocope. ὅλωμαι apud Homerum. ἔκτασις, extensio ſyllabæ eſt Ectasis. natura contractæ: ut exercet Dianæ choros. Diana pri ma producta dixit. συσολὴ, contractio natura pro Systole. tenſæ. Obstupui, ſteterũtq; comæ, & uox faucibus hæ ſit. Homerus: ἰδὲ κρέα πόλλα ἀτειῦντο, quũ uerbi κρέα ſyllaba poſterior eſſe deberet longa. διαίρε= Diæresis. σις, diuiſio unius ſyllabæ in duas: Aulai in medio. Synæresis. συναίρεσις, contractio duarũ ſyllabarũ in unam: ut Synalœphe Phæton pro Phaëton. συναλοιφὴ, abiectio uocalis propter aliam ſequentẽ. Carthag' Italiam contra: pro Carthago. ἔκθλιψις, uocalium cum conſonantibus Ecthlipsis. eliſio. Mult' ille & terris: pro multum ille. ἀντί= στοιχον, literæ pro litera poſitio. Olli ſubridens: pro Antiſticon illi. Metatheſis, literarum tranſpoſitio. Tymbre pro Metatheſis tymber. Tmeſin appellant quando ſeparantur par= Tmeſis. tes dictionis compoſitæ. Cicero: Nunc rationem quo ea me cunq; ducet ſequar.

SCHEMATA ORATIONIS.

Anadiplosis. Ἀναδίπλωσις, est finis uersus in principio alterius repetitio. Vrbs Hetrusa solo sequitur pulcherrimus Astur. Astur equo fidens, & uersicoloribus armis.

Antitheton ἀντίθετον aliud nihil, quàm contentio in uerbis est, quum uerba pugnantia inter se paria paribus opponuntur. In pace ad uexandos ciues acerrimus: in bello, ad expugnandos hostes, inertißimus.

Aposiopesis. ἀποσιώπησις, uel reticentia, quam et Cicero præcisionem uocat, est oratio propter uehementiam imperfecta. Quos ego, sed motos præstat componere fluctus. Reticentia triplex. Quando tacemus interuentu alterius personæ, quũ sermonem finimus: & quando transimus ad alia.

Articulus. Articulus, quũ multa sine coniunctione proferuntur: ut ueni, uidi, uici: dum ætas, metus, magister, prohibebant. Nuncupatur etiam ἀσυνδέτον, ἀσυνθέτον, διάλυτον, dissolutũ, dissolutio, & βραχυλογία. Apud Ciceronem id inter asyndeton et articulum uidetur interesse, quod in articulo singula uerba interuallis distinguuntur: in dissolutione uerò non uerba, sed partes & mẽbra efferuntur sine cõiunctiõe.

Cõduplicatio. Conduplicatio, est cum ratione amplificationis, seu cõmiserationis unius, aut plurium uerborum iteratio. Nunc etiã audes in horum cõspectum uenire proditor patriæ? proditor inquam patriæ uenire audes in horum

rum conspectum? Complexio, συμπλοκή, eiusdem dictionis in principio ac fine repetitio. Quis legem tulit? Rullus. Quis decemuiros creauit? Rullus. Conuersio, ἀντιστροφή, quando membra aliquot, siue orationes in uerbum idem desinunt. Frumenti maximus numerus è Gallia: peditatus amplissimæ copiæ è Gallia. Complexio. Conuersio.

Ἔκλειψις pleonasmo est contraria, quum uerbum aliquod deest. Vt, quæ me? quæ nō? Epanalepsis, quū eadem dictio in principio & fine uersus ponitur. Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa. Epimone, uel epizeuxis, eiusdem dictionis sine medio geminatio cū impetu pronunciationis. Meme adsum qui feci, in me conuertite ferrum. Terentius: O Mysis Mysis. Cicero: Vos uos appello fortissimi uiri. Epitheton, est dictio adiecta nomini perpetuam rei significans naturā: ut celeres horæ, aureus Sol, mutabilis Luna. Sumitur uel ab animo, ut pius Aeneas: uel à corpore, ut pulcher Iulus: uel à rebus extraneis, ut Vlysses Ithacus. Gradatio, siue κλῖμαξ, quū consequentia membra ab iisdem oriuntur uerbis, quibus antecedētia clauduntur. Aphricano uirtutem industria: uirtus gloriā: gloria æmulos comparauit. Quæ reliqua spes est libertatis, si illis & quod libet, licet: & quod licet, possunt: & quod possunt, audent: & quod audent, faciunt, & quod faciunt, uobis non est molestum? Ecliplis. Epanalepsis. Epimone. Epitheton. Gradatio.

Ouidius: Viderat hanc, uisamq; cupit, potiturq; cupi
Hypallage. ta. Hypallage, quoties oratio cõuerso rerum ordine
effertur. Dare classibus austros. Interpretatio, quũ
Interpreta eadem res alijs exprimitur uerbis. Rempublicã euer
tio. tisti, ciuitatem deiecisti, patrem uerberasti, parenti
manus scelerate intulisti. Terentius: Hanc tibi com-
mitto, & tuæ mando fidei. Necesse est eius qui audit
animum commoueri, quum grauitas prioris dicti re-
Isocolon. nouatur interpretatione uerborum. ἰσόκωλον quo
ties pari uerborum numero membra duo constãt.
Classem speciosissimam instruxit: exercitum pulcher
rimum, & fortissimũ elegit. In fuga, fœda mors: in ui
ctoria, glorioſa. Ego te consilio, nummis & sanguine
iuui: tu me dolo, arte, & gladijs inuasisti. Posteriora
duo nõ iscoli modo, sed antitheti quoq; colorẽ habent.
Ομοιόπτωτον, similiter cadens, quum idem plu-
riũ uocũ finis est. Egentẽ uirtutis, abundantem felici
tatis. Ομοιοτέλευτον, similiter desinens. Turpiter
audes facere, nequiter studes dicere. Similiter cadens
in nominũ casibus est, similiter desidẽs, in quibuscũq;
Paronoma uocibus. παρονομασία, agnominatio, quum litera-
sia. rum similitudine uocem in contrarium deflectimus.
Inceptio est amentium non amantium. Periphrasis,
Periphra- est quando significari breuius potest, quod cum or-
sis. natu latius ostenditur. Si orationi uitium adferat

Perisso

περισσολογία dicitur. Periphrasis interdũ necessaria est, quando dictu deformia operit. Sallustius: ad requisita naturæ. Nominum, quæ periphrasin efficiũt alia disciplinis omnibus communia sunt: ut ratio, natura. Dicimus enim de natura deorum, de mundi natura, de ratione elementorum, morborum, enthymematum: hoc est, deo, de mundo, de elementis, de morbis, de enthymematis. Alia non nisi paucis in rebus usurpantur. Vt sidus, signum, astron, stella, in Astronomia duntaxat faciunt periphrasin, hoc modo: sidus Saturni, signum Leonis, Virginis astron, stella Iouis: pro Saturno, Leone, Virgine, Ioue. Homerus: τότε σθένος ὠρίωνος Cicero: Docet ratio Mathematicorum, quanta humilitate Luna feratur terram penè contingens. Idem: Vnum genus est aduersum infestumq; nobis, eorum quos P. Clodij furor, rapinis & incendijs, & omnibus exitijs publicis pauit. Plinius: Varijs de causis, quas ingeniorum acumen excogitat. Idem: Leonum feritas inter se non dimicat, serpentum morsus non petit serpentes. Idem de sole: Hic uices temporum, annumq; semper renascentem ex usu naturæ temperat. Ouidius: Vitæ summa breuis spem nos uetat inchoare longam. Quintilianus: De pueris inter quos educabitur ille huic spei destinatus. Hic periphrasis materiæ sunt robur, ratio, furor, acumen,

Perissologia.

Pleonasmus men, feritas, morsus, uices, spei. Pleonasmus, est quũ uoces aliquot orationi perfectæ adijciuntur, quò rei aut dignitas aut magnitudo apertius exprimatur. Vt ipse meis oculis uidi. πολυσύνδετον, uel πολυσύνθετον, quum oratio multis coniunctionibus cohæret. Et ueni, & uidi, & uici. Repetitio seu anaphora, est eiusdem dictionis per principia cõmatum, membrorum aut orationum diuersarũ iteratio. Scipio Numantiam sustulit. Scipio Carthaginem deleuit. Ille ille Iuppiter restitit, ille Capitolium, ille hæc templa, ille hanc urbem, ille uos omnes saluos esse uoluit. Itẽ: Illa inquam, illa uita est tua Cæsar, quæ uigebit memoria seculorum omnium, quam posteritas alet, quam ipsa æternitas semper intuebitur. Aliud est epistolã, aliud historiam: aliud amico, aliud omnibus scribere. Traductio, quum idem uerbum sæpius positum non modo tædium nullum adfert, uerum concinniorẽ quoq; orationem reddit. Eum tu hominem appellas, qui si fuisset homo, nõ tam inique humanitatis studiosos persequeretur. Qui nihil habent in uita iucundus uita, ij cũ uirtute uitam non possunt colere.

Polysyndeton.

Repetitio.

Traductio.

CONSTRVCTIONIS Figuræ.

Πρόληψις: homines pallent, alius timore, alius ira, alius amore. Zeugma, formæ dignitas aut morbo

morbo defloreſcit, aut uetuſtate. σύλληψις, Vlyſſes & Penelope ſunt laudati. σύνθεσις, turba ruunt. σωνεκδοχὴ, nuda genu. ἀντίπτωσις, Vrbẽ quam ſtatuo ueſtra eſt, pro urbs.

TROPI DICTIONVM.

TRopus, eſt uerbi, uel ſermonis in aliam ſignificationem à propria deflexio. Dictionum tropi hi ſunt. Metaphora, quando uocabulum ex proprio ſignificato trãsfertur in aliud propter ſimilitudinem, ut ardor pro amore. Ab allegoria & ſimilitudine ſiue exemplorum ſimilium collatione differt, quod allegoria perpetua translatio ſit: ὁμοίωσις oratio, in qua allegoria confertur rei quam tractamus: ut ſi dicas, uaſcula oris anguſti nimiam humoris copiam reſpuere, allegoria erit: ſimilitudo ſi addideris, ſic tenera puerorum ingenia grandia non percipere. Triplex metaphoræ cauſa: Aut quia neceſſaria eſt, quum uerbum proprium deeſt. Sic gemmam in utibus dicunt, ſitire ſegetes, fructus laborare, hominem durum uel aſperũ. Aut quia ſignificantius rem exprimit: ut quum dicimus, lumen orationis, generis claritatem, concionum procellas, eloquentiæ flumina, fontem, ſegetẽ aut materiam gloriæ. Deniq; quum parum ſpecioſa dictu per eam explicantur. Vergil. Hoc faciũt nimio ne luxu obtuſior uſus Sit genitali aruo, et ſulcos oblimet inertes. Metaphora.

Synecdoche

Synecdoche, quum intelligimus ex uno plures, ut Romanus prælio uictor. Ex parte totum, tectum pro domo. Ex specie seu indiuiduo genus, iracundior Adria, pro quouis mari. Ex materia rem confectam, ferrum pro gladio. Et præcedẽtibus sequentia, uirgineã soluit zonam, pro deuirginauit. Quatuor uocum genera accusatiuum per synecdochen habent. Adiectiua, Verg. Nuda genu. Idem: Omnia Mercurio similis, uocẽq; coloremq;. Verba neutra cum participijs, ut dolẽs pedes caluet frontẽ. Passiua eorũq; participia. Verg. Expleri mentẽ nequit. Oculos suffusa nitentes. Nomina patria Idem: Cætera Graius. His loquendi formis poëtæ utuntur: Oratores non nisi hoc exemplo, id genus, pro eius generis.

Endyadis.

Endyadis est, quando adiectiuum in substantiuum resoluitur. Verg. Chalybem frenosq; momordit pro Chalybeos frenos. Idem: Pateris libamus & auro.

Transnominatio.

Μετωνυμία uel transnominatio, quum nomen inuentoris, pro re inuenta ponimus: Sine Cerere & Bacho friget Venus. Vel effectum pro efficiente: tristis lex, pallida mors. Vel continens pro contento: Cados. epotos. Vel autorem pro opere, Terentius semper in manibus habendus. Vel ducẽ pro exercitu: Cæsus Hannibal.

Antonomasia.

ἀντωνομασία quum nomen proprium mutatur, ut pro Iunone, Saturnia: pro Homero, poëta.

TROPI

TROPI ORATIONVM.

Allegoria, est perpetua metaphora, uel oratio in qua omniũ uocũ significatio mutatur, cuius genera hæc sunt. Aenigma oratio, è qua propter obscuritatem nihil certi colligitur. Vt mater me genuit eadem mox gignitur ex me: de glacie ex humore concreta, & in eundem rursum soluta. Hesiodus: πλέον ἥμισυ παντός, quo significatur in omnibus rebus seruandã esse mediocritatem. Parœmia, celebre dictum est: hodie nullam lineam duxi. Ironeia, illusio est. Vergilius: Egregiam uerò laudem. Ideò tropos inter figuras posuimus, qd' omnis tropus insignis forma uel species orationis sit. Quam sententiam non improbabunt qui ratione magis, quàm maiorũ autoritate nitentur.

Allegoria.

Aenigma.

Parœmia.

Ironeia.

IOACHIMI FORTII RINGELbergij Anduerpiani Sententiæ.

FORTITVDINIS.

FOrtium uirorum est magis mortem contemnere, quàm amare uitam. Vir scit uulnere uirtus. Virtus fortunabit. Leo ad nullius occursum expauescit.

Vt ualeas multa ferẽda tibi. Strenua ingenia, quò plus receſſus ſumunt, hoc maiores impetus ædunt. Nihil tã alte natura conſtituit, quò uirtus non poſsit eniti. Omnis ſpes in uirtute ponenda. Iulius Cæſar dixiſſe fertur, præſtantiſsimos habitos eſſe omnes, qui ſuas cogitationes altiſsimis in rebus defixas tenuere: imperiũq; quod animo concepiſſent, ortu ſolis et occaſu terminauerunt. Non capit regnum duos. Fortunæ muneribus utendum, non fidendũ eſt. Fortuna quũ blanditur, tũc uel maxime metuenda. Nihil uirtus inexpertum reliquit. Patria eſt, ubicunq; uirtus ſedẽ ſibi elegerit. Alexander ſuæ demptũ gloriæ exiſtimabat, quicquid ceſſiſſet alienæ. Eneruos animos uirtus odiſſe ſolet. Vt ſecundæ res, ſic felicem: ita magnũ faciunt aduerſæ. In ſuo quiſq; periculo magnũ habet animum. Nihil eſt, quod non aſsidua meditatio facillimum reddat. Aequa laus eſt à laudatis laudari, & improbari ab improbis. Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito. Scitum eſt profecto quiddã, & in mediis malis ea quenquam ſapere quæ ſapere eſt opus. Vtranq; fortunam proſperam et aduerſam iuxta ferre diſcat, qui animo eſſe tranquillo cupit. Facile ſupplicium perpeti, ſupplicio ſe liberare eſt. Poſteriora ad patientiam referuntur, quæ fortitudinis ſpecies eſt. Animos demittũt, atq; in contrarios adfectus pertrahunt ſequentes. Arbores magnæ diu creſcunt,

crescunt, una hora extirpantur. Leo nonnunq̃ et minimarũ auiũ pabulũ fuit, et ferrũ rubigo cõsumit. Nihil tam firmum, cui periculũ non sit, etiã ab inualido. Stultum est eorũ meminisse, propter quæ tui obliuisceris.

ARTIVM ET DOCTRINAE.

HOnos alit artes: omnesq́; incenduntur ad studia gloria: iacẽtq́; ea semper, quæ apud quosq; improbãtur. Dignũ laude uirũ Musa uetat mori. Vt medicina corpus, ita animũ curat philosophia. Opes eiusmodi parãdæ, quæ naui fracta simul cũ dño queãt enatare.

LABORANDVM ESSE.

Μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν Mala mille molestant affliguntq́; hominem cui segne & inutile corpus. δύσκολα τὰ καλὰ, difficilia quæ pulchra. τῷ πόνῳ ἀποκρινετῃ τύχη. Par est fortuna labori. Nihil tam facile, quin difficile fiatsi inuitus facias.

i. laborare debẽt uolentes esse felices.

ADOLESCENTIAE FLOREM cito euanescere.

Μεμνησο νέος ὢν, ὡς γέρων ἔσει ποτέ. Cogita iuuenta nihil esse fugatius, quæ ubi auolarit semel, redit nunq̃. Οὐκ αἰεὶ θέρος ἐσσεῖτ ποι εἶσθε καλιάς, Aestas nõ semper fuerit, cõponite nidos Philostratus in epistola quadam cauendum esse præcipit, ne tempus ullum sine fructu abeat, his uerbis:

i. Memineris iuuenis qd' aliquando senex eris.

Εστὶν ἔαρ καὶ κάλλος ῥόδων, ὁ δὲ μὴ χρησάμενος τοῖς παροῦσιν, ἀνόητος, ἐν οὐ μέλλουσι μέλλον καὶ βραδύνων ἐπ' ἀπιοῦσι. φθονερὸς γὰρ ὁ χρόνος, καὶ τὴν ἄνθους ὥραν ἀφανίζει, καὶ τὴν κάλλους ἀκμὴν ἀπάγει.

DE VOLVPTATE.

NEmo simul seruire potest uoluptatibus, et uirtuti. Vbi uoluptatis regnum adest, ibi difficile est uirtutē consistere. Sicut in extrema inopia positis haud facile est emergere: ita omniū rerum copia affluentes, ad uoluptatem facillime alliciūtur. Minus timet mortem, qui minus deliciarum nouit in uita.

LICENTIA, IGNAVIA, Cupido.

CVi plus licet, quàm par est: plus uult, quàm licet. Immodicus libertatis usus, seruitutis quandoq; occasio fuit. Vt mundo natura cursum, Soli lumen ignemq;, Lunæ μεταμόρφωσιν, aquæ fluxum leoni impetum; gratiam auro: sic homini uidetur ignauiam dedisse ac torporem. Tametsi præditus est ratione, ea tamen animal non utitur. Desuetudo pigritiam, pigritia ueternum parit. Solius temporis auaritia honesta. Diuitiarum cupido ibi est, ubi & usus,

RELIQVA

RELIQVA SINE ORDINE

Adfectibus male uti, uitium: bene uti, uirtus. Pauore carent, qui nihil cõmiserunt: & pœnam semper ante oculos uersari putant, qui peccarunt. Lento gradu ad uindictam sui diuina procedit ira, tarditatemq; supplicij grauitate compensat. Multos timeat oportet, qui timetur ab omnibus. Et tutus esse non potest, quem maxima pars hominum esse extinctum cupiat. Miserrimum est timere, quom speres nihil. Læta omnia raro sine infelicitate aliqua euenium. Miser est quisquis felicitatem sperat à miseris. Odia qui nimium timet, regnare nescit. Κρεῖττον εἰς κόρακας, ἢ εἰς κόλακας ἐμπεσεῖν. ὁι μὲν γὰρ νεκρὸς, ὁι δὲ ζῶν τας ἐσθίουσι. Sero beneficium dedit, qui roganti dedit. Aliquando gratus est, quod facili, quàm quod plena manu datur. Ingratus qui beneficium accepisse se negat, quod accepit. Ingratus est qui dissimulat. Ingratus, qui non reddit. Ingratissimus omniũ qui oblitus est. Reddit beneficiũ, qui libenter debet. Nemo libenter debet reddere, quod non accepit, sed extorsit. Eodem animo debetur beneficium, quo datur. Nec aurum, nec argentum, nec quicquam eorum quæ accipiuntur, beneficium est, sed uoluntas tribuentis. Græcis prouerbium est, beneficium non esse conferendum, nec in puerum, nec senẽ. In hunc, quia perit antequàm gratiæ

tiæ referendæ detur oportunitas: in illum, quia nõ me minit. Priusquam initium recte constitueris, stultum est de exitu consilium capere. Vita humana similis est ferro: quod si exerceas, atteritur, si non exerceas, rubigo consumit. Τοὺς δὲ σώφρονας θεοὶ φιλοῦσι, καὶ συγοῦσι τοὺς κακούς. Laudis cupiditas & timor ignominiæ ad uirtutem excitant. Κούφως φέρειν χρὴ θνητὸν ὄντα συμφορὰς. Naturam plerunq; fortuna corrumpit. Facile ingenia adolescentium ab honesta disciplina ad luxum delabuntur. Virtuti fortuna cedit. Laudare se, uani: uituperare, stulti est. Ea rerum humanarũ natura est, ut nihil sit ex omni parte beatum. Fortunam citius reperias, q̃ retineas. Hoc deterius habet respub. quò magis florent res priuatæ. Inopiæ pauca desunt, auaritiæ omnia. Volenti non fit iniuria. Vtilia iucundis præferenda sunt, quũ obtineri utrunq; nõ potest. Regum pernicies adulatio. Virtutis præmiũ honor. Copia fastidium parit. Reip nerui uectigalia. Laboris condimentum est ocium. Ea demum tuta est potentia, quæ uiribus suis modum imponit. Ab alio expectes, alteri quod feceris. Opes sunt sarcinæ mentis. Præterita reprehendi possunt, corrigi non possunt: Ἡ φρόντις οὐκ ἀτερπὴς ἔχουσά τινα διατριβήν. In deorum cultu nõ spectandæ uictimæ, sed pia ac recta uoluntas

Id est, Prudẽtes dij amãt, & oderunt malos.

Id est, Aequo animo ferendæ calamitates mortalib.

Id est, cura nõ iniucunda est, aliquod habẽs exercitiũ.

uenerantium

uenerantũ. Οὐδὲν ἀγαθὸν ἀμάρτυρον, ἢ κτῆμα ὃ ποίημα, ὃ μηδεὶς ὄψετ.. Vacandum non modo omni crmine, sed etiam criminis cuiuscunq; suspicione. Domat omnia uirtus. Virtus fortunæ non indiget. Βούλου τὰς εἰκόνας τῆς ἀρετῆς ὑπόμνημα μᾶλλον, ἢ τοῦ σώματος καταλιπτεῖν. Statuas relinque, quæ uirtutis sint monumentũ magis, quàm staturæ corporis. Omnes quibus res sunt minus secundæ, magis sunt nescio quo pacto suspiciosi, & ad contumeliam omnia accipiunt magis. Imago animi sermo est. Qualis uir talis oratio. Coniunctio animorum, maxima cognatio est. μελέτη πάντα δύναται. Omne opus difficile apparet, antequàm tentaueris. Plus usus sine doctrina quàm citra usum doctrina ualet. Nihil præcepta atq; artes ualent, nisi adiuuante natura. Πάτρις ἐστὶ πᾶσα ἵν' ἂν πράττῃ τις εὖ. Omne solum forti patria. Musonij sententiam commemorat Aulus Gellius libro decimo sexto: Εάν τι πράξῃς καλὸν μετὰ πόνου, ὁ μὲν πόνος οἴχετ, τὸ δὲ καλὸν μένει. ἐάν τι ποιήσῃς αἰσχρὸν μεθ' ἡδονῆς, τὸ μὲν ἡδὺ οἴχετ, τὸ δὲ αἰσχρὸν μένει.. Si quid feceris honestum cum labore, labor abit, honestum manet. Si quid turpe feceris cum uoluptate, uoluptas abit, turpitudo manet. Omnia prius, inquit ille, uerbis quàm armis

experiri

experiri ſapientem decet. Sicut aues ad uolatum, equi ad ſæuitiã feræ gignuntur: ſic homini propria eſt mẽtis agitatio atq; ſolertia. Omnes homines, qui de rebus dubijs conſultant, ab odio, amititia, ira atque miſericordia uacuos eſſe decet. Haud facile animus uerũ prouidet, ubi illa officiunt. Per beati ſunt, qui eum tenent uitæ curſum, ut uel in negotio ſine periculo, uel in ocio cum dignitate uerſentur. Maiore gloria pauca recte aguntur, quàm multa leuiter & perperam. Φοβȣ δ᾽ ἡμον παρ᾽ ᾧ πόλλα δυνάισαι. Nemini crede. Euentus ſtultorum magiſter eſt. Prudentis eſt multa diſſimulare. Quatuor nobilium genera ſunt. Nobiles enim dicuntur, qui claris, bonis, iuſtisq́; maioribus nati ſunt. Nobiles etiam uocantur, quorũ parentes potentes uel principes fuerunt. Item quorum ſunt maiores fama & exiſtimatione celebres, quam uel ex bellicis rebus ex præclare geſtis, uel ex certaminum coronis reportauerunt. Vltima ac maxima nobilitas eſt, quum quis per ſe animi magnitudine excellit. De qua Cicero in Saluſtium. Satius eſt me meis rebus geſtis florere, quàm maiorũ opinione niti, & ita uiuere, ut ego ſim poſteris meis nobilitatis initium & uirtutis exemplum. Duplicia, quæ delectant, quorũ alia ſenſu mente percipiuntur. Qui ſenſibus magis uiuunt, & corporis tenentur uoluptatibus, quorũq; animus corpori ſer

uit

uit, hi magis eam sequuntur delectationẽ, quæ sensibus obijcitur. Contrà quorum generosior & erectior animus curã omnem posuit in mente, hi uelut inimicas & infestas corporis aspernantur uoluptates, & solũ quæ mentem delectant, sequũtur. In libris de homine, de ratione studij alijsq; complura sunt, quæ hic noluimus repetere, ne rem eãdem bis proferre uideremur. Forsitã nõ inutile foret hasce sententias altius infigere pectori siue ad uerbũ ediscere. Nam & orationem, si scribere uelis, mire exornant, & animos mouent non sine uoluptate incredibili, & ueluti normæ quædam uiuendi sunt.

IOACHIMI FORTII RINGELbergij Andouerpiani liber de Formis dicendi.

EPISTOLA AD LECTOREM.

SCribendi rationem trifariã distinguemus. Primũ in Atticam, Asianam, Rhodiam. Tũ in sublimem tenuem, moderatam. Deniq; in Poëticam, historicam, oratoriam. Post quæ et aliæ nonnullæ oratiõis species adijcientur. Vale, Andouerpiæ, tertio Nonas Iunias. Anno M. D. XXIX.

A DE

DE TRIPLICI DICENDI GENE re Attico, Asiano, Rhodio.

VETERIBVS triplex erat dicendi genus: Atticum, Asianum, Rhodium. Atticum erat pressum, subtile, limatum, emunctum uenustum, nihil inane, nihil redundans, nihil ociosum proferens. Si quidem in causis iudicialibus apud Athenienses sic preco dicturos euocabat. Si quis dicere uelit surgat, sed ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν hoc est, sine proœmio, & affectibus uel peroratione: quo factum est, ut in illorum oratione nihil esset superuacuum. Asianum uerò genus inane erat, tumidum, inflatum, redundans uerbis atq; affectibus immodicis. Huic & modus, & iudicium deerat. Tertium erat Rhodium ex utroque mixtum, neq; Asiano more abundans: neque Attice pressum.

ALIA DISTINCTIO.

TRes sũt aliæ scribendi formæ, quæ è superioribus ortæ uidentur prima grauis, sublimis, magnifica, grandis: secunda mediocris uel moderata. tertia tenuis, subtilis, humilis. Quæ eadem Cicero in libris de Oratore recenset his uerbis: Hinc nascitur triplex habitus, species, idea, uel forma orationis. Quorum primum genus est plenũ, & tamen teres, sublime, graue.

Secundum

Secundū tenue, humile, non ſine neruis ac uiribus. Tertium mediocre, moderatum dicitur, quod laudabili mediocritate cōſtat. Dicendi genus graue eſt, quod cōſtat uerborū grauium magna et ornata conſtructione. Mediocre, quod magnifica illa orationis ſpecie paulo eſt humilius, neq; tamen ad infimam formam deſcendit. Humile, quod quotidiana ſermoni ſimillmū eſt. Vberē dignitas atq; amplitudo: gracili uenuſtas, & ſubtilitas moderatū utriuſq; particeps eſt. Sublime in Pacuuio: gracile in Lucilio: mediocre in Terentio. Apud Homerum, magnificum in Vlyſſe: ſubtile in Menelao: moderatū in Neſtore. Et Vergilij Bucolica tenui ſtilo ſcripta ſunt: Georgica mediocri: Aeneis ſublimi. Tragædiæ graues ſunt: mediocres comœdiæ: Bucolica humilia. De tragœdia Ouidij carmen eſt in triſtibus:

Omne genus ſcripti grauitate tragœdia uincit.

Hæc quoq; materiam ſemper amoris habet.

In comœdia quandoq; ſublimitas quædam cōmiſcetur Sic apud Terentiū in Adelphis tragica eſt exclamatio O cœlum, ô terra, ô maria Neptuni. In Eunucho Thraſo magnifica, & militaria uerba habet. Prima Plauti comœdia cæteris eſt ſublimior, quia perſonas deorum & ducum deſcribit. De hac re Horatius:

Interdum tamen & uocem comœdia tollit,
Iratuſq; Chremes tumido delitigat ore, hoc eſt, more

tragico. Alius comicus alio est sublimior. Quemadmodũ tria sunt officia oratoris ut probet, ut delectet, ut flectat: sic totidem dicendi genera sunt, subtile in probando, modicum in delectando, uehemens in flectendo. In docendo acumen, in delectando lenitas, in mouẽdo grauitas requiritur. Exordium dicẽdi genus modestum requirit: narratio, confirmatio & confutatio pro rerum natura aliud: peroratio uerò amplum, magnificum, acre, ardens, uehemens, concitatum. Cicero rationem reddit quur tam diuersæ scribendi formæ extiterint. Cum oratio, inquit, mollis est & tenera & ita flexibilis, ut sequatur, quocunq; torqueas, tum uariæ & naturæ & uoluntates multum inter se distantia efficerunt genera dicendi. Flumen alijs uerborum & uolubilitas cordi est, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam: alios interualla, moræ ac respirationes delectant.

DE GRAVI ORATIONE.

GRaue dicendi genus, quum res magnas, ampla, grauí, & magnifica uerborũ compositione describimus. Vt quis est uestrum iudices qui satis idoneã posit in eum pœnã excogitare, qui prodere hostibus patriam cogitarit? Quod huic sceleri dignum supplicium potest inueniri? In ijs qui uiolassent ingenuam, matremfamiliâs constuprassent, pulsassent aliquem, aut

postremo

postremo necassent, maxima supplicia maiores nostri cõsumpserunt. Huic truculentißimo, ac nefario facinori singularem pœnã non reliquerunt. Atq; in alijs maleficijs ad singulos, aut ad paucos ex alieno peccato iniuria peruenit. Huius sceleris qui sunt affines, uno cõsilio, uniuersis ciuibus, atrociſsimas calamitates machinantur. O feros animos. O crudeles cogitationes. O derelictos ab humanitate hoïes, qui id agere ausi sũt, aut cogitare potuerunt, quo pacto hostes reuulsis maiorũ sepulchris, deiectis mœnibus, ouantes irruerent in ciuitatẽ. Quomodo deũ spoliatis tẽplis, optimatibus trucidatis, alijs arreptis in seruitutem, matribus familiãs & ingenuis hostiũ libidini subiectis, urbs acerbißimo concidat incendio conflagrata. Qui se non putant id, quod uoluerint ad exitiũ perduxisse, nisi sanctißimæ patriæ miserandũ scelerati uiderint cinerẽ. Hæc oratio est acris, uehemens, concitata. Res tractat grandes nempe pericula ac proditionem patriæ, & communẽ reip. metum. Graues habet amplificationes, interrogationes, exclamationes: etiã contentiones, ubi scelus de quo sermo est, maleficijs alijs comparatur. Huiusmodi forma est heroici carminis, aliquod orationum Ciceronis ac Demosthenis. Velut apud Vergil.

Arma, uirũmq; cano Troiæ qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Lauinia uenit

Littora multum ille & terris iactatus, & alto
Vi superũ sæuæ memorẽ Iunonis ob irã. Hor. in Odis
Iustum & tenacem propositi uirum
Non ciuium ardor praua iubentium
Non uultus instantis tyranni
Mente quatit solida: neq; Hauster
Dux inquieti turbidus Adriæ.
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Vtrobiq; ampla, grauis, splẽdida, ac magnifica uerborũ constructio est. Hoc genus dicendi ad mouendos ac perturbandos animos est accommodatum. Et, ut Fabio placet, hoc saxa deuoluit, & pontem indignatur, hoc ripas sibi facit: hoc iudicem uel nitentem contra feret, cogetq; ire, qua rapit. Sublimitas cõsistit in rebus et cõtextu orationis. In rebus, quum terræ motus, res deorum, regum, ducum, patriæ describimus. In contextu orationis, quando grauis, ampla, & magnifica uerborum cõpositio crebras habet metaphoras, exclamationes, indignationes, atq; id genus exornationes alias. Figuræ ad grauitatẽ pertinẽtes sunt membra articuli repetitiones, interrogationes, dubitationes, amplificationes, exclamationes, contentiones, cõmorationes, metaphoræ, prosopopœiæ, apostrophæ, & demonstrationes, quæ rem oculis subijciunt cum exaggeratione.

QVAE

QVAE ORATIONI GRAuitatem adferant.

ORatio grandis quunq; formis cõtinetur: dignitate, increpatione maiorũ uel iudicum, increpatione minorum aut æqualiũ, uehementia, cõmoratione. Dignitas est, quũ de rebus magnis, magna & ornata constructione conficitur oratio. Vt quum de deo, ac diuinis rebus, non fabuloſe, neq; ut hominibus, ſed uere, & ut dijs quadã cum religione loquimur. Quippe quæ ut hominibus dijs pleriq; accõmodant, ut amores, cõplexus, connubia, ea longe abſunt à dignitate. Dignitatem itaq; habent quæ dicuntur de deo, de religione, de iuſtitia, de pietate, de fortitudine. Item quæſtiones. Sint ne plures mundi, an unus. Quæ ſit ſolis magnitudo. Qua ratione creſcat decreſcatq; luna. Vnde naſcantur fulmina, ac tonitrua. Quid uẽtos inducat. Quid procellas, nimbos, grandines, tempeſtatesq; inferat. Increpatio maiorũ eſt, quum ſine correctione ſuperiores uel iudices increpamus. Sine correctione tamen id rarius fit. Correctio enim mitigat ea, quæ apertius dicta ſunt, hoc modo, hic ego ueſtrã prudentiã requiro, priſcam cõſuetudinẽ expoſtulo, patrũ ueſtrorum ueſtigia imitanda cenſeo. Increpationis exemplũ eſt apud Ciceronem in Philippicis: Legatos ad Antoniũ mittere, de quo grauiſſimum iudicium feciſtis, non leuitatis eſt,

ſed ut quod ſentiam dicam, dementiæ. Minorum uerò uel æqualium increpatio eſt, quũ æqualeꝫ, uel inferiores aperte carpimus. Cicero in Verrẽ: Hæc eſt iſtius præclara tutela. En cui tuos liberos committas? en memoria mortui ſodalis, en metus uiuorũ. Quum tibi ſe tota Aſia ſpoliandam ac uexandam tradidiſſet, quum tibi expoſita eſſet ad prædandum omnis Pamphylia, contentus his tam opimis rebus eius non fuiſti. Manus à tutela, manus à populo, manus à ſodalis filio abſtinere non potuiſti. Idem: Homo auariſſime & ſpurciſſime redde bona ſodalis filio, ſiue quæ abſtuliſti, atqꝫ cõfeſſus es. Ad hunc locum pertinent ſchemata apoſtrophe, interrogatio, demonſtratio. Auerſio. Vt apud Ciceronem in Catilinam: O dij immortales ubinam gentium ſumus? Interrogatio. Cicero in Verrẽ: Hæc tu omnium mortalium profligatiſſime ac perditiſſime, quũ ſcires, quum audires quotidie, quũ uideres, ſi ſine tuo maximo quæſtu fierent, cũ tanto periculo tuo fieri paterere, atqꝫ concederes? Demonſtratio. Vt apud Ciceronem, ubi ait Antonium fruſtis eſculentis ui nũ redolentibus & ſinum ſuum, & totum tribunal impleuiſſe. Hæc increpatio requirit membra breuia, cõmata crebra, & cæſam orationem. Vehementia eſt quædam in loquendo cõmotio ſiue perturbatio. Vnde oratores, qui hac dicendi forma gaudent uehementes &

acres

acres appellamus. Hæc figuras requirit reticentiã, exclamationes, interrogationes, asyndeta, crebra commata & cæsam orationem. Vergilius:

Quos ego, sed motos præstat componere fluctus. Et
Heu fuge nate dea, teq; his, ait eripe flammis,
Hostis habet muros, ruit alto culmine Troia.

Cicero in Verrem: Putásne te posse de maximis acerbissimisq; rebus, quum causis sociorũ fortunasq; prouinciæ, ius populi & grauitatẽ iudicij, legumq; susceperis, tot res, tã graues, tam varias, uoce memoria, cõsilio, ingenio sustinere? Putásne te posse, quæ C. Verres in quæstura, quæ in legatione, quæ in prætura, quæ Romæ, quæ in Italia, quæ in Achaia, Asia, Pamphyliaq; peccauerit, ea quẽadmodum locis temporibusq; diuisa sint, sic criminibus, & oratione distinguere? Putásne te posse, id quod in eiusmodi reo maxime necessarium est, facere, ut quæ ille libidinose, quæ nefarie, quæ crudeliter fecerit, ea æque acerba uideantur esse his, qui audient, atq; illis uisa sunt, qui seruerunt? Ad uehementiã etiam spectat epimone, hoc est, eiusdẽ uerbi sine medio geminatio cũ impetu pronunciatiõis. Terent. O Thais Thais. Cicero pro Milone: Vos, uos appello fortissimi uiri, qui multũ pro rep. sanguinem effudistis. Cõmoratio est, quum in loco aliqua commoramur: et unã eandẽq; rem alijs atq; alijs uerbis expri

mimus. Cicero in Verrem: Quod si hanc causam tam idoneam, tam illustrem, tam grauem non haberem. Si aut hoc à me Siculi non petijssent, aut mihi cum Siculis causæ, tantæ necessitudinis non intercederet, et hoc quod facio, reip. causa facere profiterer, ut homo singulari cupiditate, audacia, scelere præditus, cuius furta, atq; flagitia non in Sicilia solū: sed in Achaia. Asia, Cilicia, Pamphylia, Romæ deniq; ante oculos oīm maxima turpissimaq; nossemus, meagente in iudicium uocaretur, quis tandem esset, qui meum factum aut cōsilium posset reprehendere? Quæ hoc loco Cicero copiosissime exposuit, minorem haberēt uim, si sic dixisset: Quamuis hæc causa tam grauis, tam illustris non esset. Et quamuis id Siculi à me non petijssent, sed solū hic à me reip. causa in iudiciū uocaretur, quis me posset reprehendere? Idem in Catilinam: Rempub. Quirites, uitamq; omnium uestrum, bona, fortunas coniuges liberosq; uestros, atq; hoc domicilium clarissimi imperij, fortunatissimam pulcherrimāq; urbem, hodierno die deorum immortalium erga uos summo amore, laboribus, consilijs, periculisq; meis, ex flamma atq; ferro, ac penè ex faucibus fati ereptam, & uobis conseruatam, ac restitutam uidetis. Ad commorationem referendæ periphrasis et interpretatio, quæ etiā grauiorem efficiunt orationem.

DE

DE MEDIOCRI FORMA.

MOderatum dicendi genus est, quod subtili plenius et uehementi remißius est, hoc est, in quo mediocres sententiæ, uerba propria, ac decentia, et cõpositio plana est: sic ut tam uerba, quàm cõpositio paulum ultra quotidiani sermonis usum adsurgãt. Vt quibus cum bellum gerimus iudices uidetis. Cum socijs qui pro nobis pugnare, & imperium nostrum nobiscum simul uirtute, et industria cõseruare soliti sunt. Hi quũ deliberassent nobiscum bellum gerere, quæso quæ res erat, qua freti bellum suscipere conarentur. Quũ multo maximam sociorum partẽ in officio manere intelligerent. Quum sibi non militum multitudinẽ, non idoneos imperatores, nõ pecuniam publicam præsto esse uiderent, nõ deniq; ullam rem, quæ pertinet ad bellum administrãdum? Adde quod rerũ imperiti, qui uniuscuiusque rei, de rebus ante gestis exempla petere non possunt, per imprudentiam facile deducuntnr in fraudem. At ij, qui sciunt, quid alijs acciderit, facile ex aliorũ euentibus suis rationibus possunt prouidere. Nulla igitur re inducti, nulla spe freti arma sustulerũt? Quis hoc credat tantam amentiam quenquã tenuisse, ut imperiũ populi Romani tentare auderet, nullis copijs fretus? Hæc oratio quanq̃ res magnas cõtinet, tamen sedatior est, & minus acris, q̃ graue illud dicendi genus,

de quo

de quo supra mentionē fecimus. Hoc modo Cicero ferè de philosophia scripsit.

DE SVBTILI ORAtionis genere.

ORatio humilis est, quæ simplicem rei expositionem complectitur, & usq; ad usitatissimam puri sermonis consuetudinē descendit. Hoc genus uerba habet ornata, non exquisita, & ad docendum est accōmodatum, hoc modo: Nā ut fortè hic in balneas uenit, cœpit postq̄ perfusus est, defricari. Deinde ubi uisum ut in alueum descenderet, ecce ibi iste de transuerso, heus inquit adolescens, pueri tui modo me pulsauerunt, satisfacias oportet. Hic quod ab ignoto præter consuetudinem appellatus esset, rubuit. Hanc loquendi formā tenuem nūcupamus, quoniā balnea, contentiones, negocia puerorum, & res humiles tractat, et humili constat uerborum contextu.

QVOD VITIVM VITANDVM sit in figura graui.

IN tribus his dicendi generibus uitanda sunt propinqui uitia, in quæ nonnunquam incidunt scriptores, qui sæpenumero pro uberibus sufflati, atq; tumidi sūt pro mediocribus, incerti & ambigui: pro gracilibus, squalentes & ieiuni. Hac de re Horatius:

Decipimur specie recti, breuis esse laboro,

Obscurus

Obscurus fio, sectantem leuia, nerui
Deficiunt, animiq; professus grandia, turget.
Serpit humi tutus nimium, timidusq; procellæ.

Idem infra:

In uitium ducit culpæ fuga, si caret arte.

Grauitati affine est uitiosum genus, quod inflatum aut tumidum appellamus. Nam ut corporis habitudinem tumor imitatur sæpe: ita grandis oratio sæpe imperitis uidetur ea, quæ turget et inflata est, quũ aut nouis aut priscis uerbis, aut duriter aliunde translatis aut grauioribus, quàm res postulat, aliquid dicitur, hoc modo. Nam qui perduellionibus uenditat patriam non satis supplicij dederit, si præceps in Neptunias depulsus erit lacunas. Pœnitet igitur istum, qui montes belli composuit, campos sustulit pacis. Hic de periculo patriæ, hoc est, re graui, sermo est: uerum oratio ipsa tumida, ac inflata est in hoc dicendi genere plerique specie grauitate falluntur, nec prospicere possunt orationis tumorem.

VITIA VITANDA INGENERE moderato.

QVi mediocri forma consistere nequeunt, decidere solent in confine genus, quod, appellatur dissolutũ, incertum, ambiguum. Id est huiusmodi: Socij nostri, quum belligerare nobiscum uellent, profecta

fecto ratiocinati essent etiam atq; etiam, quid possent facere. Siquidem sua sponte facerent, & non haberent hinc adiutores multos, & malos homines, & audaces. Solent enim diu cogitare omnes, qui magna negocia uolunt agere. Hic bellū aduersus socios res mediocris describitur. Cæterum oratio diffluit, neq; quicquam exprimit apto contextu uerborum.

QVID FVGIENDVM IN subtili ratione loquendi.

QVi in tenui orationis ductu uersari non possunt, ueniunt ad genus squalens, aridum, ieiunum, exangue. Cuiusmodi est hoc: Nam istic ad balneas accessit, ad hunc postea dixit, hic tuus seruus me pulsauit. Postea dixit hic illi, considerabo. Post ille conuitium fecit, & magis ac magis præsentibus multis clamauit. Hic res humiles arido, squalente, ac ieiuno orationis contextu exponuntur.

QVID SERVANDVM, CAuendumq; in omnibus formis.

IN uniuersum cauendum est, ne in mutanda figura è sublimi repente ad ima decidamus. Néue subito prorumpamus è gracili genere, ad uehemens, ac incitatū: id enim furori uideretur simile. Sed grauē orationem, mediocris: mediocrem excipiat attenuata: contra è tenui charactere per mediū eamus ad sublimem. Deinde

identidem

identidem cõmutentur quo tædium leues uarietate.

TERTIA DIVISIO.

Diximus de genere dicendi Attico, Asiano, Rhodio. Inde de graui, moderato, subtili. Porrò scribendi modũ alia ratione distinguimus in poëticum, oratorium, historicum. Poëtis maior sermonis licentia est. Oratori nihil dissonum aut incongruum proferre licet. Historia medium seruat modum.

ALIAE DIVERSAE FORMÆ loquendi.

Iucunda est oratio, qua fabulas, res, seu lusus puerorum, hortorũ amœnitatem, pulchritudine florum, sonorum harmoniam, aquas fluentes aut umbrosa nemora describimus. Floridum elocutionis genus est, quod crebris figuris cõpositum est, quæ perinde atq; ipsi flores pulchritudine & gratia animum delectãt. Iucunda oratio. Florida.

Obscura est oratio, quæ ita contexta est, ut sensus haud facile percipi possit. Modestum dicendi genus est, in quo humanitas eius, qui dicit, adeò apparet: ut uel minoris & se & sua quàm oporteat: uel maioris aduersariũ & rem eius, quàm sit, facere uideatur. Vt si neminem nos unquam læsisse aut accusasse dicamus, nunc coactos uenire in defensionem proborum contra improbos. Huc pertinet permissio, quum rem aliquam alterius potestati concedimus. Obscura. Modesta.

Varietas orationis consistit Varia.

consistit in rebus & uerbis. In rebus, si diuersis artium generibus opus exornes. Eiusmodi sunt Georgica Vergilij, & maxime circa initiũ. Ibi enim uix uocem unam inuenias, quæ non pertineat uel ad Astronomiam, uel ad Geographiam, uel ad Cosmographiam, uel ad Physicen, uel ad historiam, uel ad fabulas. In his uerbis, quum uarijs uocum casibus, generibus, specie, figura, tempore, coniugationibus, modis, personis, numeris: Item multiplici numero syllabarum, exitu, productione, accentu, aspiratione, & quæ huiusmodi sunt, utimur. Quum polysyllabæ dictiones sequuntur eas, quæ paucioribus syllabis constant: & quum breuiores uel tempore, uel numero, longioribus interponuntur. Denique quando ab hoc casu ad illum: ab illo uerborũ modo ad alium tranuolat oratio: neq; modos solum & tempora, sed coniugationes quoq; commutat. Omne genus orationis aut quietum est, aut forense. Cicero in Officijs ad Marcum filium: Quamobrem magnopere te hortor mi Cicero, ut non solum orationes meas, sed hos etiam de philosophiæ libros, qui se iam illis ferè æquarunt, studiose legas. Vis enim dicendi maior est in illis, sed hoc quoq; colendum est æquabile & temperatum orationis genus. Et id quidem nemini Græcorum uideo adhuc contigisse, ut idem utroq; in genere laboraret: sequereturq; & illud forense dicendi, &

quietum

quietum hoc disputandi genus. Iterum: Equidem & Platonẽ exiſtimo, ſi genus id forẽſe dicẽdi tractare uoluiſſet, grauiſſime et copioſiſſime potuiſſe dicere: quietũ, in quo nõ tanta nobis acrimonia, uel ui dicẽdi opus eſt. Id duplex eſt. Philoſophicũ, quo in rerum natura perueſtigãda, aut moribus inſtruendis philoſophi utũtur: & hiſtoricũ, quo res geſtæ exponuntur. In philoſophis minus concinna elocutio haudquaquam eſt contemnenda. Illorũ enĩ eſt, cõponere mentẽ potius, quàm dictionem: curare ne quid aberret ratio non oratio: et muſas habere nõ in labris, ſed in animo. Cic. in Oratore: Mollis eſt oratio philoſophorũ, & umbratilis, nec ſententijs, nec uerbis inſtructa, nec iuncta numeris, ſed ſoluta liberius, nihil iratum habet, nihil inuidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil aſtutũ, caſta, uerecũda, uirgo incorrupta quodãmodo: itaq; ſermo potius, quàm oratio dicit. Forenſe nominamus, quod circunſtantijs conſtat. Eius tria genera ſunt: demonſtratiuum, deliberatiuum, iudiciale.

IOACHIMI
FORTII RINGELBERGII
Andouerpiani Synonyma.

SYnonymorũ rationem diſtinguemus tum per partes oratiõis, tum literarum ordine. Prima ſemper

ponetur uox maxime usitata. Isthæc eo cõsilio ædidimus, quo scripturi è dictiõibus multis prædignitatis, ac numerorũ, seu pedũ ratione cõmodißimam eligant. Abutuntur his, qui rẽ eandem uerbis pluribus idẽ significãtibus exprimunt. Quale est in Plinij Panegyrico circa initium. Abeant, ac recedant uoces illæ.

NOMIMA SVBSTANTIVA.



Academia, gymnasium, pedagogiũ, asylum bonarum artium, palæstra. Amicitia, familiaritas, necessitudo. Antistites, primates, optimates, proceres, principes, præsides. Augmentum, incrementum, accessio, additio, appendix. Autor, dux, impulsor, auspex, ductor, hortator. Autoritas, existimatio, fama nomen. Auxilium, præsidium, opem, subsidium, patrocinium, suppetiæ. Bellũ, pugna, arma, prælium. Cantus, carmen, concentus, accentus, cantilena, cantio, cantiuncula. Crimen, dedecus, probrum, opprobriũ turpitudo, labes, ignominia, macula. Crines, comæ, capilli, pili, cæsaries. Cupiditas, cupido, auiditas, concupiscentia, auaritia, ardor, amor. Currus, plaustrũ uehiculum, quadrigæ. Damnum, iactura, incommodum, incommoditas, detrimentũ. Deceptio, astus, dolus, astutia, insidiæ, fallaciæ, fraus, præstigiæ, fucus, impostura, illecebræ. Diligentia, studium, labor, cura, opera

opera, niſus, conatus, ſedulitas, aſſiduitas, exercitatio, meditatio. Diſcordia, lis, controuerſia, contentio, altercatio, conuitium, concertatio, diſſidium, tumultus, perturbatio, factio, ſeditio. Ea lege, ea conditione, ea uia, eo conſilio. Effigies, aſpectus, ſpecies, ſimulachrũ imago, forma, ſimilitudo. Exitium, peſtis, pernicies, excidium. Familia, genus, propago, ſanguis, ſemen, ſtirps, progenies, domus, origo. Fines, cardines, limites, metæ, termini, exitus, euentus. Fluuius, flumen, amnis, riuus, torrẽs, fluentum. Fouea, baratrum, gurges, ſcrobs, antrum, latebræ, latibulum, ſpecus, ſpelunca, lacus, lacuna, foſſa. Frumenti, fruges, ſeges, Ceres meſſes. Iactatio, oſtentatio, arrogantia. Lætitia, gaudium, uoluptas, alacritas, hilaritas. Lucrũ, emolumentum, fructus, commoditas, quæſtus, utilitas, merces. Luna, Lucina, Proſerpina, Phœbe, Diana, Cynthia. Mora, interuallum, ſpatium, intercapedo, interſtitium. More, conſuetudine, ritu, modo, exemplo. Motus, commotio, perturbatio, concitatio, turba. Nobilitas, ſtemma, claritas, claritudo. Nomen, cognomen, cognomentum, nomenclatura, appellatio, uox, uocabulum. Paupertas, inopia, penuria, egeſtas, inedia, ærumna, calamitas, indigentia. Poculum, crater, calix, patera, cyathus, ſcyphus. Principium, initium, exordium, origo, primordium.

Signa, indicia, argumenta, cõiecturæ, ueſtigia, notæ. Similitudo, forma, effigies, ſpecies, ſimulachrum, imago. Socius, ſodalis, comes, collega. Sonus, crepitus, fragor, ſtrepitus, ſonitus. Sordes, illuuies, ſqualor, putredo. Stulti, fatui, mori, inſipientes. Stultitia, dementia, inſania, cæcitas, ueſania, ſtoliditas. Triſtitia, mœror, mœſtitia, ſolicitudo, cura, angor, cruciatus, ægritudo. Turba, concio, cohors, cœtus, multitudo frequẽtia, concilium. Ventus, flatus, aura, ſpiritus.

ADIECTIVA.

ADuerſæ res, afflictæ, dubiæ, lapſæ, triſtes, inualidæ, languidæ. Alia, reliqua, cætera. Altum, arduum, ſublime, æditum. Aptum, idoneũ, utile accõmodatum, accomodum, non abſurdum. Aſtutũ, callidũ, fallax, captioſum. Auarus, auidus, inſatiabilis, inexplebilis, cupidus. Bonus, probus, innocẽs, integer unſons. Caducum, fluxum, inconſtans, inſtabile, uolubile, mobile. Curuum, incuruum, flexuoſum, conuexum, obliquum, ſinuoſum, ſinuatũ. Debilis, imbecillis, effœtus, eneruatus, infirmus. Doctus, literatus, eruditus, peritus, doctrina præditus. Dubium, ambiguũ, incertum, anceps. Durus, ſaxeus, lapideus, inexorabilis, ferreus, immitis. Elegans, politum, uenuſtum, pulchrum, ſpecioſum, ornatũ, decorum, operoſum, iucundum, blandum, formoſum, comptum, cultum, elaboratum

boratum, nitidum, clarum, candidum, illustre, splendi dum, lepidum, præclarum, expoliti, exquisitum, ter= sum, limatum, luculentum, artificiosum, haud illepidi egregium, excellens, eximum, insigne. Facetus, urba nus, comis, ciuilis, lepidus. Felix, beatus, fortunatus, secundus, prosper, faustus. Frequens, crebrum, nõ ra rum, usitatum, uulgare, familiare, tritum, protritum inuulgatum, solitum, cõmune, quotidianum. Gratius acceptius, charius, antiquius. Hæc, ista, isthæc. Hir sutum, setosum, hirtum, pilosum, hispidum. Humanus amicus, comis, familiaris, facilis, lepidus, tractabilis, charus, beneuolus. Inane, uanum, ocioſum. Nihil ha= bens præter ociosam ostentationem. Inhumanus, fe= rus, ferox, austerus, improbus, intractabilis, durus, te= tricus, barbarus, indomitus, agrestis, sæuus, atrox, im placabilis, morosus. Iucundum, amœnum, delectabi= le, lepidum, festiui. Libidinosus, adulter, impudicus, dissolutus, effœminatus, lasciuus, mollis. Loquaces, uerbosi, garruli, linguaces, dicaces. Magnum, ingens grande, immane, immensum, immodicum. Natus, ge nitus, procreatus, satus, ortus, æditus. Nobilis, gene= rosus, clarus, celebris, insignis, ingenuus, inclytus, illu stris, præclarus, splẽdidus, egregius, præstans, magni ficus. Obscurum, tenebrosum, atrum, cæcum, nigrum umbrosum, opacum, caliginosum, piceum, tetrum.

Paruum, exiguum, humile, abiectum, uile, tenue, exile. Pauper, inops, egens, mendicus. Piger, iners, segnis, deses, desidiosus, ignauus. Probabile, credibile, uerisimile. Propensus, pronus, procliuis, facilis. Rusticus, indoctus, inurbanus, rudis, obtusus, stolidus, horridus, incultus, sordidus, abiectus, uulgaris, humilis, barbarus, difficilis, illiberalis, hebes, obtusus. Saluũ incolume, integrum, sospes, superstes. Superbus, arrogans, gloriosus, elatus, inflatus, tumidus, ambitiosus petulans. Temerarius, leuis, præceps, imprudẽs, incõsultus. Turpe, fœdum, deforme, obscœnũ, spurcũ. Varius, diuersus, multiformis, multiplex. Vehemens ardens, æstuans, feruens, flagrans.

VERBA.

Accusare, incusare, culpare, criminari, insimulare, uituperare, increpare. Adscribere, tribuere, assignare, attribuere, uendicare. Arare terrã uertere, proscindere, inuertere, colere, excolere, terram. Auferre, demere, decerpere, diminuere. Bellare, pugnare, bellũ gerere, dimicare. Careo, uaco, expers sum. Castigare, restituere, corrigere, emendare recognoscere, limare epistolam. Cogere, compellere impellere, urgere. Confutare, refutare, diluere. Conclusio refutari, ac dilui sic potest. Consumere, dilapidare, decoquere, perdere, dilacerare, prodigere, deuorare

rare, profundere. Cõtingere, accidere, euenire, usuue nire, obtingere. Contemnere, fastidire, aspernere, de spicere, aspernari. Cupere, desiderare, optare, pete re, expetere, gestire, concupiscere, adfectare appete re, captare, expectare, sperare. Dare, tribuere, præ stare, largiri, cõcedere, offerre, conferre, præbere, do nare, suppeditare, impartiri. Decipere, fallere, lude re, uerbadare. Depellere, ppellere, expellere, explode re, abigere, eijcere, extrudere, exterminare, abdicare amouere, remouere, pellere, amoliri. Desipere, delira re. Desistere, desinere, cessare, missũ facere. Destrue re, frangere, demoliri. Dicũt, ferunt, fama est, fertur, perhibent, aiunt, rumor est, inquiunt, adfirmãt, uolũt censent. Distare, abesse, absistere. Diuidere, separare distribuere, segregare, seiungere, disiũgere, distrahe re, discriminare, dissoluere, soluere, disijcere, distur bare, scindere, partiri, secare, dissecare, dissipare, di stinguere, semouere, dimouere, dispergere, diffunde re, discutere, diuellere, diducere, discernere, secernere

Errare, aberrare, hallucinari. Faue, annue, aspira. Fingere, excogitare, cõminisci. Finire, terminare, per ficere, complere, conficere, absoluere, finem imponere canere receptui, extremã manum imponere, cõsumma re. Fugere, euadere, effugere, erumpere, emergere, abscedere, terga dare, terga uertere, arripere fugam.

in fugam se conuertere, in fugam se conijcere, fugã ca pere. Gignere, generare, procreare, ædere, parere. Hortari, adhortari, instigare, allicere, inflammare, ex citare. Ignoscere, parcere, ueniã dare, remittere culpã Immiscere, inserere, interponere, inijcere, ingerere. Incipere, ordiri, exordiri, aggredi, adoriri, inchoare, auspicari, exordium sumere. Inquirere, exquirere, perscrutari, uestigare, inuestigare, sciscitari, rogare, quærere, rimari, expiscari. Intelligo, disco, percipio sentio, uideo, capio, accipio, cognosco. Inuenire, re= perire, eruere. Iuuare, suppetias ferre, auxiliari, au xilio uenire, adiuuare, opem ferre, adiumento esse, au xilio esse, præsidio esse, sucurrere. Laborare, cona= ri, niti, eniti, moliri, contendere. Laudare, probare, commendare. Liberare, eripere, libertate donare, manumittere. Licet, ius est, honestum est, decet, libe= rum est, integrum est, fas est. Maculare, uitiare, fœ= dare, uiolare, inficere, contaminare. Mirari, admira ri, demirari, admirationi esse, in quorum postremo si gnificatio mutatur. Mori, uitam finire, agere animã expirare. Negare, inficiari, inficias ire. Nocere, obesse, officere, incommodare. Nutrire, educare, pa scere, alere, sustentare. Occidere, necare, interfice= re, trucidare, iugulare, tollere, interimere, perimere, mactare, extinguere, uitam eripere. Occultare, te=

gere

gere, cælare, abdere, abſcondere. Omitto, relinquo ſuperſedeo, taceo, miſſum facio, prætermitto, dimitto.

Oritur, fluit, proficiſcitur, manat, naſcitur, proue nit, exoritur, originẽ ducit. Ornare, exornare, ad= ornare, comere, limare, polire, illuſtrare. Pati, fer= re, tolerare, perpeti. Placare, ſedare, mitigare, mol lire, lenire, pacare. Placet, delectat, iuuat, cordi eſt uoluptati eſt, gratum eſt, acceptum eſt. Prævenire anteuertere. Puto, reor, exiſtimo, iudico, opinor, ar bitror, cenſeo, credo, auguror. Futurũ, iam tũ augura bamur. Recreare, reficere, refocillare, reſtaurare, in ſtaurare. Rogare, orare, obſecrare, obteſtari, poſcere precari, quæſo, flagitare, efflagitare. Scis, non igno ras, haud te latet, non te fugit, non te præterit, probe noſti. Sequitur, conſequitur, efficitur, colligitur, re linquitur, ex his nihil eſſe imbecillius homine. Ter rere, deterrere, perterrefacere, terrorem incutere, at tonitum reddere. Vado: eo, incedo, gradior, ambu= lo, luſtro, meo, permeo, tranſeo, peragro, ambio. Venit in mentem, occurrit, ſuccurrit. Videre, ſpecta re, cernere, contueri, intueri, conſpicere, inſpicere. Viuere, uiuere uitam, degere uitam, fungi uita, ueſci aura, tranſigere uitam. Vocare, appellare, dicere nominare, cognominare, nomẽ indere. Pomponius: Cui cœli nomen indidimus. Nomen uſurpare, pro uocari.

Idem: Quæ nomen Aphricæ usurpat. Lucifert nomẽ accipit, frequens apud Plinium, compellare, nomen dedit. Vti, frui, potiri, possidere, tenere, occupare.

ADVERBIA.

Æquo animo, moderate, benigne, placide, bono animo, forti animo, constanter, fortiter, cõstanti animo, tranquilla mente, sine molestia. Age, agesis, agedum. Aliquando, quandoq; nõnunquàm, interim, interdum. Apertius, uberius, planius, copiosius. Bene, recte, rite, commode, probe. Breuiter, paucis, summatim. Clàm, occulte, latenter, clanculũ, furtim. Clarius, manifestius, profusius, latius, auctius, plenius, uberius, cumulatius, amplius, apertius, dilucidius, subtilius. Delicate, laute, splendide, magnifice. Diligenter, impense, studiose, sedulo, accurate, gnauiter, perfecte, exquisite, ad perpendiculũ, ad amussim, ad regulam, exacte, elaborate, Feliciter, prospere, bonis auibus, læto omine. Fermè, ferè, penè, propè, propemodum, Italia tantum non uniuersa. Imprimis, cum primis, apprime, præ cæteris, præter cæteros. Inuicem, uicissim, mutuo. Iterum, rursus, denuo, de integro. Merito, iure, non temere, nõ sine causa, non ab re, haud iniuria, haud immerito.

Multum, impendio. Terentius: Animus impendo gaudebat. Summopere, non mediocriter, non

parum

parum, admodũ, mire, mirũ in modum, oppidoq̃, perquàm mediocre ingenium, abunde pulchrum. Nunc, in præsenti, in præsentiarum, hoc tempore, hac tempestate, hodie. Omnino, penitus, prorsus. Optime, artificiose, graphice, eleganter. Postquam, ubi, ut, simul atq̃. Postea, postmodum, postmodo, post, posterius. Quamuis, quanquã, licet, & si, tametsi, etiamsi, ut. Quo modo, quo pacto, qua ratione, qua uia, solertia, qua industria, quo nomine. Sæpe, non semel, crebro, frequenter, persæpe, nõ raro, sæpenumero, plerunq̃, identidem. Statim, confestim, protinus, continuo, pro pediem, ilico, extemplo, quàmprimum, subito, repẽte ocyus, cito, actutum, mox, mature, celeriter, ueestigio Solum, modo, tantum, tantummodo, duntaxat. Tandem, demum, deniq̃, postremo.

CONIVNCTIONES.

QVia, quando, enim, etenim, quippe qui, utpote qui, aut quippe quum, utpote quũ, ut quinanq̃. Sed, uerum, uero, cæterum, at, atqui, uerunta men. Quòd, quia, quoniã. Amo iuuenem, quòd, quia uel quoniã comis ac eruditus sit. Plin. sæpe pro quòd, ponit quia uel quoniã. Quare, quamobrem, igitur, ideò, ergo, idcirco, quapropter, quas ob res, eam ob rem, propterea, qua de re, itaq̃, proin, proinde, quocirca, unde, inde.

IOA-

IOACHIMI FORTII RINGELBERGII ANdouerpiani opusculum de Periodis.

ORationẽ omnem diuidi cõstat in periodos, mẽbra, commata, uerba, syllabas, literas. Quippe è literis, syllaba fit: è syllabis, uerbũ: è uerbis, cõma: è cõmatibus, colon: è colis, periodos: è periodis, oratio. Quintil. lib. 9. At illa cõnexa series tres habet formas: incisa quæ κόμματα dicũtur: mẽbra, quæ κῶλα: κυκλοτερὲς, quæ est uel ambitus, uel circunductũ, uel cõtinuatio, uel conclusio Periodon orationẽ uocamus absolutã in qua nihil desideratur. De illa uerba Fabij. Periodos sensum cõcludat: sit aperta, ut intelligi queat: nõ immodica, ut memoria contineri. Cõma uel incisum pars mẽbri est, uel ut Græci inquiunt: κόμμα ἐστὶ τὸ κώλου ἔλαττον. Κῶλον (ait Aristoteles) ἐστὶ τὸ ἑτέρου μέρος πρόσλαβε De bimẽbri oratiõe loquutur, quæ esse solet crebrior. Porrò membra in longa circunductiõe oratiões sæpenumero perfectæ sunt. Vt in hac periodo Quemadmodũ horologij umbrã progressam sentimus pgredientẽ nõ cernimus: et fruticẽ, aut herbã creuisse apparet, non apparet crescere: ita & ingeniorũ profectus, quoniã minutis constat auctibus, ex interuallo sentitur.

titur. Sententia hæc tribus constat membris. Quorum primũ: Quemadmodũ horologij umbrã progressam sentimus, progredientem non cernimus. Secundum: Et fruticẽ, aut herbam creuisse apparet, non apparet crescere. Tertium: Ita & ingeniorũ profectus, quoniã minutis constat auctibus, ex interuallo sentitur. Primum colon duo habet incisa: secundum tria: tertium totidẽ. Fit nonnunq; ut dictio eadem simul sit & litera, & syllaba, uerbum, & incisum. Vt hæc: Casum ablatiuum poscunt à, ab, è, ex. Pari forma eadem oratio comma, membrum, ac periodos est. Homini nihil arduum.

DE NOTIS COMMATIS, membri, periodi.

INcisum notamus dextera semicirculi parte: membrum duobus punctis: periodon, uno. Sed cauendũ ne aliquando nimium exacta distinctio obscuritatẽ pariat. In citatione autorũ duo puncta, hoc est, nota membri ponenda ante scriptoris uerba hoc modo. Vergilius primo Georgicorũ libro: Labor omnia uincit Improbus. Nam maior quies est, quàm ut ponatur figura incisi, & minor, quàm ut character periodi sit. Sensus nanq; relinquitur imperfectus, & aliud quidpiam expectatur. Eadem puncta ante sic, uel ita in similitudine ponuntur, ad hanc formam. Vt in arboribus robustiores sunt partes Aquiloni oppositæ, quàm quæ Austrũ

aut

aut Zephyrum ſpectant: ita fortiores ac firmiores ſumus in his in quibus nos aut aduerſa fortuna, aut labor magnus exercuit. Ante ſimilitudines, ac interrogationes ponitur punctus.

DE NOTA INTERROGATIONIS.

INterrogationis nota pro orationis uehemẽtia alium atq; alium locum ſortitur. Etenim eam quandoq; ad ſingula propè uerba, quandoq; ad finem ſuæ periodi ponunt. Quomodo ſignari debeat interrogatio, ſequentia exempla demonſtrabũt. Terentius: Vbi quæram? ubi inueſtigem? quẽ percouter? qua inſiſtam uia? Idem: Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem? Cic. pro Milone: Quid iam reſtat? quid habeo? quid dicam? quid faciam pro tuis in me meritis? Idem pro eodẽ: Hæc tanta uirtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? eijcietur? Fabius: Quid? Herculis acta non bene Piſandros? Quid? Nicandrũ fruſtra ſequuti Macer, atq; Vergilius? Quid? Euphorionem tranſibimus? Plinius de terra: Quæ coacta generat? quæ ſponte fundit? quos odores ſaporeſq;? quos ſuccos? quos tactus? quos colores? Plinius Iunior: Quæ tantæ grauitas? quæ tanta ſapientia? quæ imò pigritia: arrogantia, ac potius amentia? Idem: Studes? an piſcaris? an uenaris? an ſimul omnia?

DE

DE NOTA VOCIS imperfectæ.

IN fine uersus duo quandoq; puncta ponuntur indicantia uocem non esse absolutam. Quæ tamen notæ ponendæ solum, quũ id, cui annectuntur, possit esse uox perfecta. Vt si uelim in fine uersus dictionis in uia syllabã primã scribere, puncta adiscienda sunt sic inne lectores præpositionẽ in esse arbitrentur. In uocabulo Homerus nihil huiusmodi punctis opus est. Siquidem eius uerbi nulla syllaba perfectã facit dictionem.

PERIODI VNIMEMBRES, uel μονόκωλοι.

PEriodi à membrorũ numero dicuntur unimembres uel μονόκωλοι, bimembres aut δίκωλοι, trimembres seu τρίκωλοι, quadrimembres, & quinque, sex, septem: octo membrorum. Periodi unimembres hæ sunt: Nihil tam alte natura constituit, quò uirtus non possit eniti. Omnis nostra uis in animo & corpore sita est. Harum utraq; membris singulis, ac duobus incisis continetur.

PERIODI δίκωλοι, VEL BIMEMBRES.

EQuidem ego regnum uobis trado firmum, si boni eritis: sin mali, imbecillum. Non enim de tyranno, sed de ciue; non de domino, sed de parente loquimur.

mur. Ante focum, si frigus erit: si meßis, in umbra. In fuga, fœda mors: in uictoria, gloriosa. Ego te consilio opibus, & sanguine iuui: tu me dolo, arte, & gladijs inuasisti. Posteriores duæ periodi nominantur δίκωλοι, ἰσόκωλοι, & cola habentes antitheta, quia membris constent pugnantibus.

PERIODI TRIMEMBRES.

SVnt qui in rebus contrarijs parum sibi constent, uoluptatem seuerissime contemnant in dolore sint molliores: gloriam negligant, frangantur infamia. Periodos sensum concludat: sit aperta, ut intelligi queat: non immodica: ut memoria cõtineri. Ex uerbis, fit comma: ex commatibus, colon: ex colis, periodos. Diligentia, in nautis, in gubernatoribus, prudentia: in remigibus, uirtus exquiritur. In Aegypto, Anubis: in cœlo, Sirius: apud inferos, Cerberus.

PERIODOS QVADRIMEMBRIS.

NOn enim furẽ, sed raptorẽ: nõ adulterũ, sed expugnatorẽ pudicitiæ: nõ sacrilegũ, sed hostẽ sacrorũ, religionũq́;: nõ sicariũ, sed crudelißimũ carnificem ciuium, sociorumq́; in uestrũ iudiciũ adduximus.

MEMBRORVM QVINQVE Periodos.

E Literis, syllaba fit: è syllabis, uerbum: è uerbis, comma: è commatibus, colon: è colis periodos.

Sex

Sex membrorũ ſententia erit, ſi addas: è periodis oratio. In Horoſcopo, ubi lunæ manſiones deſcribuntur, periodos una octo & uiginti mẽbra habet inciſa quinquaginta ſex citra obſcuritatem. Proxima membris tribus conſtat, inciſis uiginti.

IOACHIMI FORTII RINGELBERGII ANdouerpiani Arithmetica.

HIC aliquando uocibus utemur nõ uſqueadeò ſplendidis, quod neceſſe fuerit maximè in proportionibus numerorum: ideoq; decreueram hanc artẽ, & complures alias eadem de cauſa non tradere. Sed quid iſthæc ſolicitudo me mouet? Cicero pleriſq; in locis, ubi nulla cogit neceſsitas, nullam gratiam quæſiſſe uidetur, neq; in dictionibus, neq; in uerborum compoſitione. Omnis numerus uel abſolute per ſe accipitur, uel ad alium refertur, uel à Geometricis figuris quas conſtituit, nomen ſumit. Primũ genus diuiditur in parem, & imparem: in imperfectum, diminutum, abundantem. Par eſt, qui in duas æquas partes diſtribui poteſt, ut 4. 6. Qui duplex eſt. Pariter par, qui in partes æquas ad unitatem uſq; diuiditur, ut 32 in 16 &

 16, uterq;

16, uterq; deinde in 8 & 8. Pariter impar, qui usque ad unitatẽ distrahi nequit in partes æquales, ut 6. Numerus perfectus est, cuius omnes partes coniunctæ totum reddunt, ut 6, cuius partes 1. 2. 3. 28 cuius partes 1. 2. 4. 7. 14. Diminutus siue imperfectus, qui maior est partibus omnibus simul iunctis, ut 8 cuius partes 1. 2. 4. septem duntaxat efficiunt. Abundans, quẽ suæ partes collectæ excedunt. Porrò numerus, qui ad alium refertur, aut est æqualis alteri, aut inæqualis. Rursus inæqualis, uel maior altero, uel minor. Maior (similis ratio & minoris) quinq; formis continetur, quæ sunt multiplex superparticularis, superpartiẽs, multiplex superparticularis, multiplex superpartiẽs Multiplices sunt duplus, ut 6 ad 3, 4 ad 2: triplus quadruplus. Superparticularis est, qui totum minorẽ continet, & aliquã eius partem, cuius hæ sunt species. Sesqualter, totum minorem cõplectens & alterã eius partẽ, ut 6 ad 4. Sesquitertius minorũ continẽs, eiusq; tertiam partem, ut 8 ad 6. Sesquiquartus, ut 5 ad 4. Sesquiquintus, ut 6 ad 5. Superpartiens dicitur, qui minorẽ continet, atq; eius aliquot partes, cuius genera Superpartiens minorem continens & duas eius partes, ut 5 ad 3. Supertripartiens, minorem complectẽs ac tres eius partes, ut 7 ad 4. 7 enim continet 4 & tres quadrantes. Superquadripartiens, ut 9 ad 5. Su

per=

perquintupartiens, ut 11 ad 6. Superſextupartiens, 13 ad 7. Multiplex ſuperparticularis, qui minorem plus quàm ſemel continet, & præterea aliquam eius partem. Duplus ſeſqualter, ut 5 ad 2. Duplus ſeſqui tertius, ut 8 ad 3 Duplus ſeſquiquartus, 9 ad 4. Tri= plus ſeſqualter, 7 ad 2. Triplus ſeſquitertius, 10 ad 3. Triplus ſeſquiquartus, 13 ad 4. Multiplex ſuperpar tiens, qui minorũ plus quàm ſemel cõprehendit, eiusq; aliquot partes. Duplus ſuperbipartiens, 8 ad 3. Du= plus ſupertripartiens, 11 ad 4. Triplus ſuperbipar tiens, 11 ad 3. Triplus ſupertripartiens, 15 ad 4. Nu merus ad geometricas figuras pertinens, aut eſt linea is, ut 2. 3. 4. .. .. , aut planus, aut ſoli dus. Plani ſunt trigonus ut ∴, tetragonus ⁘, pen tagonus ⁙ hexagonus ∴∴, heptagonus 7, octo gonus 8, ennagonus 9, decagonus 10, hendecago nus 11, dodecagonus 12. Solidi, cubus ut 8: & pyramides trigona ut 4, tetragona ut 5, pen tagona ut 6, hexagona ut 7, perfecta ut 30, & curta (ut uocant) 29, cui unitas ſiue uer = tex deeſt.

Pyramidum numeri hoc pacto digeruntur.



Omnis numerus utrinq; æqualiter distantiũ atq; simul iunctorum continet dimidium.



Altera Arithmetices pars est, quæ ad praxin siue operationem

operationem pertinet, de qua nunc loquemur. Additio duorum pluriuḿe numerorum collectio est. A dextra parte ad sinistram, atq; ab inferioribus ad superiores eundo colligendi omnes numeri, & collectus subscribendus 1.3.5 efficiunt 9:1.1.4,6:2.3.2,7: qui ponendi ordine istiusmodi.

2	4	5
3	1	3
2	1	1
7	6	9

Quòd si superauerit denarius, pro eo proximæ lineæ adponenda est, unitas: si uiginti, duo: si triginta, tria: sic de alijs articulis 2.3.5 decẽ efficiunt, subscribendum ergo 0.1.1.4 & unitas seruata 7.2.3.2 totidem. Summa collecta 7 7 0.

2	4	5
3	1	3
2	1	2
7	7	0

Subtractio est numeri à numero ablatio. A dextro latere sinistrum uersus inferior à superiori subducendus, subscribendumq; id quod superest. Duobus à sex subductis relinquuntur 4: 4 à 7, 3: 3 à 5, 2 superſunt 2 3 4.

5	7	6
3	4	2
2	3	4

Si ſuperior numerus minor fuerit inferiori, ſuperiori adijciendus denarius, & inferiori proximorũ unitas. 2 à 10 remanent 8: 5 à 7, 2: 3 à 5, totidem. Numerus relictus 228. Rurſus 2 ab 11 ſublatis, relinquentur 9: 5 à 7, 2: 3 à 5, 2. Subtractio additione confirmatur.

5	7	0
3	4	2
2	2	8

5	7	1
3	4	2
2	2	9

Multiplicatio dicitur unius numeri per alterũ geminatio. Hic quoq; à dextero latere eſt auſpicandum. Muliplicator eſt 3, multiplicandus 5 2 3. Ter tria faciunt 9, ſubſcribendus nouenarius: ter duo ſex: ter quinq; quindecim.

			3
	5	2	3
1	5	6	9

Si numerus multiplicans cõpoſitus fuerit, ſic agendum. Ter tria 9 efficiunt: ter duo ſex: ter quinque quindecim. Ternarius delendus. Tum bis tria, ſex faciunt, qui ſenarius ponendus ſub ſuperiori binario. Bis

duo

duo quatuor: bis quinq; decem. Numeris collectis per additionem proueniunt 1 2 0 2 9.

			2	3
		5	2	3
	1	5	6	9
1	0	4	6	
1	2	0	2	9

Diuisio multiplicationi opposita, est numeri cuiuspiam in partes aliquot partitio. In hac à leua ad dexteram progredimur. Numerus diuidendus est 1 2 9 6, diuidens uel diuisor 3. Quater tria sunt in 12, quaternarius igitur dextero lateri adponendus. Transferendus diuisor ad proximũ locum. Ter tria sunt in 9: tria ergo adiungenda quaternario. Deletis alijs numeris, ponendus diuisor sub senario. Bis 3 sunt in 6. Proueniunt 4 3 2.

1	2	9	6	4	3 2
	3	3	3		

Diuidendus numerus est 1 2 9 6: diuisor 52. Ponantur 5 sub binario, & 1 sub 9. Bis 5 sunt in 10: posito binario in latere dextero, delenda unitas & 5. Deinde bis unum, quæ altera pars diuisoris est,

auferatur à 9, supersunt 7 scribenda super 9 deleta. Iam transferendus diuisor, ponendúq; quinarius sub unitate deleta, & unitas sub senario. Quinquies quinq; sunt in uiginti septẽ: binarius scribendus supra septem deleta: deinde 5 adijcienda binario posito in dextro latere. Deniq; quinquies unum auferatur à senario, relinquenturq; 21, qui numerus amplius distribui nequit.



Regula proportionũ, quæ ad multa conducit, est eiusmodi. Quinquaginta tres uiri recipient uiginti tres aureos, quatuor solidos, & denarios undecim. Aureus contineat solidos uiginti: solidus denarios duodecim. Quæritur quantum habebunt illorum uigintiseptem. Numeri hoc ordine ponantur.

53 — 23 aureos, 4 solidos, 11 denarios,
27 — 11 aureos, 14 solidos, 5 denarios & 10/53

53 diuisor est: 23 multiplicanda per 27, prodeunt q;

untq; 621: quibus distributis per 53 reperiuntur aurei 11, scribendi è regione numeri 27. Ex hac diuisione 38 relinquuntur aurei multiplicandi in solidos 760: quibus adijciendi 4 alij solidi, eritq; numerus 764 diuidendus per 53. Inueniuntur 14 solidi aureis addendi. Ex diuisione relicti sunt 22 solidi multiplicandi per 12 denarios. Producto numero 264 adscribendi undecim denarij, prodeuntq; denarij 275 diuidendi per 53. Reperiuntur 5 denarij addendi solidis. Facta diuisione relicti sunt denarij decem adscribendi alijs denarijs supra diuisorem 53, eruntq; decem quinquagesimæ tertiæ partes unius denarij. Vigintiseptem igitur uiri habebunt undecim aureos, quatuordecim solidos, quinq; denarios, et decẽ partes unius denarij secti in portiões quinquaginta tre. Hæc de numeris integris. Partes partibus adduntur, si sint eiusdẽ denominatoris, colligendo numeratores ac denominatorem supponendo: ut $\frac{5}{3}$ $\frac{4}{3}$ $\frac{6}{3}$ quæ efficiunt $\frac{15}{3}$.

Si diuersi denominatores fuerint, per transuersum numeratores sic multiplicandi per denominatores. Colligendæ $\frac{5}{3}$ & $\frac{6}{7}$: multiplicentur 5 per 7 & produ

centur 35. Deinde 6 per 3, & proueniēt 18 Qui numeri collecti efficiūt 53, hic numerator erit. Tum multiplicētur 3 per 7, & prodibūt 21 denominator. Numerus itaq; collectus est $\frac{53}{21}$. Plures & diuersæ partes ut $\frac{5}{3}\ \frac{6}{7}\ \frac{8}{9}$ iungūtur hoc pacto. Colligantur $\frac{5}{3}\ \frac{6}{7}$ prouenientq; $\frac{53}{21}$. Deinde simili modo $\frac{53}{21}\ \frac{8}{9}$. A $\frac{7}{3}$ si subtrahas $\frac{5}{3}$ relinquentur $\frac{2}{\ }$. Si diuersi denominatores extiterint, ut $\frac{8}{12}$ à $\frac{7}{3}$, 3 multiplica 8 per 3 & producentur 24. Inde multiplica 12 per 7 & prouenient 84. Ablatis 24 ab 84, relinquentur 60, sub quo ter duodecim, siue 36 ponantur $\frac{60}{36}$. Multiplicantur $\frac{5}{3}$ per $\frac{4}{3}$, geminatis 5 per 4, $\frac{20}{3}$. Si geminandæ sint $\frac{4}{3}$ per $\frac{5}{6}$, multiplica 4 per 5, & prouenient 20, qui numerator erit: Deinde 3 per 6, prodibitq; 18 denominator. $\frac{20}{18}$. Diuiduntur $\frac{456}{3}$ per $\frac{35}{3}$ abstra-

henda

hendo 35 quoties id fieri pōt, à 456, & proueni ent 13 ac 1. Nunc de lineis & nummis dicamus.
3 35



Prima continet digitos, secunda decem efficit, tertia centum, quarta mille qui numerus appellatur chilias, quinta myriada, sexta decem myriadas, septima centum myriadas, octaua mille myriadas: ita deinceps denaria multiplicatione augendo summam. Spatia siue interualla dimidium continent lineæ superioris, uel inferioris quinarium. Primum ergo efficit quinq;, secundum quinquaginta, tertium quingenta, quartum quinq; chiliadas, quintum, totidem myriadas. Vnus seu plures nummi positi in secunda linea significant 2 o 5 in tertia centū, in quarta mille, quibus sic respondent numerorum characteres.

In hac



In hac ratione ſpatia iungenda lineis inferioribus.



Addere aut demere aliquid facile eſt. Si multiplicare quicq̃ libet, diuiſa tabula in partes duas, in leua numeros multiplicandos pone, eosq; transfer in dexteram paulatim deſcendendo. Geminãdos numerus 1152 per 10. Poſito digito ſuper quartam lineam, ipſa prima eſſe fingitur: quare nummũ in ea poſitum non mille ſed unitatem

IOACHIMI
FORTII RINGELBERGII
Andouerpiani Sphæra.

CONscripsimus breuiter aliquot de Sphæra præceptiões, quò facilius Institutiões nostras Astronomicas animi adhuc rudes capiant. Hic nihil omnino posuimus, quod uideri difficile queat primum auspicantibus. Siquidem pleriq; aiebant, libros treis, quos de mundo ædidimus, ab adolescentibus nõ percipi, nisi artis elementa aliunde didicissent.

DESCRIPTIO SPHAERAE

SPhæra, globus est mundi effigiem, circulosq; cõtinens. Ideò de Sphæra Græci, et Latini autores principio scribũt, quo inter omnia artis istius instrumẽta, nullum propius, aut apertius mundi naturam, formam, motum, circulos exprimat. Quanquam in sphæris non inueniuntur orbes Saturni, Iouis, Martis, Solis, Lunæ: tamẽ illi, si commode fieri queat, imponi etiã possunt. Nam quanto sphæra plures cõplectitur mundi parteis, tanto est perfectior. Sphæra duplex est. Recta, ubi polus uterq; horizonta contingit: & obliqua, in quà alter mundi polus altero sublimior est. Quæ sic depingi poterunt.

SPHAERA RECTA.



A C *horizon, finitor uel finiens est.* B *æquator & polus horizontis.* A *Australinus mundi polus:* C *arctous.*

SPHAERA OBLIQVA.



A E *horizon est.* B F *æquator.* C *polus horizontis, siue uertex capitis.* D *polus arcticus.*

Par

DE ORBIBVS.

PArtes sphæræ, siue mundi sunt præter quatuor elementa, orbis decimus, siue extremus, orbis nonus, orbis octauus, qui & firmamentum, & cœlũ nuncupatur: deinde orbes septẽ stellarũ errantiũ, seu planetarum, Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, Lunæ. Cæterũ æuo Aristotelis, Ciceronis, ac Plinij non plures quàm octo inuenti erant. Quorum supremus proprie dictus est cœlum, à cœlando, quod uarijs sit cœlatus rerum figuris. In eo sunt omnes stellæ, præter septem, quæ obliquo motu sub ipso feruntur. Sol terrã, terra Lunam magnitudine uincit. Solis magnitudinẽ defectus Lunæ indicant. Nam si minor esset quàm terra, umbra in tantam crescceret amplitudinẽ, ut singulis mensibus per quinq; aut sex dies Lunã occultaret. Quum igitur certum sit Solem esse maiorem terra, certum quoq; est incredibilem esse distantiam, quæ sidus facit tam paruum uideri. Rursus certum est maximum naturæ miraculum tantam esse posse celeritatem sideris, ut intra diei spatium uniuersum orbem lustret. Indidem alia admiratio existit, qua ratiõe cœlum, quod non minore interstitio à Sole quàm à terra Sol abest, intra tempus idem circumagatur. Decimus orbis quotidie ab exortu per meridiẽ in occasum decurrit, & circulum absoluit horis uiginti quatuor.

Hoc motu extremus orbis alios omneis interiores secũ quotidie circunducit. Proinde motus idẽm etiam motus mundi cognominatur, quod eo omnia circumagantur, præter quatuor elementa. Orbes interiores motũ habent obliquũ & contrarium huic, ab occidente, per Austrum in Orientem. Quem nõ ijsdem temporũ spatijs omnes absoluunt. Nonus nanq; orbis quadraginta nouem milium annorum intercapedine circuitum perficit: octauus septem milium: Saturni orbis, annis trecenis: Iouis duodecim: Martis binis: Solis, Veneris Mercurij singulis, Luna mense.

AXES ET POLI.

AXis est dimetiens, circũ quã orbis aliquis conuertitur. Licet in omnibus circulis demõstrari posit axis, tamẽtres solũ axes sunt, quibus in Astronomia utimur. Primus est axis mundi, qui est diameter mundi circũ quàm ipse decurrit. Huius duo fines dicũtur duo poli uel uertices mundi, quorũ alter nobis conspicuus à duabus arctis nominatur arcticus: alter huic oppositus sub terra latẽs antarcticus uel australis. Secundus est axis signiferi circũ quã signifer cõuertitur cuius poli à mundi polis uiginti tribus gradibus & quinquaginta minutis distant. Tertius est axis horizõtis cuius duo sunt poli, alter supra caput nostrũ, alter subpedibus nostris supra caput antichthonum.

DESCRIPTIONES ALIQVOT uocum, quibus & Geometræ & Astronomi utuntur.

QVatuor Geometriæ principia sunt: punctus, linea, superficies, corpus. Punctus magnitudinis principium est, quod in nullas diuidi parteis potest. Linea longitudo sine latitudine. Vel, ut Græcis utar uerbis: γραμμὴ δὲ μῆκος ἀπλατές. Duplex est recta & curua. Linea recta, à puncto ad punctum protractio breuissima est. Huius species sunt: Axis, linea circa quã orbis uertitur: & diametros, recta linea figurã qua longissime patet ex æquo secans. Superficies latitudo citra profunditatem est. Has formas treis complectitur: concauã, planam, conuexam. Vnde etiam specula in genera totidẽ diducuntur. Corpus latitudo cũ profunditate. Circulus forma plana est quæ una in orbem ambiente linea comprehenditur. Lineam circunductã, & ambitum circuli, et περιφέρειαν uulgo nominant. Circuli omnes importiones duodecim diuiduntur, quæ signa uocãtur. Signum deinde in triginta gradus. Gradus, in sexaginta minuta. Minutũ in sexaginta secũda. Secundũ in sexaginta tertia, Sic deinceps usq; ad decima. Item gradus alio nomine pars dicitur. Sic dicimus Solẽ esse in tertia parte Tauri, in quarta Leonis: id est, in tertio gradu Tauri, in

quarto gradu Leonis. Centrum circuli uel globi medium est. Orbis à globo differt, quòd hic ſolidus, ille cõcauus sit: huic una ſuperficies, illi duæ. Angulus est duarũ linearum mutuus contactus est. Triplex est angulus. Rectus, quãdo linea recta in rectam demiſſa, anguli utrinq; æquales ſunt. Acutus recto minor. Obtuſus recto maior, hoc modo:

Angulus rectus, acutus, obtuſus.



DE CIRCVLIS.

Circulorum ſphæræ duo ſunt genera. Maiores dicuntur, qui mundum ſecant in parteis æquales, uel quibus idẽ cum mundo est centrum. Minores, qui mundum non diuidunt in parteis æquas, uel quibus nõ idem centrum cum mundo est. Maiores ſeptem à Græcis traduntur: æquator, ſignifer, duo coluri, horizon, meridianus, lacteus. Aequator, aut æquinoctialis, est circulus, cuius partes omnes æquo ſpatio ab utroq; polo diſtant. Signifer, ſiue zodiacus est, uia ſeptem ſtellarum errantium, uel ſub quo ſeptem ſtellæ errantes ferũtur. Huius latitudo duodecim continet gradus, quia

tanta

tanta ferè planetarum à medio, siue à Solis semita euagatio est. Partes signiferi sunt duodecim signa: Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces. Ex his opposita, siue diametro distantia sunt: Aries & Libra: Taurus & Scorpio: Gemini & Sagittarius: Cancer & Capricornus: Leo & Aquarius: Virgo & Pisces. Quando Sol est in Arietis initio, æquinoctium uernum habemus. In Libræ, æquinoctiũ autumni. In Cancri solstitium, siue longissimum anni diem. In Capricorni, brumam, uel breuissimũ anni diem. Quum Sol mouetur sub Ariete, Tauro ac Geminis, nobis & omnibus, qui citra torridã zonam sunt uer est: quando sub Cancro, Leone, Virgine, æstas: sub Libra, Scorpione, Sagittario, autũnus: sub Capricorno, Aquario, Piscibus, hyems. Coluri, duo sunt circuli per mundi uertices ducti, quorum alter æquinoctia, alter brumam & solstitium contingit. Ita dicuntur, quod sint mutili, & & imperfecti. Quoniam partes austrino polo uicinæ, nobis nunquã exoriuntur. Tametsi signifer, æquator, ac tropicus uterq; nullo tẽpore toti appareant: paulatim tamen aliæ atq; aliæ partes sursum nituntur: sicut intra horas uiginti quatuor circuitus perficiatur. Horizon est circulus, qui conspectã mundi partẽ ab incõspecta dirimit. Latine finientẽ et finitorẽ nominamus

Hic obliquus dicitur, ubi alter polus est altero sublimior. Rectus ubi polus uterq; cernitur, ut sub æquatore. Meridianus est circulus, qui per mundi ac horizontis polos ducitur: in quo Sol medios dies, mediasq; noctes efficit. Hi duo circuli finitor & meridianus mundũ totum in parteis quatuor æquas dissecant. Lacteus circulus est, qui cœlo sereno solus cernitur. Quatuor circuli minores sunt: circulus arcticus, circulus antarcticus, tropicus æstiuus & tropicus brumalis. Circulus arcticus est, quem describit polus signiferi circa polum mundi arcticum. Circulus antarcticus, quem describit alter polus signiferi circa polũ mundi austrinũ. Tropicus æstiuus est, quẽ Sol describit ab oriẽte in occidentẽ solstitio, siue longißimo die æstatis. Tropicus brumalis aut hybernus, quem Sol describit bruma: id est, breuißimo anni die. Vterq; tropicus gradibus uiginti tribus & quinquaginta ferè minutis abest ab æquatore. Eodẽ interstitio circuli arctici à polis distãt. Circulos sphæræ omneis in formas duas diduximus, maiores ac minores. Eosdẽ alio modo in genera tria diuidunt: παραλλήλους siue æqui distãtes, obliquos, et per uertices ductos. Parallelli quinq; sũt: æquator, tropici duo & totidẽ arctici. Obliqui tres: signifer, horizon, lacteus. Per polos ducti, coluri duo, et meridianus. Parallelli sunt oẽs circuli, qui mundi describuntur, sed nõ omnibus uti-

bus utimur. Nulli in ſphæra circuli pinguntur, quorũ nõ ſit aliqui uſus, præter orbem lacteũ. Signifer enim uiã demonſtrat ſeptem ſtellarum errãtium. Aequator diſtinguit æquinoctia. Tropici extremas metas Solis cõprehendunt. Arctici zonas frigidas & periſcios. Coluri annũ & ſigniferum in quatuor partes diuidunt. Horizon & meridianus ad ortus ſignorum & ad Coſmographiã pertinent. Ea quæ de circulorum, axiũ, polorumq; ratione dicta ſunt apertius demonſtrabit pictura ſphæræ, quæ ſequitur.



Linea D L axis mundi uel ſperæ eſt. D Polus arcticus. L antarcticus, ſiue auſtrinus. C E circulus arcticus. B F tropicus Cancri, ſiue tropicus æſtiuus, uel tropicus ſolſtitialis, quæ tria idem ſunt. A G æquator, aut æquinoctialis. N H tropicus Capricorni ſiue tropicus hybernus, uel tropicus brumalis, quæ tria quoq; idem ſunt. B H zodiacus, uel ſignifer. M I circulus antarcticus.

IOACHIMI FORTII RINGELBERGII ANdouerpiani in tres libros Inſtitutionum Aſtronomicarum præfatio.

QVVM in ſtellarum cognitione, quæ ad aliarum artium perfectionem maximè neceſſaria eſt, non niſi barbaros quoſdam ſcriptores eſſe uideremus, tres libros de mundo ſiue de Inſtitutiõibus Aſtronomicis ædidimus. In quorum primo, de toto mundo, in ſecundo de partibus, in tertio de circulis loquimur. Ordine naturali orbes ante circulos poſuimus, quod dignitate quadam partes circulis præſtent. Scripſerunt quoque de aſtrorum natura docti uiri, ſed qui parum

rũ aut nihil profuerint iuuenibus. Plinius multa habet in libro secundo, uerũ ea pertinent solum ad summam artis, & non nisi à doctissimis percipi queunt. Cicero ad ea sæpe alludit, sed artem non docet. Manilius carmine quædam scripsit ad Augustũ Cæsarem, sed quæ nõ intelligas, nisi artem aliunde didiceris. Higinius penè nihil præter fabulas habet, & ita deprauatus est negligentia typographorũ, ut iam fermè perierit. Inter Græcos Proclus optime circulos docet, præterea nihil Aratus solum scribit de ortu & occasu stellarum in Græcia. Cæterum si quis artem didicerit, innumeros autores intelliget. Proclum de sphæra totum capiet: bonam partẽ Ciceronis, Plinij, Vergilij, Ouidij, Arati, Aristotelis, Ptolemæi, ac aliorũ omnium, qui uel Græce uel Latine aut alia lingua his de rebus quicquã prodiderunt. Non pauca uidi apud Germanos, Gallos, Italos, Hebræos, quæ multo sanè ad hæc discenda allicere possint. Nullas puto nationes esse in orbe, quæ non aliquid de cœlo, Sole, Luna & mari, quorum adeô mirabilem cursum quotidie uident, cupiant perdiscere. Doctissimi quique oratores & poëtæ nonnihil semper de stellis ornatus & uarietatis gratia suis operibus inserere conati sunt, quos hi nec intelligere, nec alijs prælegere possunt, qui paruum laborẽ fugientes ista ignorant: nec quum scribere quicquam uolunt,

audent

audent harum rerum mentionẽ ullam facere. Hi sunt qui tepidè laborãtes, in rebus quæ exornãt mentẽ, semper in ore hæc uerba habent, pluribus intentum minorem ad singula sensum esse. Qui si bene sibi consulere uelint, caueant bene ne sese nimio labore cõsumant etiã in rebus minimis, spretoq; decore immortalis animi se quãtur pocula, luxus, fabulas, hisce studijs transigũt æuum, & fallant tædium tẽporis mõstra hominum, qui non sunt digni hominis uocabulo. Pecudũ more nihil sequantur nisi pabulum & turpißimas libidines, huc omnia consilia referant, his duabus uoluptatibus inuigilent. Diem corporis alimento, noctem somno & Veneri dedant. Vtinam uerbis exprimere possem ea quæ animo ipso cogito, quantum splendoris, quantum lætitiæ hæc contemplatio mihi adferat, quantum ea mihi profuerit. Nihil me pertraxit ad altiora, nisi sola cœlestium rerum cognitio. Alios qui tantas res non capiunt, quorum cogitatio non latius uagatur, quàm in ædibus, ubi habitant, solũ mouẽt, quæ exigua sunt, illi magni faciunt humilia, & nescio quàm autoritatem cum summa grauitate captant uel apud unum puerum: me nihil huiusmodi res mouere possunt, has nihili facio, eas res uulgares aspernari didici, & lõge arcere ab animo meo. Non potest curare tam uilia, qui omni momento cœlum totum, oceanum totum, terram

terram mente comprehendit. Hæc magna me docuerunt contemnere parua, & aliquid magni quærendũ esse. Alij anxie scire desiderant quid agatur in proximis ædibus, & omnem uitam deterunt in augenda familia, in extruendis ædificijs, non uidentes quàm exiguam possideant partem terræ, quæ cum oceano toto non nisi centrum ac punctus mundi est. Alij literarum studiosi uanis gaudent colloquijs, & laudem apud paucos uenantur, & sui memoriam in illis reponunt qui breui cum ipsis laudibus perituri sint: me nihil delectat, nisi quod æternum est, nisi quod non unus aut alter, sed uniuersus orbis uideat, quod nulla uetustas delere possit, quod cum ætate augeatur, ea est stili laus, ad quam siderum cognitio mire conducit: excitat enim ad laborẽ, et uelut gemmis quibusdã orationem illustrat, quando uarietatis causa, quæ in omnibus rebus grata est, stellarum mentionẽ facimus. Qui parua semper ante oculos habent, parua solum imitantur, & omnia magna existimant, qua nihil maius uident. De cœlo nõ semel cogitant, oceani motus non mirantur, non perpendunt, quo modo una stella tam longe distans sic possit aquas ducere. Interdũ per horam unã, nunc Lunã & nubes, nunc Helicen, nunc Pleiades immoto corpore perspicio, nũc admiror cursum mundi, uentos, fulmina, tonitrua: nunc gemitus ædo, dotam

tam breue tempus datũ esse homini: tandem cogitans ante mortem etiam aliquid mihi agendum esse posteritatis memoria dignum, aliquid efficiendum esse, quo significare posßim futuris seculis aliquando me uixisse cum incredibili impetu ruo in labores. Sic cœlum excitat mentem meam, nec id solum quum sub Ioue ipsum intueor, sed etiam quum uel alios doceo naturã mundi, uel quum in cubiculo cogitabundus deambulo. Hoc dulci gaudio utinam per fata diu frui liceret. Multi forsitan iisdem studijs sunt dediti, qui tantum gaudium non sentiunt, sed fortasse cœli motus & pulchritudo non similiter illis impressa est ac mihi, qui eam semper in pectore seruo, qui per multos annos in ijs rebus uersatus sum. Id ueré possum dicere me hanc artem plus centies & quinquagies docuisse, nec eam dimittam quoad uiuam.

QVID INTER ASTRONOmiam Astrologiamq; intersit.

MVndi naturã motumq; tractaturus uelat è cælo terrã aspiciens optimo iure admirari uideor, quid in tam exigua sphæra describendũ cæteri inuenerint. Plinius formicas extollit, memoratq; uermium industriam. Maro apes traditurus, duces strenuos pollicetur, præmia, mores gentium populorumq;. Tanquam magni aliquid in eo sit, quod antiquitas omnis

punctum

punctum ac centrũ nuncupauit. Hic cœli uastitas aperitur. Hic ex lustrabimus, quibus maius nihil excogitari queat. Hic contemptis terreni puncti angustijs, per aëra spatiosum, inter aureos soles, mutabilesq; lunas, ac lucida sidera mira animorum dulcedine uagabimur. Quem ista non mouent, hunc stupidum uoco, indignum uita, ignauam molem, nihil differentem à cæteris animantibus. Existimauere nonnulli haud sanæ esse mentis uel semel animo hæc agitare. Verum hanc audaciam, tantarumq; contextum rerum fortuna adiuuabit. Quò igitur à nominum ratione exordiar, inter Astrologiam Astronomiamq; id interest: quod hæc scrutetur stellarum situm, ortum, occasum, defectiones, stationes & progressus: illa ex his omnibus res futuras præuideat. Vt quod Cicero neminem cum Sirio ortum aqua interiturum ait, ad Astrologiæ conjectationem pertinet. Eodem spectant, quæ circa libri primi finem Lucanus præscripsit, unde armorum rabies colligitur. Vt Plin. li. 2. cap. 1

DE SPHAERA.

QVia plerique artis initio de sphæra scribere consueuerunt, hic quoq; de ipsa nonnihil dicam: inde solum traditurus, quæ ad mundi intellectum pertinent. Ea tamen omnia, ad sphæram referri potest, est enim orbis effigies. Sphæra, globus est mundi

effigiem

effigiem circulosq; continens. Quod Theodosij finitio, qua autor bene, nostri male usi sunt, haud exprimit. Nam quũ descriptio id explicare proprie debet, de quo agitur, ea de mundi, circulorum, signorúmue natura planè nihil habet: sed duntaxat sphæram corpus esse solidum, cuius omnes in circuitu partes æquis à medio uel centro spacijs absistant. Istiusmodi finitio cuiusq; globi uel pilæ est: non huius organi, in quo stellæ, orbes, ac circuli pinguntur. Hanc nostri operibus suis passim præfigunt commendantq;, quũ tamen postea sphæram gemina diuisione distinguant in rectam & obliquam: in orbes lunæ, Mercurij, Veneris, Solis Martis, Iouis, quæ omnibus sphæris non congruunt. Dubitare solet uulgus num etiam errantes stellas aliquas in sphæra oporteat collocare: equidem optimam puto, quæ quàm plurimas orbis partes complectitur, eius nanq;, ut diximus simulacrum est. Archimedes uitream habebat, ubi sponte sol & luna in plagas duerſas ferebantur. De qua Claudiani uersus:

Iuppiter in paruo cum cerneret æthera uitro,
Risit, & ad superos talia dicta dedit:
Huccine mortalis progressa potentia curæ,
Iam meus in fragili luditur orbe labor.
Iura poli, rerumq; fidem, legesq; deorum,
Ecce Syracusius transtulit arte senex.

Inclusus

Inclusus uarijs famulatur spiritus astris,
Et uiuum certis motibus urget opus.
Percurrit proprium mentitus signifer annum,
Et simulata nouo Cynthia mense redit.
Iamq; suum uoluens audax industria mundum
Gaudet, & humana sidera mente regit.

Sphæra duplex est. Recta, ubi polus uterq; horizonta contingit. Vt in tractu longo Aphricæ ac Asiæ, nusquàm in Europa. Obliqua, in qua alter altero sublimior est: quemadmodum apud Hispanos, Græcos, Scythas: breuiter apud omnes, qui ultra citraq; æquinoctium habitant. Nomen sumptum est ab obliquo incessu siderum. Sol enim oblique per ăera fertur ab exortu in occasum, et Tauri sidus obliquo meatu per plagam austrinam decurrit. Eadem ratio reliquarũ cœli partium. Vel, quo aliter eadem hæc describam, mundũ habere dicuntur rectum, ubi æquinoctialis ita diuidit finitorem, ut quaterni anguli recti atq; æquales efficiantur. Obliquum, quibus æquator finientem ad angulos acutos obtusosq; uel inæqualeis dissecat. Vt speram, ita & orbem, & mundum, & horizonta, & finitorem, & finientem, seu terminum uisus rectum & obliquum appellamus. Sic Hispanos in orbe obliquo esse dicimus, finitorem aut mundum obliquum habere.

DE MVNDI AETERNITATE

de formarum mutatione, an plures mundi sint, quæ mundi sit forma, & quo differant ideæ notiones, imagines.

MVndum, cui à perfecta elegantia nomen dederunt Græci nostriq;, quiq; circuitu suo se & cuncta complectitur, alij dixerunt æternum esse, nunq; initium habuisse, neq; unquam habiturum finem. Alij conditum principio temporis. Alij orta omnia putant ex congerie quadã confusa, quam ab hiando nominãt chaos. Id uocabatur quædam rerum omniũ sine forma ulla confusio, à Physicis materia prima. Fingunt nanq; & cœlum & terram mixta fuisse, atq; ex illis separatis generatas esse, arbores, uolucres, feras, ac mortalium genus. De hoc Ouidius:

Ante mare & terras, & quod tegit omnia cœlum.
Vnus erat toto naturæ uultus in orbe,
Quem dixere chaos rudis indigestaq; moles.

Hanc congeriem discussam esse dissipatamq; à Clementia Claudianus tradit. Eius uerba hæc:

Principio magni custos Clementia mundi,
Quæ Iouis incoluit zonam, quæ temperat æthram
Frigoris & flammæ mediam, quæ maxima natu
Cœlicolum, nam prima chaos Clementia soluit
Congeriem miserata rudem, uultuq; sereno

Discussis

Discußis tenebris in lucem secula fudit.

In mundo nihil interit, nihil exoritur, tantum rerum mutatur facies: ut in cera quæ alba in uiridem, uiridis in nigram trãsit, cui aliæ atq; aliæ imprimuntur effigies. Eiusmodi & Ouidij sententia est:

Nec species sua cuiq; manet, rerumq́; nouatrix
Ex alijs alias reparat natura figuras.
Nec perit in toto quicquam mihi credite mundo,
Sed uariat, faciemq́; nouat. Nasciq́; uocatur
Incipere esse aliud quàm quod fuit ante. Moriq́;
Desinere illud idem.

Eadem opinio Heracliti, quam Plato uerbis his in Cratylo refert: λέγει που ἡράκλειτος, ὅτι πάντα χωρεῖ, καὶ οὐδὲν μένει. Καὶ ποταμοῦ ῥοῇ ἀπεικαζωντὰ ὄντα, λέγει, ὡς δὶς ἐς τὸν αὐτὸν ποταμὸν οὐκ ἂν ἐμβαίης. Memorat Heraclitus, inquit, transire omnia, neq; quicquam permanere: fluuiorumq́; fluctibus rerum uicißitudinem comparans ait neminem flumen idem ingredi bis posse, quod aßidue prætereat. Idcirco mundum Plinius ait rerum omniũ certum esse, & similem incerto. Hinc admiratio non parua proficiscitur. Quippe si animo concipiamus, quot ab exordio mundi homines extiterint: quot interierint pace, bello, peste, fateri debebimus uix ullã esse particulam terræ, lignorum, herbarum, frugum,

quæ non crebrò fuerit pars humani corporis. Adeò ut mirum uideatur, qua nam ratione, quando corpora reuiuiscent, quisque sua habere poterit membra: quum res eadem, quæ tunc fortasse lignũ erit aut herba, unius hominis fuerit auris, alterius oculus, tertij cor, quarti cerebrum siue pulmones. Veruntamẽ hæc naturalis ratio, quæ diuina ui semper est inferior. Democritus innumerabiles esse mũdos existimabat quasi pilas alios extra alios. Anaxarchus discipulus, quum regi Alexãdro id referret orbes esse innumeros, Heu inquit, me miserũ, qui ne uno quidẽ potitus sum. Hoc male habebat generosum hominis animum, quod tãto labore, ne unius quidem mundi imperium esset consequutus. Nunc cuiusmodi orbis forma sit, dicemus: qdq; interfit inter ideas uel exemplaria, notiones, ac imagines seu formas. Mundum habere globi figuram imprimis uocabuli significatio docet: orbem enim nominant. Præter eam, quod forma hæc perfectißima sit, principio & fine carẽs. Deinde quod capacißima sit. Postremo, quod alioqui cõuerti nõ posset. Causis igitur quatuor eius figuram demonstramus: uocabulo, perfectione, capacitate, ac motu. Quod orbis dicatur, et absolutißima forma sit, quæ principio fineq; careat: quod maxime sit capax, & alio pacto in diuersis plagas uolui non posßit. Quintã causam adijcere licet, quod parte

quæ-

quacunq; medius cernatur. Oua enim resq; aliæ medium dunta:at inter fines habent:orbis figura, quæ ijs caret,in quauis parte. Mundi forma ac pulchritudo in deo & animis lucet expreßior. In illis effigies elementorum, lapidũ,arborũ,animaliũ. Saturni,solis,lunæ, & siderum reliquorum. Quæ rerum ſpecies in deo, ideæ & exemplaria:in animis rationes & notiones:in orbis materia,formæ atq; imagines à Platonicis nominantur. Claræ quidem in orbe ſiue rebus: clariores in animo (quis enim cognitionem lapidis lapidi præſtare negauerit?) in Dei mente clariſimæ.

DE CONCENTV MVNDI, & nouem Muſis.

QVemadmodũ ab aëre uirga percuſſo ſtrepitus quidã audiri ſolet:ita ex uelociſſimo ſingularum orbis partiũ curſu,ſingulos ædi cõcentus uel ſonitus antiquitas putauit,quas muſas appellamus. Sunt igitur muſæ cõcentus,qui æduntur à circumactu ſiderum. Veteres tamen ex orbibus octo nouem finxerunt deas,quæ eius rei cauſa ſit aperiã. Tradidere ex horum circulorum motu nonum quendã alium concentum:qui ex reliquis cõſtaret,effici:ſicut apud nos pueris octo canentibus, ubi præter ſingulorum uoces nouum quendã concentũ ex omnibus habemus. Heſiodus Muſarum ordinem uerſibus tribus complectitur.

Κλειώ τ' ὀὐτέρπητε θάλειάτε μελπομένητε,
Τερψιχόρητ' ἐρατώτε πολυμνιάτ' οὐρανίητε
Καλλιόπηθ' ἥδ' ἐπιφερεσάτη ἐδ' ἀπασάων.

Prima ob rerum gestarum quas canit, & gloriam & celebritatem Clio nuncupatur. Secunda ab oblectãdo, Euterpe. Tertia θάλεια, uel à lasciuia cantus, uel à uirendo germinandoq;, quod Veneris natura, Plinio autore, cuncta in terris generẽtur. Quarta Melpomene à canendo dicta. Quinta Terpsichore à delectandis choreis. Sexta Erato, uel ab amoribus canendis, uel quod Iouis sidus benignũ ac salutare sit. Ouidius amatoriũ appellat. Vilis, inquit, amatoriæ uilis mihi cõdãda Clio. Septima Polymnia ab hymnorũ multitudine, Octaua οὐρανία, à firmamenti uel cœli uertigine. Hic Latini scriptores nonnulli hallucinantur, qui hanc secundam aut tertiam esse existimant, quum cœlum semper octauum sit, supraq; orbem Saturni. Nonam à uocis suauitate atque dulcedine Calliopen dixere, ὡς καλλιὼ ὄπτε, Κλειὸς concentum Lunæ cursus efficiunt. Vnde Ouidius eam in uersu, quem modo adscripsimus à sideris colore candidam nominat. Euterpen Mercurij, Thalian Veneris, Melpomenen solis, Terpsicoren Martis, Erato Iouis, Saturni Polymniã, Vraniam cœli. Qui ex omnibus ijs constat, Calliope est. Hæc numine suo Orpheum uatem afflauit, Musæũ

Vrania

Vrania, Homerum Clio, Polymnia Pindarum, Erato Sappho, Melpomene Thamyram, Terpsichore Hesiodum, Thaleia Maronem, Nasonem Euterpe. Sunt & communia quædam musarum uocabula. Camœnæ nuncupantur quasi canentes amœnè. Heliconiades, ab Helicone βοιωτίας monte. Parnasides, à monte Parnaso. Aonides, ab Aonijs montibus Bœotiæ. Cytheriades, à Cythero monte uel saltu. Pierides, à Pieria Bœotiæ monte, ubi ex Ioue & Mnemosyne natæ sunt. Pegasides, à fonte, quem Pegasus ungulæ ictu aperuit, unde itidem Hippocrenæ et Aganippides appellãtur. Thespiades, à Thespijs oppido Bœotiæ. Libethrides à Magnesiæ fonte musis sacro. Pimpleiades, à fonte uel uico Macedoniæ. Castalides, à fonte Parnasi Castalio. Theocritus: Νύμφαι καςάλιδες πρνάσιον αἶπος ἔχοισαι. Mnemosynides, à matre Mnemosyne. Quam ideò musarum parentem uocant, quòd eruditio sine memoriæ ui cõparari nequeat. Olympiades, à monte Macedoniæ Olympo. Hæc de musis. Ratio triplex redditur, quamobrem mundi sonitum auditu nõ percipiamus. Prima, quod tanta eius magnitudo sit, ut aurium angustiæ non capiãt. Quemadmodum gentes quæ Nili καταράκτας siue καταδοῦπα accolunt, sensu audiendi propter sonitus magnitudinem carent. Secunda causa est, concentus suauitas incredibilis,

qua auriũ ſenſus ſopitus eſt. Tertia, quòd à natali die adſuefacti ſimus, ac ideò non audiamus. Sicut enim in ædibus horologia principio uicinos turbare ſolent, poſtea uix exaudiri: ita conſuetudine perpetua ſentiendi uim extingui putant.

DE MVNDI PRINCIPIIS, mundum pendentem uolui in ſe, & quot eius ætates ſint.

NVnc mundi rerumq; principia, propter aſſiduam de illis quæſtionem oſtendemus. Turpe ea neſcire eſt, quæ paſſim uel pueris obuia ſunt. Principia ipſius eſſe dixerunt: Pythagoras, numeros: Epicurus, atomos: Diodorus amere, in quibus partes nõ ſũt: Aſclepiades oncos tumores: Geometræ fines: Democritus ideas: Thales aquã: Parmenides terrã: Zenon Empedocles et Plato, ignem, aëra, aquam, terram. Ariſtotelici duo duntaxat memoriæ prodiderunt, materiam ac formam: quæ ſententia ſola in ſcholis probatur. Duæ ſunt elemẽta & principia, quod hæc informia ſint, et non corrumpantur: illa formata & corrumpantur: hæc duo, illa quaterna ſint. Mundum pendentem uolui in ſeſe haud dubium eſt: licet opiniones uarias poëtarũ turba recẽſeat. Quid etenim molem tam uaſtam poſſit comprehendere? Homerus, cui fingere iſtæc facile fuit Atlantem habuiſſe columnas ait, quibus cœlum terramq;

ramq; sustineret. Huius uersus ex ὀδυσσείας principio adscribam.

ἄτλαντος θυγάτηρ ὁλοόφρονος, ὅστε θάλασσης
Πάσης βένθεα οἶδεν, ἔχει δέ τε κίονας αὐτὸς
Μακρὰς, αἱ γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἐμφὶς ἔχουσι.

Idem de Hercule tradunt. Credo excogitatum ob eximiã animorum in uiris illis fortitudinem, qua cæteris mortalium antecellebant. Remotis igitur fabulis mundum pendentẽ uerti in se, neq; Atlantis columnis figi, neq; Herculis humeris contineri adfirmabimus. Quæ tamen de illis retuli, perdiscenda, ut poëtas capere queamus. Quidam extra mundum uacuum esse, perq; id mundũ sustineri putant, nihil habentẽ ubi poßit consistere. Aetates eius sex tradũtur. Prima à parẽte primo usq; ad Noã nauigi, memorabilis aduersus aquarum uim fabricatorẽ. Berosus autor est tempore illo gigantes in Asiæ finibus immani fuisse corpore, qui cõtẽptis & dijs & hominibus proxima quæque deuastabant, inter quos Noa erat cæteris tum iustior, tum humanior, & futurum exitium præuidens. Secunda ad Abrahamum, à quo pueros circuncidendi mos habuit initium. Is enim primus & sibi & familiæ eodem, quo deus id præcepisset, die ἀκροβυστίαν præsiderat. Tertia ad Dauid regẽ primum: siquidẽ antea iudices solam, & prophetas habebant. Quarta ad Iudæ in

Babyloniam commigrationem. Quinta ad Christi aduentũ. Sexta, quæ nunc agitur, ad mundi finem. Poëtæ uerò ex mortalium uita multiformi ætates finxere quatuor, easq; metallis comparârunt. Primam auream nominabant, quod moribus optimis Saturni seculi homines floruerint. Secundam argenteam, quoniam sub Ioue ad uitia inclinare cœperunt. Tertiam æream, quam bella occuparũt. Quartam ferream, quod in ea à nullo crudelitatis genere mortales abstinuerint. Has descripserũt, in Agricultura Vergilius, Ouidius primo de mutatione formarum uolumine, & Aratus in phænomenis. Aetatem utrobiq; quendam inter duas insignes rerum mutationes, & quasi commotiones peregrinas mundi statum nuncupârunt.

QVAE MVNDI PARTES dextræ ac sinistræ uocentur.

IN tota siderum contemplatione nihil esse conducibilius arbitror, quàm id, quod nunc absoluemus, quæ mundi partes dextræ ac sinistræ nuncupentur, quæ distinctio nusquam ante tradita est, quod equidem sciam. Hac in re tripex autorum sententia est. Quippe astronomi partem mundi eoam sinistram, occiduam dexteram uocant. Plinius de mũdo in occasum current: Semper illi in dexteram præcipiti. Geographi cõtra orientem exterum appellant, occidentem sinistrum. Poetæ

uerò totum hemisphærium ab æquatore ad aquilonem nominant dextrum, alterum sinistrum. Proinde Lucanus Arabum, qui auxilio uenerunt Pompeio, umbras australinas in arctoas siue nostras repente mutatas esse memorat: Ignotũ uobis Arabes uenistis in orbem, Vmbras mirari nemorum non ire sinistras. Hos enim prius quàm egressi erant torridam zonam, umbræ sequebantur, post egressum præcedebant. Maro de zonis: Quam circum extremæ dextra leuaq; trahuntur Cœrulea glacie concretæ atq; imbribus atris. Et Ouidius: Vtq; duæ dextra cœlum totidemq; sinistra, Parte secant zonæ quinta est ardentior illis. Quò rem expeditius memoria teneas, finge pectus uertere Astronomos ad meridiem, ubi uelocissimus siderum cursus est, nam circa polum uix stellæ mouentur: Geographos ad polum, cuius altitudinem quærunt: poetas ad occasum. Tum facile cernas, quo cuiusq; dextera ac leua tendat.

IOACHIMI FORTII RINGELBERGII Andouerpiani Institutionum Astronomicarum Liber secundus.

DE PARTIBVS MVNDI.

HActenus sphæræ mundiq; totius faciẽ ostendimus, sine ulla partiũ distinctione. De his in præsentia differemus, et quæ sint, & in quas ferantur oras, et quanto temporis spatio circumagantur. Partes mũdi decem orbes ac elemẽta quatuor sunt. Verum antiquitas tãtum octo esse arbitrabatur, ut ex Ciceroĩs secundo de diuinatione libro colligimus, ubi hæc sunt uerba. Docet ratio Mathematicorum, quãta humilitate luna feratur terram penè contingens, quantũ absit à proxima Mercurij stella, multo autem longius à Veneris: deinde alio interuallo distat à sole, cuius lumine collustrari putatur. Reliqua uerò tria interualla, infinita & immensa: à sole ad Martis, inde ad Iouis, ab eo ad Saturni stellam: inde ad cœlum ipsum, quod extremum atq; ultimum mundi est. Hic uides unum tantum cœlum esse, & quàm loquantur apte, qui Saturni aut

Iouis

Iouis aëra cœlũ appellãt, et Arati interpres ſic partes eaſdem refert: Εχει γὰρ ὁ ὀυρανὸς ἑπτὰ ζώνας ὀυκ ὠλιψαυόσας τοῦ ζωδιακῶ, ὧν τὴν μὲν πρώτην ἔχει ὁ κρόνος. τὴν δὲ δεὐτέραν, ὁ ζεὺς. τὴν δὲ τρίτην ὁ ἄρης. τὴν δὲ τετάρτην ὁ ἥλιος. τὴν δὲ πέμπτην, ἡ ἀφροδίτη. τὴν δὲ ἕκτην, ὁ ἑρμῆς τὴν δὲ ἑβδόμην ἡ σελήνη. ὁ μὲν δὴ ζωδιακὸς κύκλος ἀνώτερός ἐστι πάντων. Poſt Ciceronẽ orbes alij duo reperti ſunt, hoc modo. Viderunt longo temporis ſpatio, ac frequenti ſtellarũ reditu, alijs eas motibus ferri, atq; annis centenis ſidera inceſſu obliquo ab occaſu in exortum ſingulas ferè peragrare parteis. Deinde ſigna quoq; eadem ab auſtro in aquilonem meare, ac rurſus in auſtrum digredi. Collegerunt itaq; duos alios ſtellarum eſſe motus, ac orbes totidem, quando ſinguli orbes ſingulos ſolum meatus habere proprios poſſunt. Eosq́; eſſe ſupra firmamenti locũ, non infra, ijdem tradidere. Quoniã ſtellæ ab illis circumagi non poſſent, niſi illi ampliore ſpatio eas cõplecterentur. Sunt qui mundum in partes quinq; diſtribuant, terram, aquam, aëra, ignem æthereum & cœleſtem: poſteriorem ignem rurſus in erraticum & non erraticum. Alij inter quaterna elementa mundum diuidunt. Quorum primus ordo terram, aquam, aëra, ignem continet. Secundus lunam, quæ à Phyſicis ætherea

terra

terra dicitur, Mercurium, Venerem, Solem. Tertius firmamentum, quod à firmitate terræ simile uidetur, Saturnum, Iouem, & Martem.

DE DECIMO ORBE.

DEcimus extremusq; orbis ab exortu in occasũ ruit, cursũq; peragit horis quatuor & uiginti. Eo impetu lunæ solis, Martis, Saturni, cœliq; sidera intra diei noctisq; spatiũ circumaguntur. Causa eadẽ lunæ globum, lunaq; oceanũ immensam aquarũ uim quotidie circum terram rapit. Axis huius dimetiens est, circum quam ipse uel mundus uoluitur. Proclus ἄξονα τοῦ κόσμου εἶναι τὴν διάμετρον αὐτοῦ, περὶ ἣν σφέρεται. Distare axem & diametrũ constat, quod linea quæuis per orbis medium ducta dimetiens sit: axis solum, circum quam uertitur. Eo ueteres finxerunt cœlũ terramq; cõtineri. Inde Cicero ait: Terra, quæ transfecto axe sustinetur. Prudentius: Et scissus axis cardinem mundi ruentis soluerit. Idem quoq; Lucanus sentit, ubi fore sedem Cæsari accommodam demonstrat, inter æstum austrinum & rigorem Aquilonis. Aetheris, immensi, inquit, partem si presseris unam, Sentiet axis onus. Maiores ut in sphæris quas nos conficimus, ita in mundo axem partes omneis cõnectere prodiderunt. Polum proprie in ambitu globi uocamus punctũ, qui æquo spatio ab omnibus circuli partibus, cuius

polus

polus dicitur, distat. Differt à centro, quod id in globi medio est, polus in circuitu. Hoc modo significri uerticem, punctũ in cœli circumflexu esse dicimus, paribus undiq; interuallis ab orbe eo absistẽs. Et qui mundi polus est, eundem & æquatoris esse, tropicorũ, arcticorumq; orbium. Polis à πολέω, uel uertendo inditũ nomen est, quod circum illos mundi structura uertatur. Eadem ratione Vergilius nuncupauit uertices: Hic, inquit, uertex nobis semper sublimis, at illum sub pedibus Styx atra uidet, manesq; profundi, hoc est, antichthones, quos è cœlo nostro uelut in profundo aëre habitantes aspicere uidemur. Mundi uertices duo sunt, arcticus & austrinus, siue quod alteri oppositus sit, antarcticus. Dicti ab Arctis, quæ circa hunc nostrũ polũ feruntur, unde et nos quoq; gentes arctoæ dicimur. Alter austrinus uocitatus, quod in regione sit, unde Auster uel Notus spirat. Alij significri sunt ab his distantes propè uicenis quaternis partibus. Hoc loco naturæ uis immensa apparet. Quippe nulla admirabilior species, nulla pulchrior, quàm quod fabrica mundi circumetas semper easdem decurrat, quum nullũ usquam ferrum firmarit, quod polus fulciat, cõtineatúe motum

DE NONO ORBE.

NOnus orbis duos habet motus, alterũ cõmunem cum decimo; alterum ab occidente in orientem

qui

qui quadraginta nouem milium annorum spatio perficitur. Huius axis mundi axem medium secat, & polis mundi distant uiginti tribus partibus minutisq; quinquaginta. Inter axium fines periscij & zonæ frigidæ sunt.

DE COELO.

FIrmamentũ orbis octauus est, in quo omnes quas cernimus stellæ, præter septem errantes continentur. Veteres hunc esse extremũ putabãt, solumq; perpetuo cursu ab ortu in occasum ferri, atq; ideo à firmitate & constantia motus firmamentũ uocauerunt. Cœlum maiores à cælando dixerunt, quod uarijs sit celatum rerũ figuris. Quinetiam nonnulli existimauerunt orbium attritu assiduo particulas quasdam, & rerum omnium semina decidere: è quibus plerunq; in descensu confusis, monstra ac prodigiosæ animantium formæ nascantur. Aut à concauitate, κοιλὸν enim Græcis concauum est. Porrò cœli uox res duas signat. Crebrius octauum orbem, in quo fixæ stellæ sunt. Sic Cicero ait: A Saturno ad cœlum ipsum, quod extremũ atq; ultimum mundi est. Nonnunquam aëra: hoc pacto & uolucres cœli, & serenũ cœlũ dicimus. Plinius: Nanq; & hoc cœlum appellauere maiores quod alio nomine aëra, omne quod inani simile uitalem hunc spiritũ fundit. Diogenes Laërtius cœlũ ait σφαῖραν uolubilem esse,

esse, & tectum immensum. Id tres habet motus, primum ab oriente in occidentem, secundum à nono orbe ab occasu in ortum, tertium proprium, quem accessus recessusq; motum, aut trepidationis nuncupant. Hic ab æquinoctiorum notis in orbe octauo, circum æquinoctia noni fit. Dimetiens circuli parui, quem æquinoctiorum interualla describunt, partium ferè nouē est minor signiferi latitudine, quæ duodenas continet. Circuitus iste stellas ab austro in aquilonem, atq; à septentrionibus in meridiem pertrahit. Motus primus uicenis quaternis horis perficitur: secundus annorū quadraginta nouem milium spatio: tertius septem miliū. Tametsi hic cœlum depingitur, de signifero tamen nihil, nisi inter circulos scripturus sum.

SIDERVM FIXORVM DEscriptio.

QVatuor stellarum genera sunt. Fixæ quæ in cœlo hærent, ita dictæ quod semper seruent eandem inter se distantiam. Hæ à Græcis nuncupantur ἀπλανεῖς. Arati interpres: οἱ ἀπλανεῖς ὁμοίως ἕλκονται. Iterum: οἱ δὲ ἄλλοι πέντε πλάνητες αὐτὰ μεμιγμένως δινέυοντες, οὐκ ὄντες ὅμοιοι τοῖς προτέροις ἀπλανέσι. Eraticæ sunt septem stellæ, quæ sub cœlo feruntur. Deciduæ sunt, quas nocte uidemus decidere, quum per nubem incensam flamma

discurrit. Crinitæ stellæ sunt incendia magna hærentia in aëre, quas Græci à coma cometas uocant. Stellas fixas nonnulli in arctoas, signiferi, atq; austrinas diuidunt, sed hi plures, quàm huius instituti est, enumerãt. Proinde hic fructum magis, quàm multitudinem spectare uolumus: eaq; solum tradere, quæ in Poëtarũ libris nusquam non sunt obuia. Naturæ ductu ab aquilone in Austrũ progrediemur. Helice maior ursa est: Cynosura minor, quæ in multis Europæ partibus non occidunt. Maiorem Græci in mari obseruant, quod stellas habeat insigniores: Phœnices minorem, quoniam ipsa propior polo sit, minusq; moueatur. Quod ita Aratus prodidit:

Οἱ τὼ μὲν, κυνόσουραν ἐπίκλησιν καλέουσι,
τὼ δ' ἑτέρω ἑλίκην, ἑλίκη γε μὴν ἄνδρες ἀχαιοὶ
Εἰν ἁλὶ τεκμαίρονθ' ἵνα χρὴ νῆας ἀγινέμεν.
Τῇ δ' ἄρα φοίνικες πίσσω οἱ πρόσσω θάλασσαν

Ea de causa Homerus Græcis inde nomen dedit, cuius hæc uerba in primo Iliadas libro: τὼ μὲν γὰρ σὺν νηὶ θοῇ ἑλίκωπες ἀχαιοὶ ἐς χρύσην πέμπουσιν.

Septẽtriões Septentriones stellæ septem sunt in Helice siue Cynosura. Vnde Vergilius: arcturũ, Pleiadasq;, Hyadas, geminosq; Triones. Et Vitruuius: Quæ stella elucet circum caput maioris Septentrionis. Sæpius id nomẽ Helicæ soli, ob sideris magnitudinem tribuitur. Plinius:

Booten

Booten, qui sequitur Septentriones. Hos uulgus etiam Plaustrũ ab equorũ, rotarumq; specie nominat. Stellã extremã, quæ in Cynosuræ cauda est, nautæ polũ nun cupant, quod proxima sit axi. Abest tamẽ à uertice ue rò quatuor propè partibus, sic ut axis cũ termino cau dæ efficiat triangulum. Bootes sidus est, quod Helicen siue maiorẽ ursam sequitur. Alio nomine Arctophy lax dictus, et custos Erimãthidos ursæ. Arcturus stella magna inter Bootæ pedes est. Hanc ursæ caudã dixe ris, unde & uocis ratio sumpta. Vergilius: Sub ipsum Arcturũ tenui sat erit suspẽdere sulco, hoc est, sub Ar cturi exortum matutinum. Lucidum sidus leuo Henio chi humero insidẽs Capra nuncupatur Olenia, ab Ole no Arcadiæ urbe, ubi ipsam esse nutritã arbitrantur. Ouidius: Nascitur Oleniæ signũ pluuiale Capellæ. Hæ di duæ stellæ in Aurigæ, uel Erichthonij manu sini stra sũt, de quorũ exortu pleriq; scripsere. Circa Cyc nũ alatus equus, quẽ Pegasum uocãt. Hunc Ouidius è sanguine, qui ab exciso Medusæ capite defluxit, geni tũ esse ait, in Fastis. Creditur hic cæsæ grauido cerui ce Medusæ Sãguine respersis profiluisse comis. Eũdẽ et uolucrẽ fuisse idẽ testatur: Huic supra nubes et sub ter sidera lapso Cœlũ pro terra, pro pede pẽna fuit. Ipsumq; inter sidera relatũ esse refert: Iãq; indignãti noua frena receperat ore, Quũ leuis Aonias ungula

Plaustrum

Polus.

Bootes.

Arcturus.

Hœdi.

Pegasus.

fecit aquas. Nunc fruitur cœlo quod pennis ante petebat, Et nitidis stellis quinq; decemq; micat. Pleiades, stellæ septem in dorso Tauri, septimam tamen uix cernimus. De his Germanicus Cæsar in Arati interpretatione: Septẽ traduntur numero, sed carpitur una Deficiente oculo distinguere corpora parua. Nomen habent ἀπὸ τοῦ πλεῖν, hoc est, nauigando. quod ortu suo nauigatiõis tempus ostendant: Hæ uerno tempore exoriuntur, & autumno occidunt. Vocantur & Atlantides, quod septem Atlantis filiæ sint, inter quas est Maia Mercurij mater. Vergilius: Multi ante occasum Maiæ cœpere. Vergiliæ quoq; uocitatæ sunt, quòd uere oriantur. Pleiades ergo, Atlantides aut Vergiliæ septem stellæ in Tauri dorso sunt. Hyades, stellæ quinq; in signi eiusdem capite, ita dictæ, quod nõ sine pluuia exoriantur. Easdem Plinius Succulas uocat, his uerbis: Qualiter in succulis sentimus accidere, quas Græci ob id pluuio nomine Hiadas appellant. De utroq; sidere, atque alijs modo dictis Homerus in Iliade:

Pleiades.

Vergiliæ.

Hyades.

Succulæ.

Πληϊάδας θ' Ὑάδας τε σθένος Ὠρίωνος,
Ἄρκτον θ' ἣν καὶ Ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν,
ἥ τ' αὐτοῦ στρέφεται. καί τ' Ὠρίωνα δοκεύει.
Οἴη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο.

Idem in Odyssea:

Αὐτὰρ ὁ πηδαλίῳ ἰθύνετο τεχνηέντως.
ἥμενος, οὐδ' οἱ ὕπνος ἐπὶ βλεφάροισιν ἔπιπτε,
Ῥηϊάδας δ' ἐσορῶντι καὶ ὀψὲ δύοντα βοώτην
Αρκτόνθ' ἣν καὶ ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν.
Stellæ arctoæ ægre occidunt, austrinæ ægre oriuntur idcirco ait: ὀψὲ δύοντα βοώτην. Vergilius: Pleiadas, Hiadas, claramq; Lycaonis Arcton. Sub pedibus Leporem habet Orion, appellatus ita, quod ex urina Iouis, Neptuni, ac Mercurij sit genitus. Sirius ingens sidus est, in ore maioris canis, unde, & Canicula uulgo dici consueuit. Cernitur in speculo etiam medio die imposito aquis contra solem. Hæc stella, quum horis matutinis exoritur, solis calorē mire adauget. Eo tempore Etesiæ ad dierum quadraginta spacium spirare dicuntur, ut flatus æstum utrunq; leniat. Ideo à siccitate nomen dedere. Quidam falso putant eandē stellam Caniculam & Canē minorem dici, decepti fortasse nominum similitudine. Quò igitur sideris naturam et locum inter stellas uicinas apertius cognoscamus, Arati de eo uersus adnotabimus: Sirius.

Ποσσὶν δ' ὠρίωνος ὑπ' ἀμφοτέροισι λαγωὸς
ἔμμενες ἤματα πάντα διώκεῃ, αὐτὰρ ὅγ' αἰεὶ
Σείριος ἐξόπιθεν φέρετρ μετιόντι ἐοικὼς,
Καὶ οἱ ἐπαντέλλει. καί μιν κατιόντα διώκει.

De eodem apud interpretem Arati legimus:

Νοτιώτερός ἐστιν ὁ κύων ὁ σείριος καλούμενος. ὃν ὠρίωνος νυνὰ λέγουσι κατ' ἐπίκλησιν. ὥς φησιν ὅμηρος. ὅντε κύν' ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσιν. Et Varro in libris de Agricultura scripsit à solstitio ad Caniculã dies quadraginta esse: ubi certum est eũ de Sirio, non de Cane minore loqui. Procyon siue Anticanis Canis minor est, sic nominatus, q; ante Sirium oriatur. Cicer. Anticanẽ Procyon Graio, qui nomine fertur. Canopus, sidus est in summo Argus gubernaculo. Hic errorẽ insignem apud Plinium ac Proclum, qui lectorem remorari solet, ostẽdemus. Plinij uerba hæc sunt: Canopus, à Rhodo abscõditur, magisq; Alexãdriæ. Proclus circa libri finẽ, quẽ de sphæra cõscripsit: ὁ δὲ ἐν ἄκρῳ τοῦ πηδαλίῳ τῆς ἀργοῦς κείμενος λαμπρὸς ἀστήρ, κάνωβος ὀνομάζετο. οὗτος μὲν ἐν ῥόδῳ μόλις θεώρητός ἐστιν, ἢ παντελῶς ἀφ' ὑψηλῶν τόπων ὁρατός. ἐν ἀλεξανδρείᾳ δὲ ἐστὶ παντελῶς ἀφανής. σχεδὸν γὰρ τέταρτον μέρος ζωδίου ἀπὸ τοῦ ὁρίζοντος μετεωρισμένος φαίνεται. Canopum in Rhodo ægre cõspici ait, & Alexãdriæ nõ cerni. Equidẽ Plinium atq; Proclũ eruditiores fuisse scio, quàm ut tã humili in re errasse censeantur. Sed uel mathematici cuiuspiã autoritatẽ sequuti sunt, quemadmodum Solinus circa operis initiũ de horoscopo Romano ubi Veneris sidus soli

fuisse

fuisse aduersum ait: uel ipsi negotio nõ satis perspecto et cogitatiõe grauiore impedi ti, hæc prodidere. Error manifestus est. Nã sidera oĩa australina, inter quæ Canopũ numerãt, cõmodius Alexãdriæ, quàm in Rhodo insula cernuntur: Alexãdria nanq; in austrũ magisquã Rhodos procedit. Nemo tamẽ leuitate tanta sit ut autoresisthæc ignorasse existimet, maiora nõ ignorauerũt Nosquoq; nonunq; in ædẽdo nomine nostro, aliud agẽtes erramus, neq; ob id nescire dicimur. Quid quod in Plinio multa leguntur, quæ castigatorũ insciti a atq; audacia deprauata sunt? Meo equidẽ iudicio emendatissimum opus prodiret, si quisq; quod suæ professiõis est, restitueret. Quotiescunq; æditur Plinius nouæ castigatiõis titulum præfixũ habet. Veruntamẽ secundi uoluminis octauo capite scriptũ est: Signiferi aũt ambitum peragit tricenis et duodequinquagenis diebus. Itẽ nono: Ideò et inæquali lumine aspici, quia ex aduerso demũ plena, reliquis diebus tantum ex se terris ostendat quantum ex Sole ipsa concipiat. Et decimosexto: Sol Arietis uicesima nona, atq; alia permulta. Quũ legendum sit trecenis, nõ tantum ex se, & decima nona.

DE TRIPLICI COELESTIVM siderum ortu ac occasu.

SIderum horum poëtæ exortum triplicẽ fecerunt Matutinum, quem Græci κοσμικὸν uocant, quando

quando sidus mane cum sole oritur. De quo Vergilius Candidus auratis aperit cum cornibus annũ Taurus, & aduerso cedẽs canit occidit astro. Hesiodus in operibus cui titulus, Ἔργα καὶ ἡμέραι de Arcturi emersu: Εὖτ' ἂν δ' ὠρίων καὶ σείριος εἰς μέσον ἔλθῃ Οὐρανόν, ἀρκτοῦρον δ' ἐσίδῃ ῥοδοδάκτυλος ἠὼς, Ὦ πέρσαι, τότε πάντας ἀποδρέπεν οἶκαδε βότρυς. Vespertinũ, siue χθονικὸν, quõ stella uespere sole occidẽte exoritur. Velut apud Ouidium uidere est: Quatuor autũnos Pleias orta facit. Vbi per quatuor Vergiliarũ reditus annos totidẽ intelligit. Et Heliacum, quãdo ἔσπερον post Solis transitũ, tanto ab eo spatio abest, ut cerni possit. De hoc ortu Vergil. Cnosiaq; ardentis decedat stella Coronæ. Triplicẽ quoq; occasum cognominibus iisdem describũt. Matutinũ, quom stellæ solis ortu occidũt. Vergilius: Ante tibi eoæ Atlãtides abscondantur, Debita quàm sulcis cõmittas semina. Iterũ: Multi ante occasum Maiæ cœpere: sed illos. Expectata seges uanis eluserit aristis. Vespertinũ, quando uesperi cum sole abeunt, quẽadmodũ tẽpore uerno Atlãtides. Deniq; Heliacũ, quom propter solis accessũ sidus uideri desinit. Hoc modo Arietis signũ circa uernũ æquinoctiũ occidit: Libræ autũno: Cancri, solstitio bruma Capricorni. Nõ oĩa signa, quæ simul oriuntur etiã simul occidunt, propter horizontis obliquitatẽ.

QVO

QVO DISTENT ASTRVM, Signum, Sidus, & Stella.

QVod ἄστρον Græci, nos sidus & signũ uocamus. Nihilq; est aliud astrũ, sidus uel signũ, q̃ animaliũ aliarúmue rerum in cœlo effigies, ex pluribus cõstans stellis, Stella singularis est. Ad eundẽ modum Græci: ἀστὴρ ἄστρου διαφέρει, ὁμὲν ἀστὴρ εἴτι ἐστὶ τὸ δὲ ἄστρον ἐκπολλῶν συνέστικεν. Vt Astræa Scorpio, Helice, Argo proprie astra, signa, aut sidera dicẽda. At Arcturus, Hœdi, Sirius, Canopus, et planetæ stellæ non sidera uocantur. Verum sermonis ornatioris, & tædij leuandi causa, ueteres crebro, licet minus proprie, sideris nomen pro stella posuere.

QVID SIT STELLARVM LONgitudo, latitudo, & declinatio.

STellarum tum fixarũ tum errantiũ longitudo, earum ab Arietis initio distãtia est. Vt partiũ quinquaginta duarũ interuallum, Vergiliarũ longitudo dicitur, eæ enim seculo nostro in Tauri parte uigesima secunda sunt. Latitudo à zodiaci medio discessus est. Hic duplex arctous austrinusq;. Declinatio stellarũ, distãtia ab æquatore. Hæc quoq; duplex, austrina & arctoa. Terrarum uerò aut urbium longitudo, earum distantia est à fortunatis insulis. Latitudo est distãtia loci ab æquinoctio seu æquatore, uel axis ab horizõte

Vt Capræ polũ arctoum ſpectantis longitudinẽ eſſe di cimus partiũ circiter ſeptuaginta: latitudinẽ tricenum: declinationem quinquaginta. Et Crateris eſſe longitudinem partium centum ſeptuaginta: unde uiginti latitudinem: declinationem quindecim. Smyrnæ longitudo gradibus ſeptem atq; quinquaginta cõſtat: latitudo triginta ſex. Hæc de cœlo eiusq; ſideribus.

DE STELLIS ERRATICIS.

ANtequã planetarũ motus aggrediar, quædam in uniuerſum de illis dicẽda. Saturni ſtella φαέθων nuncupatur, ut Cicero autor eſt: Iouis φαέθων. Martẽ ab ardore πυρόεντα dicunt, Graduũ quũ ſæuit, & Quirinum quum tranquillus eſt. Inde Romani, quod gens Martia atque bellicoſa ſit, Quirites dicti, Vel, ut alijs placet, nomen à Romulo acceperũt, quiidem Quirinus uocitatus eſt ab haſta, quæ Sabinorum lingua quiris nominatur, qua crebrò utebatur. Mediũ nomen Lucanus circa primi libri finem uſurpat. Quid tantũ, inquit, Gradiue paras? Veneris ſtella à Græcis φωσφόρος & ἕσπερος, à noſtris Lucifer ac ueſper uel Veſperugo nuncupatur. Plaut. Neq; Veſperugo, neq; Vergiliæ occidũt. Mercurius, στίλβων et Cyllenius. Poſteriore, eodẽ loco Lucanus uſus eſt: Motuq; celer Cyllenius hæret. Prius à radiando ſiue coruſcando ſumptũ. Platonici Planetas metallis cõparant. Tribuũt enim ſoli aurũ, Lunæ argentũ, Saturno plumbũ,

Ioui ἤλεκτρον Marti ferrum, Veneri ὀρείχαλκον, Mercurio stannũ. At eñ qui paſsim de metallorũ metamorphoſi ſcribũt plumbũ Saturnũ nuncupãt: ſtannum Ioue, ferrũ Martẽ: aurũ Solẽ: æs Venerẽ: uiuum argẽtũ Mercurium: argentũ Lunã. Arabes Soli, cerebrũ, et cor adſcribũt, Lunæ ſtomachũ, Saturno ſplenẽ, Ioui hepar, Marti ſanguinẽ, Veneri renes et genitale ſemen, Mercurio, linguã & os. Color Saturno candidus, Ioui clarus, qd inter ſtellæ ſuperioris rigorẽ ardorẽq; inferioris medius feratur: Martii igneus, Lucifero, candens Veſperi refulgẽs, Mercurio radiãs, unde et στίλβοντα appellauerũt: Lunæ blãdus, Soli, quũ oritur ardẽs poſtea radians. Deniq; Saturni Martisq; ſtellæ pernitioſæ dicũtur: Iouis ac Veneris, ſalutares: naturæ utriuſq; ſol, Mercurius, Luna. Septẽ homini munera à planetis totidẽ tribui ſeu roborari uidentur: cõtemplationis acumen, gubernandi poteſtas, animi robur, claritas ſenſuum, amoris ardor, interpretandi ſubtilitas, fœcũditas generandi. Cõtemplationis donũ, Saturnus miniſtrat: imperandi potentiã, Iuppiter: magnitudinẽ animi, Mars: Sol, ſenſuum opinionisq; claritatẽ, amorẽ, Venus inſpirat: pronuntiãdi et interpretandi ſolertiã, Mercurius adiuuat: generatiõis officiũ, Luna. Tres in mundo globi ſunt omnibus gentibus cõſpicui, Sol, Luna, terra. Sol diſtinguit tẽpora, Luna ducit aquas, terra continet mortalium genus.

DE

DE MOTV PLANETARVM.

STellæ errantes quotidie cum mundo uertuntur ab ortu in occasum, præter quem motum alium habent aduersum huic per duodecim signa, quẽ Saturnus perficit annis triginta, Iuppiter annis duodecim, Mars duobus: Sol, Venus, Mercurius singulis, Luna mense. Quo pacto eædem stellæ in diuersas mundi plagas ferantur, quo modo Solis sidus cursũ peragat quotidie ab ortu in occasum, & quotãnis ab occasu in exortum hac similitudine poterit demonstrari. Si in rota inter axem & circuitum formicæ septem per totidem circulos moueantur à dextra manu per superiorem partem ad mæum sinistram, uoluaturq; rota à leuo latere in dexterum, necesse erit eas cõtra rotæ uersationem incedere, & illam quæ proximum centrũ habuerit, ocyus motum absoluere: quæq; extremum orbem rotæ peraget, etiã si æque celeriter ambulet, propter magnitudinẽ circuli multò tardius perficere cursum. Cõmunis autorum sententia est stellas orbibus infixas esse, & non nisi cum illis uerti, quã nec probare, nec refutare audeã. Etenim quum aër ille, per quẽ sol incedit, tenuior esse appareat, quàm iste qui infra Lunã est, mirũ uideatur sic stellam in orbe fixam esse, ut nodus est in ligno: mirum itẽ Solis, Lunæ, Veneris sidera moueri nõ posse, nisi una cum orbe in quo hærent.

Fortasse

Fortasse non absurdũ foret dicere, stellas ita circuire mundum ut nos per terram circũfusum secantes aëra incedimus. Cæterũ siue planetæ soli, siue cum orbibus moueantur, quando utrumq; incertum est, haud magno conatu seu temporis dispendio reor indagandũ. Id unum constat & Solem et Lunã incredibili celeritate intra quatuor & uiginti horas ambire terram: ac motu contrario Solem anno, Lunam mense signorum zonam percurrere, hoc oculis nostris nos uidemus. Orbes cum mundo in occasum uolui facilius crediderim: eosdem cum stellis niti in exortũ, dubium magis. Duos Solis motus hunc in modum Ouidius docet:

Ardua prima uia est, & qua uix mane recentes
Enituntur equi: medio est altissimo cœlo,
Vnde mare & terra ipsi mihi sæpe uidere
Fit timor, & pauida trepidat formidine pectus.
Vltima prona uia est, & egent moderamine certo,
Tunc etiam quæ me subiectis excipit undis
Ne ferar in præceps Thetis solet ipsa uereri.

Mox de altero:

Nitor in aduersum, nec me qui cætera uincit
Impetus, & rapido contrarius euehor orbi.

Hic uides solem non retroire, sed cõstanti incessu aduersus orbis extremi celeritatẽ niti. Hoc loco poëta motus duos descripsit, quorũ prior quotidie perficitur, posterior

posterior anni spacio, hoc est, dierũ tercentũ sexagintá quinq; & quadrãtis unius. Quia solus cernitur Sol dictus est. Homer. eũ cũcta intueri atq; audire affirmat. Ἠελίόν θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις. Hanc lucem ideò nubila magna temporis intercapedine condũt, ne sideris pulcherrimi, quemadmodũ & rerum aliarũ, ex usu assiduo satietas sit. In sole tria cernuntur: radius singulis oculis propius. lumen per aëra fusum, ac omnibus cõmune: et lux, quæ lumini præest, atq; in stella ipsa cõspicitur. Solem medio spatio inter cœlũ terramq; ferri Ouidij uersus memoriæ prodiderunt: Altius egressus cœlestia signa cremabis, Infe rius terras, medio tutissimus ibis. Voluit nanq; rerũ parens deus, ignẽ hunc nõ inter sidera, elemẽtorúmue mutabilẽ materiã, sed per aëra inanem, ubi nihil adurere possit uagari. Stellæ tamen aliquot utrinq; uicinæ quãdoq; urũtur, unde & exustas cõsuetudo appellat. Sol ab oriẽte in occidentẽ celerrime rapitur alterutro æquinoctio: tardissime, solstitio brumaq;. Quãto enim stellæ polis uicinio res sunt, tãto tardius mũdi circuitu ferũtur. Circa axem enim & motus et circulos æquidistantes assidue mouri necesse est: & stellas arctoas uix aut tarde moueri. Manifestum est ergo, quo Saturni, Iouis, Solisq; sidera uerticibus propiora sint eo segnius ipsa in oras occiduas decurrere. Nazianzenus Solem

lem menti diuinæ cõparat, his uerbis: τοῦτο ἐν αἰσθητοῖς ἥλιος ὅπερ ἐν νοητοῖς θεός, id Sol oculis, quod menti deus.

DE VMBRA TERRAE.

TErræ umbra ſemper à Sole diametro diſtat. Illo enim oriente ipſa occidit, & occidẽte exoritur, media nocte in auſtro eſt, meridie uerò antichthonum hemiſphærium implet. Aeſtate humilis, hyeme ſublimis, & Solis altitudinẽ imitatur cõuerſis anni temporibus. Quoniã Louanij ſolſtitio partibus ferè quindecim ab horizonte abeſt, ſicut medio die in Capricorno ſol, bruma tribus atq; ſexaginta: æquinoctio utroq; trigintanouem. Eadẽ ſole luſtrante Cancri ſignũ, hoc eſt, ſupremã abſida, productior: breuior hyeme circa brumalem circulũ, ubi ſidus terræ proximũ eſt. Hæc obſeruatio ad defectuũ moras pertinet. Siquidẽ æſtiuis mentibus acutiore umbra Lunã occultari, bruma contractiore ſentimus. Terræ umbra perpetuo circuitu corpora animantium ſternit, componitq; ad quietem. Solis ſidus, umbra terræ & centrum arcus cœleſtis, quem in Chao deſcribemus, eodem motu circumaguntur.

DE DIFFERENTIA INTER SOlem & Lunam, ac eorum magnitudine.

MAximarũ mundi partium Solis Lunæq; ſphæras exactius cõtemplari lubet, eorumq; diſcre

men

discrimen propius intueri. Sub sole omni momento meridies atq; æstas est. Ille ubiq; prandentes cernit, mediosúe dies à noctium q; opacitate dimetiente distans: assi due contuetur frondes, flores, & rerum pulchritudinem amœnitatem q;, comites semper duo habens Venerem ac Cyllenium. Contra Luna sola per tristes tenebras fertur, pauidas q; umbras: nihil ista nisi ignauos somnos cõspicit, nullos aspicit in agris homines, ut etiã mortaleis oẽs periisse miretur. Ille pocula uidet, cõuiuia uidet, uidet quicquid in orbe pulchrũ est: hæc nisi tectos mõtes et horridã naturæ faciẽ. Illi rerũ imperiũ cœli terræ, stellarum q; regimen deorũ cura dedit: huic nihil præter mẽstruos cursus, labores, atq; etiã corporis interitus. Illi color aureus, argenteus Lunæ. Ille diurnus, nocturna Luna. Huc spectat ut eorũ terræ q; magnitudinẽ subijciã. Hæc tricies nouies Lunæ σφαῖραν cõtinet, Sol amplior terra, cẽties sexagies sexies. Quod admirationi non erit, si globi capacitatem ex diametri longitudine quæsieris. Continet enim Solis dimetiens terræ dimetientem quinquies & semissem. Est q; proportio diametri Solis ad terræ dimetientem, quæ est numeri undecim ad duo quintupla sesquialtera. Solis autẽ cubus mille tercentũ unam & triginta parteis tales cõtinet cuiusmodi terræ cubus octonas complectitur. Cubus enim numeri undecim, est mille tercentum unũ &

triginta

triginta. Cubus uerò binarij, qui est terræ, octo. Subduc octo quoties id fieri potest, minore cubo, qui est terræ, à maiore qui est Solis, cognoscitur cubi ad cubum proportio, & quanto Sol maior terra sit. Inuenimus ergo centies sexagies sexies octo, in mille tercentum uno et triginta. Terræ diametros Lunæ dimetientem complectitur ter & duas eius diametri portiones quintas. Estq; ea proportio dimetientis terræ ad Lunæ diametrum, quæ est septẽdecim ad quinq; tripla superbipartiens quintas. Cubus numeri septendecim, quater mille nongenta tredecim. Cubus numeri quinq;, est centũ uigintiquinq;. Maiore cubo per minorem distributo, reperimus numerum centum uiginti quinque tricies nouies in quater mille nongentis tredecim. Thales Milesius aiebat Solis septingẽtesimam partem Lunæ globo esse cõparandam. Terram esse minorem Sole uel hoc argumento est, quod tam raro Luna in eius umbram incidat. Si enim adeò esset uasta ad orbem totum, ut apparet, uix unquam Luna lumen haberet, nisi omnino propinqua Soli. Hunc esse immensum sic Plinius demõstrat. Quod Idam montem latitudine exuperet, dextra leuaq; large amplectẽs. Et quia æquinoctio utroq; omnibus sub æquatoris orbe habitantibus simul cernatur infinientis uertice. Item quia circa æstiuum circulum habitantium ijsdem æquinoctiorum diebus, me-

ridie, Septentriones umbræ ſpectent, ortu uerò occaſum. Et quod luna deficiente terræ umbra in mucronẽ deſinat. Ob duas cauſas Sol maior appareat hyeme, quã æſtate, qd' bruma nobis propior ſit. & quod per aera nubiloſum hyeme cernatur.

DE VENERE ET MERCVRIO.

INfra Solem Veneris ſtella, quæ (autore Cicerone) à ſole nunquã longius abeſt duorum ſignorum interuallo. Quare cum eo quotannis ſigniferi orbẽ percurrit, & quotidie totum mundi circuitum. Eius locum Sol oſtendit. Quippe mane circa orientem eſt: meridie ſemper ſublimis circa ſolem in auſtro: eo occidente ipſa, ſiue ſequatur ſiue præterierit, non procul ab occaſu eſt: et nocte media ſub pedibus nobis, at antichthonibus alta cernitur. Error apud Solinum eſt, circa operis initium, ubi Venerem Soli fuiſſe aduerſum, quãdo Roma cõderetur, ait: quum ipſa uix duobus ſignis abeſſe poſſit à Sole. Eius uerba hæc: Romulus auſpicato murorũ fundamẽta iecit duodeuiginti natus annos XI. Cal. Maias hora poſt ſecundam ante tertiam ſicut L. Tarutius prodidit mathematicorum nobiliſſimus, Ioue in piſcibus, Saturno, Venere, Marte, Mercurio, in Scorpione, Sole in Tauro, Luna in Libra conſtitutis. Hallucinati ſunt & ueteres in Paridis Troiani geneſi, quam hunc in modum Firmicus prodidit. Eius ho-

roſcopum

roſcopum in Aquario fuiſſe: Solem ac Saturnũ in Leone, Lunam & Martem in Scorpione: Iouem in Aquario: Venerem ac Mercurium in Geminis. Quãuis hic Luciferi ſtellam fortaſſe nõ male poſuerint, certe Mercurius, quem mox deſcribemus, tanto interuallo à Sole diſtare nequit. Venus Lucifer aut φωσφόρος & nuncupatur, quum Solem antecedit, aut ante eum oritur: Heſperos uerò aut Veſper, quando ſolem inſequitur, atq; poſt eum occidit. Quam uocem Vergilius uſurpat in uerſu iſto: Venit Heſperus ite capellæ, id eſt, cerni incipit, non oritur: nam Heſperus nunquam in oriente conſpicitur, nec Lucifer in occidente. Vitruuius de architectura libro nono: Veneris ſtella, quum ſolem ſequitur poſt occaſum eius apparens in cœlo, clariſsimeq; lucens, Veſperugo uocitatur. Alijs autẽ temporibus eum antecurrens & oriens ante lucem, appellatur Lucifer. Plinius iudicio ſubtiliore & motũ & ſtationes ita memoriæ tradidit. Veneris ſtella ſigniferi ambitum peragit trecenis & duodequinquagenis diebus: ab ſole nunquam abſiſtens partibus ſex atq; quadraginta longius. Mercurij ſidus, ut Veneris, Solem quoq; modo antecedit, modo ſequitur: nec unquã ab eo lõgius unius ſigni ſpatio abeſt: & ſingulis annis cum eo zodiaci ſigna luſtrat. Plinius: Mercurij ſidus inferiore circulo fertur nouem diebus ocyore ambitu, quàm

Veneris, modo ante solis exortũ, modo post occasum splendens, nunquam ab eo uigintitribus partibus remotior. Mercurius non lucifer aut Hesperos, sed matutinus, quium ante solem exoritur: & uespertinus quãdo post eũ occidit, nuncupatur. Sed dubitarit forsitan aliquis, quur duo hæc sidera non sint sole celeriora, cum minore contineantur circulo. Nam eò Saturnum annis tricenis circumagi apparet, Iouem duodenis, Martem binis, solem singulis, & lunam mense, quod circa terram circuitus angustiores sint. Hæc explicabimus, ostẽdemusq; ocyorem esse Venerem sole, ac Mercurium Venere. Conuenit inter omnes, solis radio reliqua impelli, retroire ac consistere. Solem uerò per mediũ ire signiferum, nec in oras diuersas aliorum modo discurrere. Hesperum autem nonnunquam & stare, & ad utranq; zodiaci circuli latitudinem digredi, & retro cum mundo in occidentẽ referri. Ex his omnibus quis Venerem, cui tot flexus lustrandi, non sole uelociorem iudicet? Idem in Mercurio facile demõstres, eũ quoq; Lucifero esse celeriorem. Nam quo tempore semel retrogradum est Veneris sidus, quod propè singulis annis fit, eo ipso spatio Mercurij stella ter graditur per omneis stationum progressionumq; notas. Latitudine quoq; ocyssime, à solis uia digreditur. Vt non immerito Lucanus scripserit: Motuq; celer Cyllenius hæret. Hic

ergo

ergo ut Venere inferior, ita & uelocior. Porrò quo propius stellarum trium progressum cernas, solem cõ ferre licet uenatori persequenti leporem. Venerem canibus magnis, qui dominum nunc præcurrunt, nunc sequuntur. Mercuriũ paruis, qui assiduo se discursu fatigant, uestigantq; olfactu feram. Hunc Luciferum aut Hesperum non appellant, propter celerem mutationẽ motus, & minorem à sole distantiam.

DE LVNA.

INfima terræq; proxima luna, cuius mutabilis species miraculum omne uincit. Nanq; ut Veneris sidus solem modo præcurrẽs, modo sequens Luciferum uocant & Hesperum: ita hæc eodem seruato cognomine corporis effigiem immutat. Hic uidere iucundũ est, quanta lunæ uis secum maria pertrahat: tantam aquarum molem, ut huius grauitas elementi motum omnem resuat: tanta celeritate, ut animantium cunctarum uelocitatem superet. Cuius portionem millesimam cuncta terræ maris q; nõ traherẽt animalia, id secũ rapit lunæ globus. O mira naturæ spectacula. Quid sideri aquas alligauit? Vbi uestigia figit currens atq; onera trahens numen laboriosum? Nil, nisi cedentes ac inanes spiritus premit. Sed ad rem, hæc diebus uicenis septenisq; & tertia diei parte signiferi orbem ambit. Interq; singulos coitus signa ferè tredecim propter solis discessum,

quem antecedentem celeriore adsequi cursu debet, permeat. Quare Lactantium scripsisse mirer: Sed Luna, quæ orbem illum signiferum triginta dierum spatio lustrat. Idcirco intra uicinos octonosq; ferè dies unũ mundi circuitum perdit. Quoniam eo tempore extremus orbis uicies octies, ipsa autem duntaxat uicies septies circumagitur. Luna semper plena est præterquàm in defectione. Quom enim pars altera soli exposita sit, altera tenebris, globi dimidium semper illustrari necesse est, uicissitudine quadam id cœlo terræq; ostendi. Etenim quando corniculatam intuemur nos inferiore quidem à parte, à superiore pertumescit. Vt cornua illa inferiora conspicua nobis, auerso coniuncta tumori hemisphærion lunæ integrũ efficiant. Cõtra, quum terræ intumescit, cœlo insinuat cornua. Quũq; mortalibus dimidiata lucet forma: immortalibus sese figura eadem ostentat. Et quando nobis nulla cernitur, illis est plena utpote quum portio solum, quæ cœlum spectat, capiat lucẽ. Quumq; illis nulla, nobis prorsus plena est. Quo fit, ut figurarum uarietas illa, è discursu eius nunc ad oppositam soli regionem, nunc rursus ab oris aduersis ad solis congressum nascatur. Septimo die à coitu uel plenilunio luna διχότομος, à nostris diuidua dicitur. Plinius autor est, eam semper auersis à sole cornibus, si crescat, ortus spectare: si minuatur occasus. Et ab interlunio

terlunio lucere dodrantes ac semuncias horarũ, ab secunda die adiscientem usq; ad plenũ orbem. Causæ tres sunt quur à coitu luna modo maturius modo tardius redit? Quarum prima obliquitatem signiferi finientis q;, siue impares signorum duodecim occasus continet. Secunda utriusq; spatia latitudinis: quoniã segnius austrina, arctoa ocyus prodit. Tertia sideris eius uelociorem tardiorémue cursum. Lunã æstate semper depressam uidemus, hyeme uerò sublimẽ. Hebræis à candore Leuona nuncupatur.

QVAE STELLAE DICANTVR superiores, Quur luna celerior alijs sit, Et orbium ex Cicerone ordo.

IDscitu dignum est, Saturni, Iouis, Martis q; sidera quod supra solem uoluantur, superiora uocari: Veneris ac Mercurij inferiora, Et lunam inferiores q; segnius trahi cum mundo, uerum celerius in aduersum. Contra superiores uelociore cursu in occasum labi, tardiore in exortum. Duabus de causis lunæ sidus Saturno, Ioue & Marte est uelocius: quod minore feratur circulo, & quod longius absistens ab orbe extremo facilius in aduersum nitatur. Id quoq; non omittendum, lunam intra diei spatium ut plurimũ partes tredecim percurrere, binis q; horis singulos gradus. Et solẽ quotidie singulas partes, ac horis duabus quina minuta.

Libri huius initio mundi partes ex Ciceronis, secunda de diuinatione uolumine recensuimus. Easdem in Scipionis somnio hunc in modum enumerat: Nouem orbibus uel potius globis connexa sunt omnia quorum unus est cœlestis extimus, qui reliquos complectitur omneis summus ipse deus arcens & continens cæteros, in quo sunt infixi illi qui uoluuntur stellarũ cursus sempiterni. Cui subiecti septem, qui uersantur retro contrario motu atque cœlum. Ex quibus unum globum possidet ille, quem in terris Saturnum nominant. Deinde hominum generi prosper & salutaris ille fulgor, qui dicitur Iouis. Tũ rutilus horribilisq; terris, quem Martẽ dicitis. Deinde subtermediam fere regionem sol obtinet, dux & princeps & moderator luminum reliquorum, mens mundi et tẽperatio: tanta magnitudine, ut cuncta sua luce lustret et cõpleat. Hunc ut comites sequuntur Veneris alter, alter Mercurij cursus. Infimoq; orbe luna radijs solis accensa cõuertitur. Infra autem eam nihil est, nisi mortale & caducum, præter animos munere deorũ hominum generi datos. Supra lunam sunt omnia æterna. Nã ea, quæ est media & nona tellus, neq; mouetur, & infima est, & in eam feruntur omnia nutu suo pondera. Plato, ut Plutarchus refert, sub stellarum hærentium situ primum Phænonta siue Saturnum esse aiebat, secundum Phaëtonta uel Iouem

tertium

tertium Pyroënta, quartum Luciferum, quintum Stilbonta, Solem sextum, & septimam lunam.

DE INAEQVALIBVS HORIS.

NVnc de horis, quas planetis adscribunt nonnihil dicendum. Eas ideò hic describemus, quod ipse ad errantes stellas modo traditas pertineant. Duo horarum genera: Aequales, quas & æquinoctiales nominat, uigesimæquartæ diei naturalis partes sunt. Inæquales q; duodecimæ temporis portiones, quod inter solis ortum & occasum, uel inter occasum & exortū est. Ita dictæ, quod diurnæ inæquales nocturnis sint, et brumales æstiuis. Easdem alijs nominibus tum erraticas, tum planetarum horas nominant. Exortu solis initium primæ numeramus, meridie sextam, solis occasu duodecimam & rursus initium primæ, nocte medium tenente cœlum sextam, & solis exortu duodecimam. Ideoq; ad primam horam Christianos canere aiunt: Iã lucis orto sidere, quod à solis exortu horarum sumatur initium. Prima hora matutina stellæ, unde dies nomen accepit, tribuitur, secunda sequenti, sic deinceps simili in alijs seruato ordine. Vt diei lunæ prima hora à solis exortu lunæ est, secunda Saturni, tertia Iouis, quarta Martis, quinta solis, sexta Veneris, septima Mercurij octaua lunæ, nona Saturni, decima Iouis, undecima Martis, duodecima solis. Vbi ad nocturnas per

ueneris, duodecim diurnas adijcias oportet. nã perpe tuo numero usq; ad sequentẽ solis redditum planetæ nu merari debent. Decimatertia igitur Veneris, decima= quarta Mercurij. Diei sequẽtis prima hora Martis est secũda solis, tertia Veneris. Reliqua facile adiũxeris,

DE EXALTATIONE ET natura stellarum errantium.

SOl exaltationẽ, hoc est præcipuum dignitatis lo= cum in Arietis parte decimanona habere tradi= tur. Luna in Tauri tertia: Saturni stella in Libræ uige sima prima: Iouis, in Cancri decimaquinta: Martis, in Capricorni uigesimaseptima: Veneris, in Piscium uige simaseptima: Mercurij, in Virginis decimaquinta: ἀνα βιβάξωυ, in Geminorum parte tertia. Cauda in ad= uerso est. Horum omnium casus, in partibus est exalta tioni oppositis. Quemadmodũ enim solis exaltatio in decimanona Arietis parte ponitur: ita solis casus in gradu undeuigesimo libræ. Sic de Saturni, Iouis, Mar tis, Veneris, Mercurij, Lunæ, ἀναβιβάζοντος καὶ καταβιβάζοντος casu dicendũ. Deinde Saturni et Mercurij stellas aridæ ac rigẽtis esse naturæ constat: Iouis calidæ et humidæ: Martis ac solis calidæ et siccæ. Veneris lunæq; gelidæ et humidæ. Et Saturni sidus si gnificare edaces, auaros, cogitationis multæ, memoria tenaci, lõga uita, sed laborioſa. Iouis, religioſos, pios, fi

dos,

dos, pōtifices, reges, duces. Martis, iracūdos, acres, insidiatores, latrōes q;. Solis, auri honorūq; cupidos, fortes ac constantes. Veneris uestiū ornatus, cantus, amores conuiuia, luxus. Mercurij, oratores ac artiū inuentores. Lunæ, gloriæ adfectationē. Deniq; naturā habere inquiunt: in Germania, Martis: in Anglia et Scotia, Saturni: in Gallia, Iouis: in Hispania, Solis: in Græcia, Veneris. Gādaui, Solis ac Leōis: Brugis, Veneris et Piscium Andouerpiæ atq; Louanij, Mercurij Geminorumq;: Treueris, Saturni et Capricorni. In climate primo Saturni, in secūdo Iouis, in tertio Martis, in quarto solis, in quinto Veneris, in sexto Mercurij, in septimo Lunæ

DE PARTIBVS ORBIVM.

HI stellarum errantium circuitus in orbes tres diuiduntur, quorum medius, sidus uel epicyclum deferens appellatur: reliqui duo absidas ferentes. Hæ enim nisi illorum motu, qui tardus est, in signifero situm non mutant. Lunæ ac Mercurij orbes plures sunt uerum tam exquisita distinctio huc nō spectat. His additur circulus æquans, quo sol caret, cuius centrum tāto spatio, à deferentis circuli medio abest: quanto deferentis centrum à medio mundi distat. In Lunæ tamen orbe hic circulus idem cum mundo centrum sortitus est. Aequantem uocant ab æquando, quod æquos siderum motus ostendat. Ex eo quippe facile cernas,

ductis

ductis per mediũ diametris, lunam celeriorem esse in summa absside, reliquos in ima. Plura quidem hic duci possent, sed ut mediocrem rerum istarum cognitionẽ, quò facilius Ciceronem, Plinium, Lucanum aliosq; intelligas, quoq; illorum exemplo uarijs artibus orationem efficias illustriorẽ, uehementer laudo, imò studiosis omnibus necessariam esse iudico: ita absolutam maxime damno. Est nanq; studiorum bonorum pestis & pernicies, ut plerisq; Dialectice. Vtrobiq; enim complures uideas sine emolumento ullo, reliquas perosos literas, tanquã apud scopulos Sireneos consenescere. Hic in argumentorũ, æquationum, mediorumq; motuum spacijs: illic in suppositionum & amplationũ portentis. Quare in omni doctrinarũ genere nugas supervacuas missas facere, atq; animum ad meliora transferre satius est. Hæc quæ de absidum, stationum, progressionũ, draconũq; notis adferam, adolescentibus ommnibus summe necessaria scio: plura si psequare inutilia

QVID SVMMA VEL IMA absis, & epicyclus.

ABsidas duas tradunt: summam, quæ est longissima stellarũ à mundi medio distantia: & imam, quæ terræ centro proxima est. Hæ non modo in circulo deferente sunt, sed etiam in epicyclo, qui globus paruus est, in cuius circuitu sidus fixum uoluitur.

Longissi-

Longissima Saturni à terra distantia æuo nostro, in decima quarta ferè Sagittarij parte est: Iouis in uigesima quarta Virginis: Martis in decima sexta Leonis: Solis ac Veneris, in secunda Cancri, Mercurij in prima Scorpionis. Lunæ absis triginta diebus signiferum lustrat, & mensis principio sub sole est, decima quarta die in partibus soli oppositis.

DE STELLARVM ERRANtium, ortu, occasu, statione, progressu, & epicycli motu.

VOces aliquot, quæ ad negotium hoc conducunt exprimendæ. Inde subiungam qua nam ratione epicycli orbis circum centrum suum uoluatur. Postremo, Plinij locum emendatione dignum restituam. Matutino ortu stellã dicimus exoriri, quãdo ante solis emersũ ipsa cerni incipit: uespertiuo, quũ ab occasu. Et occasu matutino occultari, quando circa auroră uideri desinit: uespertino, quom à solis abitu. Stare sidus aiũt quum sub eadem hærens signiferi parte, neq; ad orientem, neq; ad occidentẽ proficiscitur. Statio duplex est: matutina uel, prima unde retroire stella incipit. Vespertina uel secunda, unde progredi. Oẽs retrogradæ sunt, in ima epicycli in parte: in summa progrediuntur Sol epicyclo caret. Progredi, ab occasu in ortum moueri est. Retroire, ferri contra signorũ ordinem. Sic intellige

tellige Ouidij uersus de sole nunquam retrogrado: Nitor in aduersum, nec me qui cætera uincit impetus, & rapido contrarius ruebor orbi. Id dignum scitu, solum lunæ epicyclum circum centrum suum ab ortu in occasum uerti, hoc est, quemadmodum uulgus Solis aut mundi motum manu circumacta ostendit: uel quomodo curru in occasum uecto, rotarum claui circum axem uoluuntur. Hoc pacto Luna epicycli centrum perpetuo ambit, illo tamen semper in ortum currente. Reliquorum epicycli motu contrario circũaguntur, ab occidente in orientem. Saturni, Iouis ac Martis stellæ, quando cum sole incedũt, in summa absside epicycli esse & progredi constat: quũ ab eo mundi triente distant, stare uel consistere: in aduerso uerò & diametri inter uallo (quam oppositionẽ nuncupãt) in absside ima esse, atq; retroire ad stationes secundas. Quo tempore tantum cœli Sol dimensus est, ut partibus centum uiginti rursum ab illis antequam redeant, absit. Alia siderum inferiorũ ratio. Quippe Saturni, Iouis ac Martis stellæ & trium, & quatuor, & sex signorum spatio à sole abesse possunt: Veneris ac Mercurij uix duorum. Superiores à matutina statione retroire incipiunt: inferiores à uespertina. Reliquum est ut Plinij mendũ tollamus, qui labor ad ea quæ nunc tractamus non inutilis erit. In secundi libri decimoseptimo capite legimus: Di

gredi

gredi autem latitudine, motumq; minuere ab exortu matutino: ubi ueſpertino ſcribi debet. Nam ut ante matutinos ortus, ſtationesq; docuerat: ita hic ueſpertinos tradit. Ob crebram uocum duarum matutini, & ueſpertini curſus repetitionem, à chalcographis, uel caſtigatoribus, qui rem non intelligunt, locus depraua-tus eſt. Id Plinius uult: Heſperum progreſſionem minuere à ueſpertino exortu, quod fit in epicycli parte ſuperiore, inde ad ueſpertinas ſtationes d gredi, atq; ab ijs ad Solem retroire. Sic eſſe legendum, non ſolum rei natura, uerum etiam omnia Plinij uerba loquũtur. Porrò ut commodius ſtellæ motus percipi queat, rem ipſam depingemus. Epicycli ad ſigniferum proportionem data opera nullam ſeruabimus, quo rudius, & apertius ea pueris exponantur.



A, C, E, G, E picyclus est. A, *absis suprema, siue longissima stellæ à mundi centro distantia, ubi progressio*

nis medium est, & Solis Veneriscq; coitus. B, exortus uespertinus, unde descendit, atq; progressum minuit. C, statio uespertina, à qua incipit retroire. D, occasus uespertinus. E, medium regressionis, ac ima circuli absis, sub Tauri signo, ubi sidus rursum cum Sole est. F, exortus matutinus. G, matutina statio, unde progredi Lucifer incipit. H, occasus matutinus, à quo Solem celerrime signorum ordine insequitur. T, centrum mũdi Supra Solis effigiem signiferi quadrantem posui. Nã sub eo circulo epicycli centrum ab occidente in orientem perpetuo progreditur, sidere quandoque in ambitu retrogado. Duæ lineæ, quæ à T, siue centro mundi per literas C, & G, ad signiferum protrahuntur, in epicyclo utrinq; notant stationes. Donec stella à nota B, ad D, pergit, Hesperos siue uesper, nuncupatur: inter F, uero & H, figuram, Lucifer. Spacijs alijs duobus circa absidas utroq; amisso cognomine Veneris duntaxat nomen usurpat. Quo accuratius rem describam, eadem repetere, siue interpretari uisum est. Pro Veneris stella ceræ particulã accipe ad grani tritici magnitudinem, quæ tum circunferri poterit, tũ chartæ, ubicunq; posueris, facile hærebit. Si itaq; cerã traxeris ab A, ad B, ibiq; figas: stellã cernes uespertino exortu emergere. Inde si ad C, sensim dimoueas, descendere, segniusq; progredi: ab ea retro ad Solem recurrere,

rere, atq; occultari, qui ueſpertinus occaſus dicitur. Ab F, exortu matutino, ſcandere. A ſtatione uerò matutina, ubi G, characterа poſuimus, ad ſolẽ meare, & progredi: in H, aũt puncto rurſũ occultari: ac inde per ſummas ferri abſidas ad exortum ueſpertinũ. Si autoris uolumẽ ipſum hũc in manus arripias, nulla amplius dubitatio apparebit. Quanquam epicyclorum uſus Plinij æuo excogitatus forte nondum erat, & docendi forma alia fuerit, rem tamen, id eſt, ſtellæ conuerſionẽ eandem permanere certum eſt.

DE LVNAE DRACONE & motu circa abſidas.

DRaconem figuram eſſe conſtat, quam ſolis ac lunæ meatus efficiunt. Eius caput, ſectionẽ eſſe unde luna ad ſeptentriones ſcandit, quam Græci ἀναβιβάζοντα à ſurſum emittendo uocant. Caudã uerò notam, unde ad auſtrum ipſa deſcendit, quæ ijſdem καταβιβάζων nuncupatur. Duo hæc puncta quotidie ab exortu in occaſum tria minuta tranſeũt. Plinius ipſa circulorum cõmiſſuras uocat: Sol inquit, atq; commiſſuræ abſidum, extremæq; orbitæ à terra, in obſcuritatem. E quibus uerbis colligimus tria eſſe, quæ ſtellas obſcuriores reddant ſiue occultent. Solem, qui in quacunq; mundi parte fuerit, ſolus ſemper cernitur. Deinde draconis fines dictos, in quibus ſol & luna deficiunt.

ficiunt. Postremo circulorum absidas supremas, quæ quamuis omnino stellas non occultent, ob distantiã tamen reddunt obscuriores. Prætereundum non est lunã interlunio atq; plenilunio semper esse in circuli deferentis summa absside, medijsq; temporum horum spatijs, in ima. Et celeriorem in summa esse, in ima tardiorem. Nam donec sidus in exortum meat, absides parit celeritate in occasum nituntur. Ita fit ut ipsum mensibus singulis bis eas percurrat. Sol semper medius inter illas lunæq; globum est.

DE DVPLICI RERVM altitudine.

DVæ altitudinum species: quarum altera distantia à terra, uel medio mundi est: altera ab horizontis circulo. Priore modo Sol nubibus, Luna, Mercurio, Venere sublimior. Posteriore feripotest, ut sole altior luna sit, si orientẽ eo ipsa in medio cœlo cernatur Ex his manifestum est errantia sidera quinque modis scandere ac descendere. Namq; à terra sursum eunt, quum in circuli deferẽtis absida superiorẽ pellunt tur: et quando in supremã epicycli partem abeunt. Ab horizonte ad uerticem scandunt, mundi ab oriente ad meridianum circulum motu, obliquo signiferi positu, atq; eius latitudine. Vt Saturni sidus scandere dicitur quum ad summã deferentis seu epicycli absida tendit,

quum ab oriente attollitur in sublime, quãdo ab Ariete ad Cancri signum graditur, & quom ab australi latitudine sursum in arctoam transit. Idem de planetis alijs iudiciũ esto, excepto sole, qui epicyclo ac latitudine caret. Hactenus orbium ratio dicta, extremi, noni, cœli, septenumq; siderum errantium, Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, Lunæ. Volumine sequenti circulos trademus, signiferum, æquatorem, coluros, finientem, meridianum, lacteum, quos maiores nuncupamus. Inde tropicos duos arcticosq; quatuor minores. Postremo παραλλήλους siue æquidistanteis, obliquos & per axem ductos.

IOACHIMI FORTII RINGELBERGII ANdouerpiani Institutionum Astronomicarum Liber tertius.

DE PARTIBVS CIRCVLORVM.

LIbros duos absoluimus: quorum prior sphæræ, ac mundi leges declarat: posterior orbium, stellarum, absidum. Hic circulorum ratio tradetur, tam studio/

studiosis necessaria, ut si ea desit, uix ullum autorẽ intelligas. Quid circulus sit, ante in orbium descriptiõe admonuimus. Eum in signa duodena partiũtur. Signũ deinde in tricenis portiones, quas tum partes, tum à solis gressu gradus nominant, quod quotidie tantum ferè cœli percurrat. Gradum siue partem in sexagena minuta, quæ in tertia, quarta atq; id genus sectiões deinceps diuidunt. Totus ergo circuitus parteis tercentũ & sexaginta continet: semicirculus, centum & octoginta: eiusdem quadrans nonagenas. Quos numeros ob usum frequentem, diligenter memoria repetere, ac tenere debemus.

DE MINVTIS horarum.

DE æquatoris aut circulorum minutis dictum. Verum alia horarum sunt, quas in portiones itidem sexagenas partimur. Nam quum quotidie totus æquinoctialis, uel mundus exoriatur, singulis horis quindecim æquatoris partes oriantur, seu meridianũ orbem prætereant necesse est, & quaternis horarum minutis singuli gradus. Quare horarum minuta maiora, quàm æquatoris sunt. Singulæ enim æquinoctialis partes sexagena circulorum, uel mundi minuta cõplectuntur: sed horarum duntaxat quaterna.

DE AEQVATORE.

CIrculorum alij maiores, qui mundum in parteis æquales eis secant, uel quibus idē cum mundo centrum est: alij minores, qui orbem in parteis inæquales diuidūt. Est et alia in παραλλήλοις siue æquidistantes obliquos et per axē ductos distinctio, de qua posterius agemus. Maiores septē à Græcis traduntur: æquator, signifer, κόλυροι duo, ὁρίζων meridianus, lacteus. Aequator, quem & æquinoctialē appellant, est cuius partes omnes æquo spatio ab utroq; polo distant. Ita duabus de causis nominant: quod sub eo, in quacunque cœli parte sol fuerit, semper æquinoctium sit: & quo sole meante sub illo, dies noctesq; pares in omnibus terræ oris sint. Qua de re Vergilij uersus: Libra die somniq; pares ubi fecerit horas, Et medium luci atq; umbris iam diuidet orbē, Exercete uiri tauros. Hoc ideò fit, quod gentiū omniū finitores, inter parallelos æquatorem solū in parteis æqualeis diuidant, tropicos uerò in portiones impares.

QVARE SVB AEQVATORE bis æstas sit, quatuor solstitia, & duæ umbræ.

GEntes arctoæ æstatem in tropico solstitiali habent, austrinæ in hyberno, & quibus latitudo nulla est, in æquatore. Verum quia circulum æstiuum

Cancri

Cancri sidus solum contingit, æstatem in regione nostra habere consueuerunt, quum sol in Cancro fuerit Et quoniam orbem brumalem tantum Capricorni signum describit, plagis austrinis æstas solum erit, quũ sol in Capricorni sidere fuerit. Atqui æquatorẽ signa duo tenent Aries ac libra, quæ in media mundi parte altißima sunt, & per utrunq; horizontis recti polum id est, capitis uerticem, & punctum huic aduersus ferũtur. Proinde quũ in Arietis principio sol fuerit, æstatẽ habebunt, quando nobis æquinoctiũ erit, solisq; globus illis cõsistere uidebitur. Vnde et in eos signo solstitium ijs esse dicimus, ita appellatũ, quod sol in reditu, cũ altius scãdere nequit, uideatur stare. In libræ quoq; initio, & æstatẽ, & solstitiũ generibus ijsdem esse. In æstiuo uerò tropico, ac hyberno brumã at solis stationem. Itaq; sub æquatore bis æstum, totiesq; brumam, et solstitia quatuor haberi manifestum est. Duas quoq; in eo cœlo umbras cerni, dextram ac sinistram, hoc est, arctoam austrinamq;. Sole enim meante per Cancri sidus umbras iaci contingit, quæ in Austros procurrunt, has uocamus sinistras. Per Capricorni per gentes ad ἀγκτους quæ appellantur dextræ. Aequinoctio utroque plane nullas haberi. Hæc umbrarum in re lio mundi ratio est, sed meridianas intelligi uelim. Matutinas enim uespertinasq;, quas plerique tradidere, &

aliarum diei partium umbras, cum oris alijs communes habent. Nec quenquã adeò stupidum reperiri puto qui mane eas in occasum, uespere in exortum iaci ignoret. Quorsum igitur tradimus quæ quisq; ante oculos sine præceptionũ ambage uidet ac intelligit? At nõ omnes nouere, quas medio die plagas in unoquoq; terræ situ spectent: nam hæ modo in Septentriones, modo in Austrũ procedunt, matutinæ uerò solum ad occasum. Ad signiferum transeo.

DE SIGNIFERO, AC STELLARUM defectibus.

HVnc Græci ab animalibus zodiacum appellant nos autem à signis in quæ diuiditur, signiferum atq; ab obliquitate orbem obliquum, sub quo septem stellæ errantes ferũtur. Duæ obliquitatis causæ apparent. Altera, ut erraticæ stellæ facilius nitantur aduersus motum extremi orbis. Altera: ut eædem nunc in austrum nunc in aquilonẽ proficisci queant, & omnes terræ incolas inuisere: alioqui enim nulla rerum esset uicissitudo, nulla æstatis hyemisq; cõmutatio. Lõgitudo huicpartium tercentum & sexaginta est: latitudo quæ alijs nulla, duodecim, intra fines enim hos siderum euagatio ferè continetur. Vtranq; Manilius sic definit:

Sed nitet ingenti stellatus baltheus orbe
Insignemq; facit cœlato lumine mundum.

Et ter

Et ter uicenas parteis patet atq; trecentas
In longum, bis sex latescit fascia parteis.

Orbem hunc in octo & uiginti sectiones inæquales diuidunt, quas Lunæ mansiones appellant: quarum prima initium in Arietis parte nona habet. Quum in ea Luna est, & aëra esse temperatiorem ferunt, et tutius aut fortunatius iter uiatoribus. Secundã aridæ esse naturæ arbitrantur, & nauigantibus pericula protendere. Longum esset earum omnium naturas proferre, reliqua in Horoscopo dicentur. Per media signa linea, ducitur, quàm Græci à defectu ἐκλειπτικὴν uocant: nos solis uiã, quia nunquam ab ea digreditur. Hic commode stellarũ defectiões siue ἐκλείψεις tractabũtur: & primum solis dignioris rerum naturæ partis. Hũc occultari constat, quum in coitu aut interlunio tres, de quibus ante scripsimus, globi in una dimetiente fuerint mediaq; Luna. Priusq; tegi partem solis, quæ spectat occidentem, inde medium globi, postremo portionem, quæ orientem prospicit. Ex his colligitur solem prius auferri eois mundi plagis, atq; inde paulatim defectũ transire in occidentem propter mundi motum, qui ocyor est, quàm Lunæ cursus per orbem signorum. Hanc porrò deficere, quãdo diametro à sole absistit, circa signiferi mediũ decurrens. Id nunquam fieri potest nisi plenilunio, quũ terræ interpositu sol Lunæ auferatur.

Neq; semper tota latet, sed aliâs dextra siue arctoa, aliâs sinistra globi portio, tantoq; ampliùs, quanto longius à signiferi polis abfuerit. Quod quia non nisi nocte cernitur, eas solum defectiones prædicere consueuere, quæ supra terram conspici queant. De utroq; hæc Plinius: Manifestũ est solem interuentu lunæ occultari lunamq; terræ obiectu, ac uices reddi: eosdem solis radios luna interpositu suo auferẽte terræ, terraq; lunæ. Hæc uerò subeunte repentinas obduci tenebras, rursum quę illius umbra sidus hebetari: Neq; aliud esse noctẽ, terræ umbram. Hactenus Plinius. Atqui sol rarius deficit, quàm luna, ut Ciceronis sententia demonstrat: Solis ecleipsis magis mirantur quàm lunæ, quoniam hæ crebriores sunt, ideò quod paruum lunæ sidus ignem tam uastum non nisi raro, atq; terris paucis auferre possit. Si enim magnum esset corpus lunæ, solem sæpissimè tegeret. Quocirca lunæ defectus ubiq; locorum conspicuus est, solis aũt minime. Id intellectu haud difficile erit, si in tabula seu pariete ἐκλείψεως utriusq; typum rubrica depinxeris. Videbis nanq; in lunæ pictura id terris omnibus conspici. Solem uerò in angusto orbis spatio solum, & ueluti puncto deficere. Nunc quia nunquã nisi terræ tenebris luna occultatur: quonam modo hoc fiat exactius cognoscetur, si umbrarum genera tradiderimus. Tres earum figuræ sunt. Nam si

rã,

res, quæ mittit umbram, par lumini sit, columnæ effigies sine fine iacitur: si maior, turbinis recti, crescens in latitudinem: si minor umbra speciem metæ habet, & in mucronem desinit. Stellæ sole superiores deficere non queunt propter altitudinem: nec inferiores, quoniam hæ cum sole meantes ad umbram non perueniunt Vncias lunæ, siue duodecimas diametri partes puncta appellant.

QVO DIFFERANT SOLIS & Lunæ defectiones.

TRibus modis defectus distant. Primum, quod in lunæ defectu extinguitur lumẽ in solis, dũ taxat occultatur. Vnde fit ut lunæ defectus uniuerso orbis appareat hemisphærio: Solis aũt illis, inter quos et ipsum luna interponitur. Deinde lunæ defectio omnibus eodẽ momẽto uidetur: Solis uerò minime. Etenim prius eois post occiduis plagis sol aufertur, quanquam luna sub solis globo graditur ab occidente in orientem. Postremo, quod lunæ defectus tempore omnibus æquo duret: Solis, quoniam maior alijs, alijs minor portio tegitur, nequaquam.

DE ZODIACI SIGNIS.

OBliquitatis signiferi, ac defectuum causas tradidimus. Reliquum est, ut circuli partes exequamur. Signa in quæ diuiditur duodecim sunt. Quorum

Aries,

Aries, Taurus, Gemini uerno tempori adscribuntur: Cancer, Leo, uirgo, æstati: Libra, Scorpio, Sagittarius autumno: Capricornus, Aquarius, atq; Pisces, hyemi. Taurus ab Ouidio auersus nominatur, quod eo modo per aëra incedat: Per tamen auersi gradieris cornua Tauri. Virgo ab Arato Astræa: à Vergilio Erigone: Qua locus Erigonen inter chelasq; sequentes Panditur. Scorpionem duo occupare signa ueteres dixere, & Libram priorem astri eius partem esse. Ouidius:

Est locus in geminos ubi brachia concauat arcus,
Scorpius, & cauda flexisq; utrinq; lacertis,
Porrigit in spatium signorum membra duorum.

Signorũ nomina aliquando per duodecim signiferi partibus æqualibus accipiuntur, ut quum solem esse dicimus in tertia seu quarta parte Tauri. Interdum pro picturis siue simulacris, quæ in ipsis collocantur, quorum aliqua minorẽ zodiaci partẽ occupant, ut Pisces, Aries, Gemini: aliqua maiorẽ, ut Leo, et Virgo. Ea de causa Vergilius in his uersibus: An ne nouũ tardis sidus te mensibus addas, Qua locus Erigonen inter Chelasq; sequentes Panditur, Leonem & Virginem mensis tardos, id est, signa longa nuncupat, Arietis sidus, quum in ipso Luna est, capiti assignatur: Tauri collo: Geminorum humeris, brachijs, manibus. Cancri, pectori, stomacho, pulmoni: Leonis, dorso ac lateribus: Virginis,

Virginis, uentri, uisceribusq; : Libræ, lumbis : Scorpij pudendis : Sagittarij coxis : Capricorni genibus : cruribus Aquarij : Piscium pedibus. Eadem quoq; stellarum errantium domus sunt : Leo Solis, Cancer Lunæ, Gemini ac Virgo Mercurij, Taurus & Libra Veneris, Aries atq; Scorpius Martis : Iouis Pisces, & Sagittarius : Capricornus cum Aquario Saturni. Nam ueteres tradidere, initio mundi sol in leonis signo erat Luna in Cancro : Saturnus in Capricorno : Iuppiter in sagittario : Mars in scorpione : Venus in libra : Mercurius in Virgine.

RADIORVM SIVE ASPECTUUM descriptio.

IN hoc circulo interualla quædam errantium stellarum aspectus siue radios uocant. Vt si sol in Arietis principio & Luna in Cancri prima parte fuerit, Sol aspectu uel radio tetragono eã dicetur contueri. Quatuor radiorum genera : trigonus signorũ quatuor distantia est : tetragonus trium, quæ cœli quadrantẽ efficiunt : hexagonus duorum : & oppositus sex. Primus trianguli forma notatur : secũdus quadrati : tertius astériſci : quartus eo charactere, quo signamus numerum octonariũ. Sic Aries Geminos ac Aquariũ aspectu hexagono conspicit : Cancrum et Capricornum tetragono : Leonem & sagittarium trigono : ex diametro Libram

bram. Pari modo de sideribus aliis quoq; dicendum. Taurus enim proximus huic radijs hexagonis Cancrum atq; Pisces uidet: tetragonis Leonem & Aquarium: Virginem ac Capricornum trigonis, ex aduerso Scorpionem. Vnius aut quinq; signorum interstitium aspectus non uocatur.

IN QVIBVS SIGNIFERI LOCIS maiores quatuor anni mutationes collocauerint: Quæq; super ea rere centiorum sententia sit.

PLinius hist. naturalis lib. 2. quatuor temporum mutationes: solstitiũ, brumam atq; æquinoctium utrunq; in signorũ partibus octauis esse adfirmat, his uerbis: Sol quatuor differentias habet, bis æquata nocte diei. Vere & autumno, & in centrũ incidens terræ octauis in partibus Arietis ac Libræ: bis permutatis spatijs: in auctum die, bruma octaua in parte Capricorni: noctis uerò solstitio in totidem partibus Cancri. Ait æquinoctio solem in mũdi centrum incidere, quod sola æquatoris planicies terræ centrum attingat, tropicus enim uterq; ab eo partibus propè quatuor & uiginti abest. Huius opinioni Arati interpres suffragatur, his uerbis: ἡσὲ σκιὰ τοῦ γνώμονος μετὰ τὴν παραλλάξαι τὸν ἥλιον τὴν ὀγδόην μοῖραν τοῦ καρκίνου, οὐκέτι ἐπεκτείνεται, ἀλλ' ἀναστάται, hoc

hoc est, Gnomonis umbra postquã octauã Cancri partem Sol prætrierit, non amplius extendi, sed contrahi uidetur. De gnomonibus parieti adfixis sermo est, ubi umbra sole descendente minuitur. Nos signa quidem eadem seruamus: uerum æquinoctia duo, brumã ac solstitium in eorum exordio ponimus. Nunc quia modo ocyus, modo segnius ascendit descenditq; signifer, quæ inæqualitatis causa sit, cognoscendum.

DE ORTV ZODIACI.

EXortuum, de quibus identidem scriptores uerba faciũt, duo sunt genera, stellarũ & signiferi: quorum prior in matutinũ, uespertinum, atq; ἡλιακὸν diuiditur: posterior in rectũ & obliquũ. Ascensio recta est, quum maior æquatoris arcus, quàm signiferi exurgit, cuiusmodi est Libræ, Virginis, Leonis, Scorpiõis. Etenim oriente libra, quadraginta æquatoris gradus cum tricenis zodiaci partibus emergunt. Obliquus uerò ortus est, quando pauciores æquinoctialis, quàm signiferi partes finientis circulum prætereunt.

DE SIGNORVM ORTV in orbe recto.

IN medio mundi quædam signiferi partes ocyore incessu, quædam tardiore scandunt. Quippe signa octo æquinoctijs utrinque proxima obliqua oriuntur: reliqua brumæ ac solstitio uicina, recta.

Cum

Cum Ariete, Libra, Piscibus ac Virgine partes uiginti septem & minuta quinquaginta quatuor exoriuntur: cum Tauro, scorpione, leone & aquario undetriginta & quinquaginta quatuor graduum minuta: cum reliquis, partes triginta duæ additis duodenis minutorum interuallis. Ex his manifestum est, illic quatuor zodiaci quadrantes duobus distinctos coluris pari temporis spatio ascendere, & omnia signa diametro distantia æquis temporibus prodire atq; occultari. Quod & Lucanus uersibus his tradit: Non obliqua meant nec Tauro rectior exit Scorpius, aut Aries donat sua tempora libræ. Aut Astræa iubet lentos descendere pisces Par geminis Chiron, & idem quod Carcinos ardens, Humidus Aegoceros: nec plus leo tollitur urna. Quẽ admodũ enim cum Geminis partes triginta duæ ac minuta duodena quotidie exurgũt, ita cum sagittarij signo Geminis aduerso interualla eadem sursum nituntur

DE ORTV SIGNORVM in obliquo orbe.

IN nostro autem cœlo alia ratione signifer conuertitur. Nam quanto ab æquatore, seu medio mundi longius abscesseris, quantoq; axis fuerit erectior, tanto quædam zodiaci partes tardius, quædam ocyus, quàm in medio orbe sursum feruntur. Illic enim arietis sidus duarum paulominus horarum interstitio emergit: in

in; Gala

Gallia, unius: sub arcticis circulis, momẽto. Apud nos ergo recta oriuntur signa omnia à Geminorum fine ad finẽ Sagitarij: nam amplior æquatoris, quàm signiferi portio exurgit. Obliqua ab initio Capricorni ad Cãcri initium, ut breuiter exprimunt uersus:

Recta meant obliqua cadunt à sidere Cancri
Donec finitur Chiron, sed cætera signa
Nascuntur prono, descendunt tramite recto.

Verum hæc exortuum occultationumq; citra æquatorem ratio non eadem in omnibus latitudinis nostræ partibus manet. Quoniã Arietis signum quibusdam in locis uigintiquatuor æquinoctialis gradus secum trahit, in alijs uiginti, sic se, dum ad signiferi uerticem peruentum sit, minuente numero. Eadẽ in sideribus alijs Arieti utrinq; proximis obseruatio est: quorũ exortus tanto celerior, quãto propinquior polus est. Reliquarum uũt zodiaci partium circa libræ æquinoctium, si axem attollas, ascensus assidue tardior fit. In orbe recto dictũ quanta temporis intercapedine singula signiferi astra emergerent: idem & hic faciundum. Sed quia in zona nostra multiformis uariatio est, neq; simili modo surgunt in Hispania, Gallia, Germania: ist hæc Lutetiæ urbi, cuius latitudinem partium octo et quadraginta esse accipimus adaptare libet. In ea donec Arietis ac Pisciũ signa ascendunt, mundi quatuordecim partes et quin-

quagena minuta exoriuntur. Cũ Tauro atq; Aquario duodeuiginti partes, unũ & quinquaginta minuta. Cũ Geminis & Capricorno, uicenæ septenæ partes, ac uiginti sex minutorũ interualla. Cum Cancro & Sagittario, partes triginta sex et quinquaginta octo minuta Cũ Leone & Scorpio gradus quadraginta, ac minuta quinquagena septena Cum Virgine & libra, quadraginta partes, & quinquagintaocto minutorum spatia.

QVO PACTO EX SIGNORVM ascensione in obliquo finitore exortuum spatia orbis recti inueniantur.

EX siderum ortu in nostro situ hoc modo ascensionũ moras finiẽtis recti inuenias. Duorũ signorum diametro distantium gradus cõnectunt, eiusq; numeri coniuncti dimidium, partes quæ cum signis iisdẽ sub æquatore oriũtur, comprehendere adfirmãt. Cum Tauro gradus duodeuiginti, unum & quinquaginta minuta exoriuntur: cum Scorpione quadraginta partes ac minuta quinquagena septena: quibus numeris compositis, quinquagintanouẽ partium, et quadraginta octo minutorũ spatia prodeũt: quæ si in partes duas diuiseris, sub æquinoctiali circulo cũ Tauro, undetriginta partes, & minuta quinquaginta quatuor exoriri cernes: totidemq; cum Scorpione. Cum Ariete quatuordecim partes & quinquagena minuta oriri dictum:

ctum: cum libræ signo, quadraginta gradus, & quinquaginta octo minuta: quibus iunctis, partes quinquaginta quinq; ac quadraginta octo minuta colliguntur. Quæ si in duas portiones seiunxeris, cum Arietis ac libræ signis uicenas septenas parteis et minuta quinquagena quaterna in medio orbe oriri reperies. In recto orbe signorum ortus inæquales efficit obliquitas signiferi: in obliquo uerò, zodiaci ac horizontis.

DE SIGNIFERI ORTV sub circulo arctico.

SVb zodiaci polo, ubi maior quàm ante habuimus rerũ istarũ uariatio est, ita signorũ zona uertitur. Quũ in Arietis parte prima sol fuerit, signa tria arietem, Taurum, Geminos, uelocissime eum sequi cõstat: Cancrum, Leonem ac uirginem, tardissime, diemq; horarum duodecim haberi. Nocte tarde ascendere libram Scorpionẽ, Sagittariũ: at celeriter Capricornũ, Aquarium, Pisces. Quando in cancri initio sol est, mane hoc est media nocte signa omnia cum septem sideribus erraticis in finitoris orbe delitescere: circumactuq; mũdi repente, & momento propè temporis simul sursum tolli Capricornum, Aquarium, Pisces, Arietem, Taurum, ac Geminos: quod temporis punctum pro nocte habuere. Horis uiginti quatuor sequentibus reliqua emergere. Quõ igitur sol in æstiuo tropico meauerit,

horarum uiginti quatuor diem haberi, nullamq; noctẽ aut si mauis momentum, quo sex signorum spatia prodiere. pro nocte manifestũ est. Quippe in omnibus terræ locis nocturno tempore sex signa, & totidem diurno oriri debent. In libra rursus æquinoctium esse, atq; à sexta hora orientem solẽ libram, Scorpionem, atque Sagittariũ gradu lento insequi: occyus Capricornum, Aquarium Pisces. Occidentem celerrime Librã, Scorpionem, Sagittarium: tardißime Capricornum, Aquariũ, Pisces. In hyberno circulo (ubi nobis bruma, atq; breuißimus dies est) posito sole, meridie seu mane signa omnia rursum cum stellis errantibus in termino uisus cõsistere. Deinde mundi abitu sex repente attolli Capricornũ, Aquarium, Pisces, Arietẽ, Taurum, Geminos: qd' momentũ illis dies est. Horis uicenis quaternis, quas nox perpetua occupat, reliqua exurgere. Isthæc dierũ noctiũq; uicißitudo sub arctici circuli situ est, qui ab æquinoctio partibus sex atq; sexaginta abstitit, ab axe uiginti quatuor. Verum quum eò uentũ sit, altius progredi iuuat, quæq; istiusmodi rerum facies inter hunc quem modo descripsimus locum, & mundi uerticem sit, contemplari. Hæc alijs minore cura prodita sunt, remq; pulcherrimã in qua poëtæ summi summo conatu elaborarunt, uix attigere. Proinde nobis accuratius tractanda.

DE

DE SIGNORVM ORTV INTER arctidum circulum & polum mundi.

IN hoc ſitu ſigniferi partes æſtiuo tropico uicinas ſemper eſſe conſpicuas conſtat, æquatori propinquas exurgere atq; occidere: circa brumalẽ tropicum tractus lõgos ſub finitore perpetuo occultari. In Arietis principio ſole conſtituto, orientem eum præpoſtere ſiue cõuerſo greſſu ſequi Piſces ac Aquarium: inde aliter Leonem Virginem. Vbi ad occidentem ille deuenerit, ſigna ſex quorum aliqua nunquam occidunt, reliqua eo die exorta ſunt, ſupra terram cerni. Circa æſtiuum tropicum donec ſigna, quæ nunquam occultãtur, ſol peragrat, lucem perpetuã ſine nocte haberi. Si portio partibus tricenis conſtet, menſis unius effici diem: ſi ſexagenis, duorũ: ſi nonagenis, trium. Autumni æquinoctio, mane libram atq; Scorpionem ordine recto ſurgere: inde Taurum & Arietem conuerſo: diemq; horarum duodecim eſſe. Brumalem circulum luſtrante ſole ſpatia eadẽ noctium eſſe, quæ in Cancro dierum. Si ſigna duo ſub finitore lateant, menſium duorum effici noctem ſic deinceps, ſicuti in ſolſtitiali tropico de dierũ ratiõe narrauimus. Quare fieri poteſt, ut luna oriatur ante ſolẽ, & multò poſt eum occidat, ſi illa in Tauri, hic in Piſciũ ſiue Arietis initio fuerit. Hinc ad mundi uerticem uenimus.

DE SIGNIFERI CIRCVMactu sub Polo.

HIc nulla mũdi pars exoritur nullaq; occidit, præter septẽ stellas quos planetas uocauimus, æquatorem nanq; in horizonte habent. Lunæ sidus mensibus singulis non nisi semel oritur: Saturni, tricenis annorũ spatijs: Iouis duodenis: Martis, binis: Solis, Veneris ac Mercurij singulis. Hi enim semper cum sole cœli conuexitatem, quo rerum naturæ domino nusquam comites desint, peragrant. Peruulgatum quidem id est, à uerno æquinoctio ad autumnũ diem haberi: reliquis anni mensibus noctem: ijsq; annos dies naturales esse. Non nisi in Arietis signo planetas ijs oriri posse: nec nisi in libra occidere. Solis altitudinem nunquam maiorẽ partibus quatuor & uiginti etiam in Cancro cerni. Atq; in eo signo lunæ sidus propter utrunq; latitudinis defluxum: aliâs esse quinis sole partibus sublimius, aliâs totidem depressius. Hæc terræ pars, si terra sit, latitudinis nomen non amittit, eamq; amplissimam sortita est: lõgitudinem, siue à fortunatis insulis distantiã planè nullam habet, propter orbium meridianorũ in uertice concursum.

DIERVM AC NOCTIVM longitudinem bifariam posse deprehendi.

Duobus

DVobus modis diurna nocturnaq; spatia inueniri posse haud dubium est: signorum ortu, & parallelorũ, de quibus infra loquemur, sectione. Singulis diebus noctibusq; signa sex zodiaci oriri, atq; occidere diximus. Proinde si partes diurnæ tarde emergãt longiora dierum spatia esse: si celeriter, breuiora necesse est. Nam, autore Plinio, recta in exortu suo quæ consurgunt signa longiore tractu tenent lucem: quæ uero obliqua, ocyore transeunt spatio. Quapropter solstitio dies longissimos haberi apparet, quod eo tẽpore Solem sequantur omnia sidera, quæ in obliquo orbe tarde incedunt: bruma breuissimos, quod citò oriãtur insequanturq; eum reliqua. Aequatoris ergo partes omnes, quæ cum signis sex Solem sequentibus oriuntur, colligẽdæ, numerusq; totus in portiões quindecim distribuendus, ad hunc modum. Solstitio à solis ortu ad eius occasum sidera sex oriuntur: Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, cumq; ijs mundi seu æquaris partes bis centum triginta septem ac minuta quadraginta sex: qui numerus ferè sex atq; decẽ horas efficit. Aequinoctio utroq; cum signis diurnis nocturnisq; partes centũ octoginta emergunt: quæ æqua dierũ noctiumq; spatia complectuntur. Bruma eo modo horarũ octo diem esse comperies. Eadẽ ex circulis sic deprehendas. Sol anno tercentum sexaginta quinque

παραλλήλους siue æquidistãtes orbes depingit, interq; tropicos centum octoginta duos. Horum circus qui supra terram uisuntur dierum moras continent: qui infra, noctiũ. Quo circa utroq; tropico in horas uiginti quatuor descripto, facile quot in circulis his horarum sectiones supra infraq; finientem consistant, uideris. Ante tamen sphæræ axem ad latitudinis gradum attollas oportet. Cum ea quippe orbiũ horum in finitore dissectio mutatur.

DE ORTV MVNDI.

Diximus capite superiori per uniuersum orbẽ, et totũ anni circuitũ singulis diebus noctibusq; sex oriri zodiaci signa, et totidẽ occidere: uerũ de signiferi partibus nõ æquatoris loquebamur, de quibus hic dicendũ nõnihil. Basileæ æquinoctio sex mũdi signa inter solis emersum occasumq; oriũtur: bruma uix quatuor solstitio ferè octona. Quod hac ratiõe colligimus. Singulis horis quindecim æquatoris siue mũdi partes exurgũt: binis tricenæ: quaternis, signa duo. Quãdo igitur dies sex atq; decẽ horis constat, qd̃ solstitio fit, necesse est, ut inter solis ortũ et occasum signa octo oriãtur: bruma quatuor: æquinoctio sex, hoc est, dimidium mundi.

DE COLVRIS.

Septem circuli sunt, quos Græci nostriq; maiores appellant, duos illorum absoluimus. Coluri, circuli

culi duo sunt per mũdi uertices ducti, quorũ alter æqui noctia, alter brumam & solstitium contingit. Nomen ab imperfectione inditum, quod nunquam integri nobis exoriantur. Partes enim austrino polo propinquæ semper occultæ sub terra delitescunt. Hi duo signiferum, æquatorem, atque adeò cœlum totum in parteis quatuor secant. Inq; horum altero alterni solis reditus longißimiq; ab æquatore discessus omni æuo hærent: in altero æquinoctia. Quotidie bis uterq; sub meridiano consistit. Hi temporum siue annorum mutationes quatuor in signifero signant: æquinoctia duo solstitium ac brumam.

DE FINIENTE, MERIDIANO. ac duodecim mundi domicilijs.

QVem Græci horizonta, eundem haud ab simili modo, et finientẽ et finitorẽ nominamus circulum, qui conspectã mundi partem ab inconspecta dirimit. Hic sub æquatore rectus, alibi obliquus dicitur. Finitores inter ortum & occasum, Austrũ ac septentriones, & quascunq; mundi oras mutantur, neq; urbes plures eundem finientem habent. Alia orbium meridianorum ratio, qui non nisi inter uertices ijdem seruantur. Meridianus circulus est, qui per mundi atq; horizontis polos ducitur: in quem cum sol inciderit supra terras, medios dies efficit: infra, medias noctes.

Hic et finitor mundū uniuersum, quē ad modū κόλουρον in quatuor parteis diuidunt, uerum nō mouentur. Meridiani nō nisi inter ortum atq; occasum mutantur & ob id eodē temporis momento medio dies mediasq; noctes habent illi, quibus æqua lōgitudo est. In ortu solis est uarietas. Quum enim hic per signa arcto gradiatur, polo uicinioribus dies productior, quàm circa æquatorem est: igitur & prius orientem cernunt solem Vt Corsicā & Sardiniā insulas meridianum eundem habere neminem latet: illāq; quæ ampliore latitudine est dies lōgiores. Quamobrem prius in Corsica quàm Sardinia mensibus æstiuis sol uisitur, tardius uerò hybernis. Circuli duo finitor ac meridianus, de quibus modo uerba fecimus, orbē totum in parteis quatuor dissecāt, quas in alias tres æquas portiones, ut duodecim habeantur, nos partimur. Hæ cœli domus nominātur. Quarum primæ inutium, finientis pars ea est: quartæ, meridiani arcus, qui sub terra latet: septimæ, finitoris portio occidua: decimæ, meridiani pars australis, quæ supra terrā cernitur. Domorum tres formæ anguli, succedentes, & cadētes. Anguli sunt, domus prima quarta, septima, ac decima. Succedentes, quæ angulos sequuntur: secunda, quinta, octaua undecima. Reliquæ cadentes appellantur. Itaq; sexta domus, ut poëtæ, inquiunt, cadens est. Prima uitæ rationem significat,

secunda

secunda opum, tertia fratrum, quarta parentum, quinta sobolis, sexta morborum, septima nuptiarum, octaua mortis, nona itineris, decima actionum, undecima amicorum, duodecima inimicorum. Quo domorum usum intelligas, Platonis genesim adscribam. Aiunt in domo prima Martem, Mercurium ac Venerem fuisse: in secunda, Solem: in quinta, Lunã: Iouem in septima, siue occasu: in nona, Saturnum. Hic Libræ signum lustrabat, Iouis stella, Leonem, πυρόεις, Lucifer, σίλβων Aquarij sidus, Sol Piscium, Luna Geminorum, horoscopus in Aquario erat. Eam cœli faciem significare existimant uirum, qui eloquentia admirabili polleat. Hinc ad institutum refert se oratio.

DE LACTEO ORBE, ET quatuor minoribus circulis.

Postremus orbium maiorum, & solus inter alios conspicuus est lacteus, de quo ueterũ aliquot sententias non iniucundas recensebo. Theophrastus hunc esse compagem aiebat, qua de duodus hemisphærijs cœli sphæra solidata sit. Et Ouidius in libris Metamorphoseon semitã uocat, quæ ad ædes Iouis ducit. Est uia sublimis, inquit, cœlo manifesta sereno Lactea nomẽ habet cãdore notabilis ipso. Hac iter est superis ad magni tecta tonantis. In eo sidera hæc sunt: Telum, aquila, Sagittarij arcus, Ara, pedes quatuor Centauri, Argo nauis

nauis, Canis caput, ὠρίωνος manus dextera, Erichthonius uel Auriga cum Capra humero ibidiēte, πορ σεύς, καοσιέπεια & Cycnus. Idem in coluro, qui per æquinoctia trahitur, utrinq; ferè arcticos circulos attingit. Maiores orbes, aut (ut alij uolunt) maximos absoluimus. Minores dicuntur, qui mundum in portiones impares secāt: aut quibus non idem est cū mundo centrū Sunt autem quatuor: arctici duo ac totidem tropici. Veteres præsertim Græci arcticū uocant circulum, qui sidera omnia nunquā occidentia continet, quē Proclus in Græciæ regione à priore Helices pede describi adfirmat. Alterū huic aduersum, antarcticum, qui tractus mundi nobis occultos cōplectitur. Vtrunq; aiunt pūcto solum horizonta contingere: &, si ad æquatorē procedas, minui: si ad Aquilonem, augeri. Verum recentiores arcticos appellāt orbes, quos signiferi poli circū mūdi uertices efficiunt. Tropici circuli duo: æstiuus uel solstitialis, quem die longißimo: et brumalis uel hybernus quē bruma sol mundi circūactu peragit. Nomen uterq; habet à conuersione, quod ab illis solis sidus ad alteras terrarum plagas se uertat. Aestiuum orbem Aratus in Græcia ita diuidi à finitore ait, ut circulo toto dissecto in octo partes, quinq; supra terram uisantur, infra terram reliquæ sint, Eius Versus à Germanico Cæsare latini facti hi sunt:

Hunc

Hunc octo in parteis si quis diuiserit orbem,
Quinq; super terras semperfulgere notabit,
At tres sub terris breuibusq; latere sub umbris.

Hoc Cancrum tetigit quum Titan orbe, timete Aestatem rapidam, & soluentes corpora morbos. Qui numeri horarum quindecim longissimum in eo tractu diem esse, noctem uerò nouem demonstrant: quoniam partes singulæ horas ternas complectuntur. Arati interpres Hellesponto istæc esse acommodata ait, hisce uerbis: πρὸς τὸ κλίμα τοῦ ἑλλησπόντου καὶ λακεδαίμονος δοκεῖ τῶν φαινομένων πραγματείαν συνθεῖναι, Brumalem tropicũ Prudentius arctum nominat quod partem in finiente nostro angustã relinquat: Quid est, inquit, quod arctum circulum Soliam recurrens deserit?

Ad Hellesponti ac Lacedæmonis clima Phænomena uidetur composuisse.

ALTERA CIRCVLORVM DIuisio, ac eorundem distantia.

Circuli omnes alio modo diuiduntur in parallelos siue æquidistantes, obliquos, & ueteres ductos. Aequi distantes circuli dicuntur æquator, tropici duo, ac totidem arctici: quibus ijdem cum mundo poli sunt. Obliqui, signifer, finiens, & orbis lacteus, qui oblique inter uertices trahuntur. Per polos ducti, reliqui Itaq; apud Græcos Latinosq; scriptores duplex circulorum partitio est. Prior in maiores uel maximos septem

tem, & quatuor minores. Posterior in parallelos quinque, obliquos treis, totidemq; per uertices siue axem ductos. In medio mũdi paralleli omnes, æquatores sunt. Circulorum autem distantiam non omnes eandem tradidere. Proclus qui arcticos orbes crescere atq; minui ait, ita eam in Græcorum climate depingit. Dissecto in parteis sexaginta meridiano quouis circulo, arctici orbes utrinq; à uertice sexagesimarum partium sex: & ab utroq; tropico quinq; interuallo absistent. Aequator uerò à solstitio brumaq; partibus quatuor. Vnde Manilius ad Augustum Cæsarem:

Circulus ad Boream fulgentem sustinet Arcton,
Sexq; fugit solidas à cœli uertice parteis,
Alter ad extremi decurrens sidera Cancri,
In quo consumit Phœbus lucemq; moramq;,
Tardaq; per longos circumfert lumina flexus,
Aestiuum medio nomen sibi sumit ab æstu,
Temporis & titulo potitur, metaq; uolantis
Solis & extremos designat feruidus actus.
Et quinq; in parteis Aquilonis distat ab orbe.
Tertius in media mundi regione locatus
Quatuor & gradibus sua fila reducit ab æstu.

Nos utrunq; tropicum ab æquatore partibus uiginti quatuor abesse dicimus: & ab eodem arcticos distare gradibus sexaginta sex, à polis quatuor & uiginti.

QVO-

QVOMODO IN QVAVIS REgione circulorũ distantiam ueterum more in sphæra depingamus.

MAiores Græci quemadmodũ ex Arato, Proclo & Manilio discimus, in suo orbe cœli aut mundi positum, quo temporum uicissitudines perspicerent, obseruauere. Prodẽdum ergo qua solertia etiam nos in quouis tractu naturæ ipsius inditio eadem eruamus. Ex Ptolemæi aliorúmue autorum, qui terræ partes descripsere pictura, urbis, promõtorij, aut loci cuiuspiam latitudinem sumptam in sphæra eodem à uertice interstitio, puncto signabimus. Inde circini pede altero posito in uertice mundi, altero in horizõte siue nota latitudinis circulum describemus arcticum, sed ueterum iudicio, qui ipsum sidera omnia nunquam occidentia aiunt continere. Eius à cœli axe interuallũ, non aliud est, quàm polorum altitudo: nec aliud, quàm loci distantia ab æquatore. Iccirco Louanij ἀφετικὸν orbem una atque quinquaginta à uertice partibus abesse dicimus: quoniam tanta in ea ciuitate & polorum à finiente: & urbis ab æquatore distantia est, quæ spatia semper æqua sunt. In Creta circulus idem à polo abest partibus triginta quinq;. In Andro una Cycladũ insula, quæ fabulæ Terentianæ nomen dedit, triginta octo. In Phæacũ situ, & Epiro, totidem. Carthagine

thargine Aphricæ urbe Siciliam contuente, duabus & triginta. Ἀντάρκτικὸν haud magno labore depinxeris: æquis enim spa. ijs uterq; à suo uertice abesse debet, ac semper capacitate æquali mundũ cingere. Si hos graduum numeros in sexagesimas partes uertere lubet, arcticus circulus Louanij ab axe distabit octo partibus cum sextante, à Cancro duabus & semisse, id est gradibus quindecim. Quæ sidera his circulis continentur, facile inuenias. Andouerpiæ, cuius latitudo est partium circiter duarum & quinquaginta, intra arcti cum circulũ sunt Cynosura, Draco, de quo Vergilius: Maximus hic flexu sinuoso elabitur anguis, Circum perq; duas in morẽ fluminis arctos. κηφεὺς, κασσιέπεια, maior Persei atq; Cycni portio, manus ac pedes cadentis Andromadæ, Erichthonij siue Heniochi humeri cum Capra ijs insidente, Helice propè tota, Βοώτου caput cum leua manu solum: nam Arcturus occidit: Herculis pedes, ac Lyræ uertex. Intrà circulũ antarcticum pars notij Piscis, Sagittarij pedes, Corona austrina, quoniam & altera Cnosia siue Arctoa est, Ara, Fera penè tota, Centaurus capite excepto: Argo præter malum, Reliqua oriuntur & occidunt quotidie. Tradidi qua uia circulorũ intercapedinem in sua quisq; regione deprehendat. Quippe non satis esse arbitrabar aliorum scripta nos perdiscere, nisi & ipsi

præcep-

præceptionum adiumento similia scrutemur. Sed finis sit. Libros tres absoluimus, quorum primus sphæræ mundi, atq; musarum rationẽ docet: secundus orbium, stellarum, absidum: tertius circulorũ, defectuũ et dierũ. Hæc omnia quãtum ad literas politiores cõducant, apparebit, si in manus sumas Ciceroñis libros de uniuersitate, de natura deorum, de diuinatiõe ac Somnium Scipiõis: Vergilij Georgica, Ouidij Fastos, Metamorphoseon, Tristia, Pontum, Epistolas: Plinium, Lucanũ, Aratum, Proclum, Manilium: Ptolemæum, Pontanũ, atq; id genus autores innumeros. Præterea si quis omnia, quæ in his libris sunt longo usu atq; meditatiõe intellexerit (dicã id quod certò scio, quod omnibus horis experior) etiãsi stipes, saxum, aut plumbũ fuerit, tot rerum miraculis mouebitur ad altiora, & dulcissimo gaudio ad mortem usq; perfruetur. Iudiciũ hoc principio inane uidebitur illi, qui hæc non gustauerit: uerum ubi cœleste illud et dulce nectar imbiberit, censebit nõ solum me nihil nimiũ huic cognitioni tribuere, sed etiã fieri nõ posse, ut omnia secula & oẽs regiões, etiãsi omnes simul nitãtur, magnitudinem rei exprimãt. Terra punctus ac orbis centrum est, quid igitur homo, qui ad terrã non est, quod formica ad hoiem, de mundo queat proloqui? Pectus meum adeò impleuit hoc gaudium, ut plerunq; aut ubi sim, aut quid agam prorsus ignorem

Sæpe præ lætitia totus intus ardeo, rubẽt oculi lachrymæ excidũt, deinde animus ad cœlũ proficiscitur, ibiq; manet per spatium penè duarum horarum: post reuersus corpus rigidum, & tantum non exanimatum reperit. Labores multos perfero, sed laborãti hæc magna consolatio est. Eodem impetu cor meum mundus concitat, quo Solem & Lunam secum uehit per aëra, quo Oceani exanime corpus nunquã sinit quiescere. Intra pectus mundi molem agitari sentio, oriri Solem, crescere Lunã, omnia circum axem uerti, deniq; lucidissimas aquas per terræ pilam currere, & secum ferre nauigantes. Felices illi, quibus in hac mortali uita cœlo frui datum est.

IOACHIMI FORTII RINGELBERGII ANdouerpiani in Institutiones suas Astronomicas annotationes.

QVOD Theodosij finitio) Theodosius autor Græcus libros aliquot de sphæris cõscripsit, in quibus huiuscemodi præceptiones sunt. Si sphærã plana superficies cõtingat, id puncto duntaxat fieri. Itẽ multis in sphæ-

in sphæra circulis ductis, maximum ex ijs esse, qui centrũ attingit. Et circulos sphæræ maiores omneis sese nõ nisi in portiones æquales diuidere. Isthæc Theodosius scripturus, optime eã corpus esse ait, cuius omnes in circuitu partes spatio æquali à centro absistant. Descriptionẽ hanc nostri negotium longe aliud tractantes operibus suis præfixerunt. Περίσκιοι) Periscij nominantur omnes, qui in zonis frigidis, uel intra arcticos circulos sunt. Sic uocatiquod illorum umbræ in orbem circumagantur. Ab æquinoctiorũ notis) Aequinoctium hic accipitur pro initio Arietis uel libræ octaui ac noni orbis. σχεδὸν γὰρ τέταρτον μέρος ζῳδίου) Aituix quartam Argus partem supra terram apparere, atq; ideò Canopũ cerni nõ posse, utpote qui in infima signi portione sit, hoc modo:



Ita ut axis cum termino caudæ) hoc est, cum duabus stellis, quæ sunt in fine caudæ Vrsæ minoris.


Siderũ tam errantiũ q̃ fixorum
Longitudo
Latitudo
Declinatio
est earũ distantia ab
Initio Arietis.
Mediũ signiferi.
Aequatore.
Terrarũ
Longitudo
Latitudo
est earũ distantia ab
Insulis fortunatis.
Aequatore.
Exortus, de quo passim autores scribũt, duplex,
Stellarum
Fixarum
Matutinus.
Vespertinus.
ἡλιακός
Errantiũ
Matutinus.
Vespertinus.
Lineæ ecliptice
Rectus, siue tardus
Cancri.
Leonis.
Virginis.
Librę.
Scorpionis.
Sagittarij.
Obliquus seu uelox
Capricorni.
Aquarij.
Piscium.
Arietis.
Tauri.
Geminorum.


Stellas fixas
Oriri ortu
Matutino
Vespertino
Heliaco
est oriri
Mane cum sole.
Vesperi sole occidente.
E radijs solis.
Occidere occasu
Matutino
Vespertino
Heliaco
est occidere
Mane sole oriente.
Vesperi cum sole.
Propter accessum & fulgorem solis.
Erraticæ stellæ dicũtur
Oriri ortu
Matutino
Vespertino
Quãdo incipiũt uider
¡Mane ante ortũ solis.
Paulò post solis occasum.
Occidere occasu
Matutino
Vespertino
Quãdo incipiũt occultari
Mane ante ortũ solis.
Ab occasu solis

ORBES SATVRNI, IOVIS, Martis, & si epicyclum demas, Solis.



A epicyclus, B centrum deferentis, C centrum mundi, D summa deferentis absis, E ima.



C est statio matutina Saturni, Iouis & Martis: uespertina uerò Veneris ac Mercurij. D superiorum stellarum uespertina statio est, inferiorũ matutina. Lunã stare non dicimus, propter celerem epicycli motum.

Græcorum interpretationes.

Κλειώτ' εὐτέρπητε θάλειάτε μελπομένητε,
Τερψιχόρητ' ἐρατώτε πολύμνιάτ' οὐρανίητε
Καλλιόπηθ' ἡδὲ προφερεστάτη ἐσθ' ἁπασάων

Clioq́;, Euterpeq́;, Thalia, Melpomeneq́;,
Terpsichoreq́;, Erato, Polymniaq́;, Vranieq́;,
Calliopeq́;: hæc longe alias præponderat omneis.

Νύμφαι καςάλιδες πρᾶσιον αἶπος ἔχοισαι.
Nymphæ Castalides Parnasi culmen habentes.
ἄτλαντος θυγάτηρ ὁλοόφρονος, ὅςε θαλάσσης
Γάσης βένθεα οἶδεν, ἔχει δέτε κίονας αὐτός
μακρὰς, αἱ γαῖάντε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔψουσι.
Magnanimi Atlantis proles, quem nulla profundi
Ponti abrupta latent. longas habet ipse columnas
Queis terram, & pariter cœlum sustentat utrinq;.
ἔχει γὰρ ὁ οὐρανὸς ζ'. ζώνας οὐκ ἐπιψαυούσας τῷ ζω
διακῷ, ὧν τὴν μὲν πρώτην ἔχει ὁ κρόνος. τὴν δὲ
δευτέραν. ὁ ζεὺς τὴν δὲ τρίτην ὁ ἄρης. τὴν δὲ τε=
τάρτην ὁ ἥλιος. τὴν δὲ πέμπτην, ἡ ἀφροδίτη.
τὴν δὲ ἕκτην, ὁ ἑρμῆς, τῆς δὲ ἑβδόμην ἡ σελήνη.
ὁ μὴ δὴ ζωδιακὸς κύκλος ἀνότερός ἐςι πάντων.
Quippe cœlum septem habet zonas nõ attingentes si
gniferũ. Quarũ primã poßidet Saturnus, secundũ Iup
piter, tertiã Mars, quartã Sol, quintã Venus, sextam
Mercurius, septimã Luna. Supra hos omneis zodia=
cus. οἱ ἀπλανεῖς ὁμοίως ἕλκονται: Inerraticæ stellæ
pari cursu feruntur.
Οἱ δὲ ἄλλοι πέντε πλάνητες ἀναμεμίγμενος δι=
νέυονται, οὐκ ὄντες ὅμοιοι τοῖς προτέροις ἀπλα=
νέσι. Aliæ quinq; erraticæ impari motu conuertun=
tur, cæteris dißimiles.
Οἱ τὴν μὲν, κυνόσουραν ἐπίκλησιν καλέουσι,
τὴν δ' ἑτέρην ἑλίκην, ἑλίκηςε μὴ ἄνδρες ἀχαιοὶ

Εἰν ἁλὶ τετμαίρονται ἵνα χρὴ νῆας ἀγινέειν.
τῇ δ' ἄρα φοίνικες πίσυνοι περόωσι θάλασσαν,
Hæc alijs Cynosura quidem cognomine dicta est.
Altera uerò Helice, Helice nam per mare Graij
Obseruant, curuas liceat qua ducere puppes.
Illa Phœnices fisi magna æquora sulcant.
Πληϊάδας θ' ὑάδας τε, τόν τε σθένος ὠρίωνος,
ἄρκτον θ' ἣν καὶ ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν.
ἥ τ' αὐτοῦ τρέφεται καί τ' ὠρίωνα λοκεύει.
Οἴη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν ὠκεανοῖο.
Pleiadesq; hyadas, robur q; ipsum Orionis,
Atq; ursam, quam currum alij cognomine dicunt.
Vertitur hæc illic, atq; Orionа tuetur,
Ac sola Oceani gelidis non mergitur undis.

Idem in Odyssea:

Αὐτὰρ ὁ πηδαλίῳ ἰθύνετο τεχνήεντως
ἥμενος, οὐδέ οἱ ὕπνος ἐπὶ βλεφάροισιν ἔπιπτε,
Πληιάδας θ' ἑσπερίην τε βοώτην ὀψὲ δύοντα
ἄρκτον θ' ἣν καὶ ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν.
At clauo ille sedens nauim mira arte regebat,
Nunquam corripuit nutantia lumina somnus.
Verum Pleiadas spectat, seriq; Booten
Occasus, Vrsamq; alio cognomine currum.
Πούσιν δ' ὠρίωνος ὑπ' ἀμφοτέροισι λαγωὸς
ἔμμενες ἤματα πάντα διήκεται, αὐτὰρ ὄγ' αἰεὶ

Σείριος ἐξόπιθεν φέρεται μετιόντι ἐοικώς,
Καὶ οἱ ἐπαντέλλει. καί μιν κατίοντα διώκει.
Illius at pedibus lepus incessanter utrisq;
Subiacet, ac pulsus cunctis fugit iste diebus.
Sirius à tergo similis ruit usq; sequenti,
Et simul exoritur, simul insectatur euntem.
Εὖτ' ἂν δ' ὠρίων καὶ σείριος ἐς μέσον ἔλθῃ
Οὐρανόν, ἀρκτούρον δ' ἐσίδῃ ῥοδοδάκτυλος ἠώς
Ὠπέρσῃ, τότε πάντας ἀπόδρεπε οἴκαδε βότρυς
Cum cane si medium teneat nimbosus Orion
Cœlum, atq; Arcturi cernit Pallantias astrum,
Ferre domum dulces tempus tum postulat uuas.
ἠέλιοσθ' ὃς πάντα ἐφορᾶς, καὶ πάντ' ἐπακούεις.
Sol qui cuncta uides, atq; auribus omnia captas. uel
Sol qui cuncta audis, radijs quiq; omnia lustras.

IO. FORTIVS IOANNI TARTESIO, S.

QVò nostrum erga te amorem inuicem cognoscas uir doctißime, has de Cosmographia præceptiones nomini tuo dedicamus, quæ hoc ordine absoluentur. Circa initium nonnulla exponemus quæ ad terræ distinctionem, ac mensuram pertinent. Ea erunt huiusmodi. Quid sint zonæ, quid climata. Qui dicantur amphiscij, periscij, heteroscij. Quid antœci, periœci, antichthones. Mox sequetur terrarum, marium, flu

minum

minum atq; uentorum descriptio. Quæ ad legendos non Geographos modo, uerum autores omneis, qui ullam zonarum, climatum, longitudinis, latitudinis mentionem faciunt, mire conducent. Crebrius ad te humanissime Tarteſi, scripturus sum, & longiore, quàm nunc, epistola. Vale. Lutetiæ quarto Calendas Octobres. Anno M. D. Vigesimonono.

IOACHIMI FORTII RINGELBERGII ANDOVERPIANI Cosmographia.

Quo distent Κοσμογραφία, γεωγραφία, τοπογραφία καὶ χορογραφία.

COSMOGRAPHIAM mundi uocamus descriptionẽ. Hæc tradit polos, πόλους, meridianosq; circulos: atq; ex ipsorum interuallis terrã supposĩtam ijs in zonas & climata diuidit: è polorum siue axis altitudine spatia dierum ac noctium discernit: solis exortus occasusq; demonstrat. Geographia uerò terrã distinguit per montes, fluuios, maria, nulla adhibita circulorum cœlestium ratione. Quamobrem

Cosmogra-

Cosmographicos globos appellare cõsueuerunt, in quibus circuli meridiani, atq; paralleli pinguntur: geographicos, ubi circuli desunt. Topographia loci descriptio est, quando Poëtæ locũ aliquẽ definiunt. Vt apud Ouidiũ de monte Parnaso: Mõs ibi uerticibus petit arduus astra duobus Nomine Parnasus, superatq; cacumine nubes. Chorographia est loci pictura, ut quum urbs aliqua à pictoribus depingitur. Hæc ad pictores pertinet quẽadmodũ topographia ad poëtas oratoresq;. Vnde Cosmographia totũ depingit mundũ, Geographia terram, terræ partem Topographia siue Chorographia ut pictor idẽ nunc hominẽ totũ, nunc caput, nunc aures deliniat.

TERRAM IN MEDIO fixam esse.

TErrã in orbis medio cõsistere experimẽtis haud dubijs constat. Cæterum quid ita globum fixerit admiramur, ut ne semel quidẽ se moueat. Quod si fiat qui circa mũdi axẽ uersamur, gentesq; arctoæ ab ursis duabus dicimur, sub Solis orbitã repente uolueremur. Aethiopes contra ad zonas extremas descenderent. Forsitan terram parens natura quiescere iussit, ne repentina & aëris, & æstus, & rigoris cõmutatio mortalium genus, quò nihil est fragilius interimat. Miraculum longe maximum reor tantum esse pectoris humani stuporem, ut neminem admiratio ista rapiat.

DE

DE TERRAE AC aquæ forma.

TErræ forma non alia quàm mundo est. Nam ab æquinoctio ad Aquilonem eũtes paulatim attolli polum uident, sideraq; austrina occultari, eò solum, quod spatia media intumescant. Discedentes uerò ad Austrũ signa austrina pari modo exurgere, arctoaq; deprimi cõspiciunt. Inter ortum atq; occasum nõ stellarum altitudo, sed defectio formã indicat. Quippe lunæ defectus alijs quarta hora, alijs quinta, siue sexta, quum eodem omnibus tempore fiat, cernitur. Proinde quod non unò momento uniuerso orbi meridies sit, media nox, cæteraq; dierum horæ, id globi tumor efficit. Quoniam Solem non simul omnes exorientem cernũt: sed prius Persæ, inde Græci, & Itali, postremo Hispani. Vnde fit, ut singulis horis omnes dierum horæ simul sint, sed in locis diuersis. Quando enim nobis est meridies, alijs hora prima est, alijs secũda, alijs tertia, quarta, media nox. Aquæ tumorem duæ docent rationes. Altera, quod nauigio abeunte signa in littore posita uideantur descendere, & tãdem occultari. Quodq; in oceano nihil appareat præter aquã: quum tamẽ ædiliores arbores, si plana ea esset, facile cernerentur. Altera, quod guttæ, ac minimæ partes globi protinus recipiãt formã. Est enim natura homogenij corporis, ut partes cũ toto uim eandẽ habeant.

DE

DE ZONIS.

Zonæ ſpatia ſunt inter circulos minores cõprehenſa. Sunt aũt quinq; frigidæ duæ ſunt mũdi uerticibus, temperatæ totidem, & media torrida ſub ſignifero. De his Ouidius:

Vtq; duæ dextra cœlum totidemq; ſiniſtra
Parte ſecant zonæ, quinta eſt ardentior illis:
Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem
Cura dei, toti demq; plagæ tellure premuntur.
Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu.
Nix tegit alta duas, totidem in utraſq; locauit.
Temperiemq; dedit miſta cum frigore flamma.

Et Vergilius,

Quinq; tenent cœlum zonæ: quarum una coruſco
Semper ſole rubens, & torrida ſemper ab igni.
Quam circum extremæ dextra leuaq; trahuntur
Cœrulea glacie concretæ, atq; imbribus atris.
Has inter mediamq; duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ diuum.

DE CLIMATVM RATIONE.

Clima ſpatium eſt inter auſtrum ac Septentriones notabilem exortus Solis mutationem continens. Veteres ſeptem climata tradiderunt: in quorũ primo eſt Meroë, in ſecundo Syene, in tertio Alexandria, in quarto Rhodos, in quinto Roma, in ſexto Boriſthenes,

ristthenes, in septimo Riphei montes. Primi circa medium situm latitudo partium decem & sex: secundi uiginti quatuor cum gradus unius quadrante, tertij triginta et dodrantis, quarti triginta sex cum uiginti tribus minutis, quinti quadraginta unius & triētis, sexti quadraginta quinq; atq; minutorum uigintitrium, septimi quadraginta nouem dempto triente.

DE VMBRIS GNOMONVM.

TErra quoq; distinguitur umbrarū ratione, quæ cum latitudine mutantur. De quibus Strabo: In Carthagine urbe gnomon rationem habet ad æquatoris umbram eam, quam habent undecim ad septem. Plinius: In Mauritania æquinoctij die media, umbilicus quem gnomonem uocant septem pedes longus, umbrā non amplius quatuor pedes longam reddit. In Arabia & Persside umbilicus æquinoctio triginta quinq; pedum, umbram uiginti quatuor pedes longam facit. Infra de Rhodo & Cypro insulis: Gnomonis centum unciæ, umbram septuaginta septē unciarum faciunt. Et de Lydia Gnomini unius & uiginti pedum respondēt umbræ septemdecim pedum. Vitruuius: Gnomon Romæ nouem partium, umbram habet octo. Athenis quatuor, umbram trium habet. Alexandriæ stilus partes habens quinq;, umbram mittit partium trium.

DE

DE AMPHISCIIS, PERISCIIS, heteroscijs.

TErræ totius incolas triplici umbrarũ genere discernimus. Amphiscij uocãtur, q̃bus meridiana umbra nũc ad Septentriões, nunc ad Austrũ procedit quod fit in zona torrida. Sole enim meante per Cancri sidus umbras illic austrinas, siue sinistras habẽt: bruma dexteras, uel arctoas. Periscij sunt, quos signiferi axis circuitu suo cõprehendit: ita dicti, quod illorũ umbræ molarũ modo circumagantur. Heteroscij uerò nuncupantur, qui alterã solũ umbrã habẽt, arctoã, uel austrinã: quales nos, & Antichthones nostri. Ergo ἀμφίσκιοι in zona torrida dicuntur: περίσκιοι in frigidis: ἑτερόσκιοι in tẽperatis. Hæc oĩa satis indicat uocum cõpositio. Amphiscijs solstitia quatuor, heteroscijs duo periscijs unũ. Qui enim sub arctis habitãt periscij, solstitiũ in Cãcro habẽt. In Capricorno autẽ sicuti Sole carent, ita & eius statione. Simile de austrinis iudicium.

QVID SINT ANTOECI, Periœci, Antichthones.

ESt & alia quædam distinctio in Antœcos, Periœcos, Antichthonas. Antœci sunt qui habitãt in diuersis parallelis sub eodem meridiano æquo spatio distãtes ab aliqua æquatoris parte. Periœci qui sub uno parallelo & meridiano sunt in partibus oppositis.

Antichthones,

Antichthones, seu antipodes, qui mundi diametro distant. Antœcis eodem momento medius dies, mediáq; nox: uerum austrinis æstas, quando arctois bruma est. Periœcis tẽpore eodem æstas atq; hyems, sed meridies ac medias noctes contrarias habent. Antichonibus idem horizon & meridianus, reliqua oĩa cõtraria. Quando enim æstatem nos habemus, austrinis gentibus brumæ est: quum nos habemus medios dies, illis media nox est. Antœcis, Periœcis, Antichthonibus æquà latitudo est, Periœcis etiam eadem. Tam Periœci, quàm Antichthones partibus distant centum octoginta, Antœcis distantia uaria. Omnes Antœci, Periœci, Antichthones eosdem meridianos habent, sed finitores demptis antipodibus, diuersos, ut sequens pictura exprimit.



QVID LATITVDO.

EOdem pertinent latitudo longitudoq;. His enim & urbes, & montes, & flumina discernimus. Latitudinem loci ab æquatore, uel axis ab horizonte distantiam nominamus, hoc modo.



A E horizon est. B æquator. C polus horizontis. D polus mundi. Spatium quod est in D & E est altitudo poli. Id æquale est alteri spatio, quod est inter B et C. Vtrunq; loci latitudo uocatur.

QVA RATIONE LATITVDO locorum inueniatur.

SI altitudo Solis meridiana tẽpore æquinoctij subducatur à partibus nonaginta, relinquitur latitudo. Si sol ad Aquilonem declinauerit, ab altitudine meridiana subtrahi debet eius declinatio, idq; quod remanserit,

remanserit, auferri à nonaginta partibus. Verum si in signis australinis fuerit, altitudini adijci declinatio debet, numerusq; collectus à circuli quadrante subtrahi.

QVOMODO EX ARCV DIurno stellarum, urbium latitudo reperiatur.

STellæ arcũ diurnum uocãt tẽpus, quo ipsa supra horizonta fertur, uel æquatoris partem quæ oritur dum sidus ab Oriente in Occidentem decurrit. Ex quo urbis latitudinẽ hac ratiõe inuenias. Obserua quot horæ, siue æquatoris partes prætereant cum stella inter ortum & occasum. Inde accipe sphæram, atq; in illius finitore, seu alueo axem aut attolle, aut deprime, donec eandẽ stellæ in horizonte morã deprehenderis. Tum facile uideas sic posita sphæra, quot meridiani partibus polus à finiente uel urbs ab æquatore absistat nam distantia ea, ut diximus, latitudo est.

DE PARALLELIS.

TRiplices hic paralleli notantur. Alij enim latitudines definiunt, qui denis plerunq; gradibus distant. Alij dierum indicant longitudinem. Alij & zonas quinq;, & metas Solis, & anni quatuor mutationes cõtinent, qui sunt æquator, tropici duo, ac totidem arctici circuli.

QVID LONGITVDO, ET bifariam acceipi nomen occidentis.

LOngitudo distantia urbis ab occidente est. Id breuius quidem dictum, sed ad hunc modum intelligi debet, distantiam esse meridiani loci alicuius à meridiano insularum Fortunatarum. Duplex est occidens. Alter totius terræ, quem in insulis Fortunatis collocauerunt, quod ubi solis sidus eò peruenerit, non amplius sub se terras, sed aquas habeat. Alter singularum urbium, quem uocamus partẽ finitoris, ubi mũdi pars aliqua occidit. Idem iudicium de oriente.

QVID SIT APVD SCRIptores urbem distare tribus, aut quatuor horis ab occasu.

INter ortum & occasum, hoc est, stationẽ Sinarum & fortunatas insulas singulæ horæ quindecim partes continent. Tot enim gradus eo tempore meridianũ circulum prætereunt. Sic Ptolemæus Chaoniam ab occidente horarum trium spatio, siue gradibus quadraginta quinq; abesse ait. Inter austrum uerò & septentriones horæ uocabulo diei lõgissimi notatur incrementum, quod circa æquatorem gradus plures, quàm alibi comprehendit. Proinde distare urbem duabus horis ab æquinoctio, æquatore, uel medio mundi, est eam habere longissimum diem horarum quatuordecim: tribus,

bus, quindecim: sex, octodecim: septem, undeuiginti. Quibus uerbis uti licebit in describenda latitudine & situ locorũ, hoc modo: Duabus horis ab occasu, tribus ab æquinoctio, id est, in ea urbe esse scriptum librum uel epistolam, quæ ab occidẽte abest partibus tricenis, & tribus horis ab æquatore, uel ubi dies solstitio quindecim horas continet.

TERRAE REGIONES.

TErram mari non opertam in partes tres diuidimus, Europam, Aphricam, Asiam. Europa uergit ad occidentẽ, Aphrica ad meridiem, Asia ad orientem. In Europa regiones præcipuæ sunt: Britannia, Hispania, Gallia, Germania, Rhetia, Vindelicia, Noricum, Pannonia, Illyria, Dalmatia, Italia, Cyrnus siue Corsica, Sardinia, Sicilia, Sarmatia Europæa, Taurica chersonesus, Dacia, Mysiæ duæ, superior & inferior, Thracia, Chersonesus, Macedonia, Epirus, Achaia, Peloponẽsus, Euboia, & Creta, quam nunc appellamus Candiam. In Aphrica, quæ Libya olim dicebatur, Mauritania, Numidia, Aphrica propriè dicta, in qua Carthago è regione Siciliæ, Cyrenaica. Aethiopia. Aphricam uocant quasi sine horrore, uel frigore: est enim φρίκη horror, quem ex frigore contrahimus. In hac Nilus flumen, cuius ortum Ouidius latere existimat, quod incenso à Phaëtonte orbe ca-

put contraxerit, atq; occultârit. In Asia Pontus, Bithynia, Phrygia, Lycia, Galatia, Paphlagonia, Pamphylia. Cappodocia, Armenia minor, Cilicia, Sarmatia Asiatica, Colchis, Iberia, Albania, Armenia maior, Cyprus, Syria, Phœnicia, Palestina Iudæa, Arabia Mesopotamia, ita dicta, quod Tigris et Euphrates incluserint eam, quodq; inter duo flumina constituta sit, Babylonia, Assyria, Media, Persia, Parthia, Carmania, Margiana, Bactriana, Scythia, Aria, Arachosia, Gedrosia, India, Taprobana.

VRBIVM ATQVE REGIONUM nomina minuta.

BOeotia ante appellata fuit Aonia: unde et musæ Aonides dicuntur. Aegyptus Aeria dicta erat. Creta itidẽ Aeria nomine eodem. Attica ἀκτή. Corinthus, Ephyre. Macedonia, ἡμαθία. Qua uoce Lucanus usus est in operis exordio: Bella per Emathios plus quàm ciuilia cãpos, Iusq; datũ sceleri canimus. Thessalia ἀεμόνια, qd'nomẽ in Sagittarij signo Ouidius usurpat. Per tamen auersi gradieris cornua Tauri, Aemoniosq; arcus, uiolentaq; ora Leonis. Tyrus Asiæ urbs olim Sarra uocitata est.

AQVARVM NOMINA.

NOmina aquarum uaria. Oceanũ uocamus aquã seu mare, quod totam penè circuit terram: cuius

ius tãta est celeritas, ut in naui emissa sagitta supra na uim maneat atq; in eam decidat. Mare proprie, quod terram influit, uel quod intra terram continetur. Cuiusmodi Ionium, Aegæum, Persicum, Caspium. Portus à portando dictus, quod illuc merces uehendæ portentur, tutior maris pars est circa littus. Sinus inter littora curua est, & mare quasi brachijs amplectẽtia. Fretum siue πορθμὸς locus angustior maris inter duo littora: sicut isthmus terra angusta inter duo maria. Flumẽ aqua perẽnis, ac perpetuo fluens. Lacus locus profundus aquas habẽs perpetuas. Stagnum, aqua stagnãs uel quiescens, quæ hyeme colligi solet & æstate siccari. Torrens aqua quæ ex alto fertur in ualles. Hæc magno æstu torret, & bruma augetur imbribus. Lacunæ fossæ nuncupantur, in quibus collecta aqua stare cõsueuit. Fons aqua est, quæ è terra manat, & hauriri potest manibus. Palus aqua est in altitudinem latius diffusa. Ad dexteram Siciliæ partem Scylla est rupes, saxũ aut locus cauernis plenus, qui percussus à fluctibus latratus uidetur ædere. Ad sinistrã Charybdis, quæ cõtrarijs fluctuum cursibus collisionem facit, & raptæ absorbet. De his Verg. Dextrũ Scylla latus, leuum implacata Charybdis Obsidet. Syrtes à trahendo dictæ. duoloca maris periculosa sunt propter arenæ copiam in finibus Aphricæ.

DE MARIS ACCESSV, ET Recessu.

DOnec lunæ sidus ab oriente ad Austrũ, siue medium cœlum scandit, in proximo littore decrescere maria haud dubium est. Inde ad occasum ipsa descendente augeri. Rursum ab occidente ad meridianum minui, atq; ab eo augescere, dum stella oriatur. Ergo quibus luna in ortu uel occasu apparet, his plenum mare, & tempus nauigandi. Quibus uerò in circulo meridiano consistit, supra aut infra horizonta, ab illis longissime abest mare. In accessu quandoq; tardior mora ob impedimenta littorum. Deinde aquæ multæ propriã aliquam naturã habent, ut Euripus in Græcia septies quotidie refluens.

DE TRIPLICI ORIENTE, atque occidente.

ANtequam uentorum ratione aggrediar, dicendum quid exortus solstitialis, uernus, brumalis, quid itidem occasus æstiuus, æquinoctialis, hybernus. Citra æquatorem finiẽtis circulus plagis quatuor distinguitur Aquilone, meridie, ortu & occasu. Gentibus austrinis, siue antœcis meridie Sol aquilonem spectat, nobis polum alterum: Nobis leua manus ad ortum uergit, illis ad occasum. Porrò quia non indidem æstate, uere, ac bruma Sol exoritur, orientem triplicem pu-

nimus

nimus. Solstitialem, uel æstiuum finitoris partem eã, ubi solstitio Sol exurgit. Vernum siue æquinoctialem, in qua oritur alterutro æquinoctio. Et brumalem seu hybernum, qua bruma, aut die breuissimo oritur. Pari forma de occasu loquendum. Nam æstiuus uel solstitialis dicitur ὀριζοντος sectio, ubi occidit Sol in Cancri signo. Vernus aut æquinoctialis, qua ueris initio descẽdit. Brumalis aut hybernus, ubi bruma occidit.

BIFARIAM INVENIRI QVA tuor plagas mundi.

QVatuor mundi plagas deprehendunt gnomone in circuli centro erecto ad angulos æquales. Quotidie enim tum ante meridiẽ, tum à meridie sese umbra uel contrahit, uel extendit ad circuitum circuli. Inter quos contactus medius punctus Septentrionẽ indicat. Idem quoq; cœlo nubiloso ex arborũ contactu in sylua cognoscunt. Quoniam cortices spectantes Aquilonẽ duriores sunt plerunq;, atq; rimas altiores agunt. Ob i id Columella arbores prius quàm transferantur, rubrica notandas præcipit, ut easdem cœli partes aspiciant. Ne aut insolitus calor pristinum dissoluat rigorẽ aut molliciem austrinam Septentrionis horror lædat.

DE VENTIS COMMVNIBVS.

DVo uentorum genera communes & repentini. Communes nuncupamus, qui ex certis spirant

mũdi plagis. Hi in formas quatuor diducũtur arctoas, austrinas, eoas, occiduas. Arctoi tres sunt. Quorũ primus à parte circuli arctici spirat, quæ prospicit occidentem, Thrascias dictus. Secundus Septentrio uel Ap arctias à uertice. Tertius Aquilo, uel Boreas à dextero latere circuli eiusdem. Eoi totidem, à solstitiali ortu Cæcias: à uerno Subsolanus uel Apeliotes, Eurus aut Vulturnus à brumuli. Austrini Phœnicias, uel Euronotus: Auster uel Notus: & Libonotus. Occidui tres quoq;. Liſ uel Aphricus ab occasu hyberno: ab æquinoctiali zephyrus, aut Fauonius: ab æstuo Corus, uel Argestes. Homerus quatuor duntaxat enumerat. σὺν δ' ἐυρός τ' ἴπετε, ζέφυρός τε, νότος τε δυσκὰς καὶ βορέης αἰθρηγενέτης μέγαι κῦμα κυλίνδων. Communibus uentis addi possunt Prodromi atq; Etesiæ, quos etiã temporibus certis flare constat. Prodromi sunt Aquilones, qui Caniculares dies præcedunt. Etesiæ Aquilones dicuntur, qui caniculæ ortu ad dierum quadraginta intercapedinem spirant. Ab annuo flatu inditum nomen. Etesiæ noctu sopiuntur, utpote quum sidus sub terra sit.

NOMINVM ORIGO.

SEptentrio nuncupatus est, quod spiret à Septentrionibus. Aparctias, quod ab arctis aut ursis.

Aquia

Aquilo à sublimi uolatu aquilæ, quod ex alto spiret. Boreas ἀπὸ τοῦ βοᾶν, hoc est, sonitu quem ædit. Subsolanus quod sub Sole spiret. Apeliotes, quod à Sole. Vulturnus à uulturis uolatu, quoniam alte resonat. Auster quasi hauster, ab hauriendis aquis, uel humida natura uenti: ob eandem causam à Græcis Notus dictus est. Libs quod ex Lybia ueniat, & Aphricus, quod ex Aphrica. Apud ueteres enim regio eadē & Lybia, & Aphrica uocabatur

NATVRA VENTORVM.

CAecias ad se nubes trahit. Vnde Græcis prouerbiū, κακὰς ἐφ' ἑαυτὸν ἕλκων, ὡς κακικίας νέφος, mala ad se trahens, ut Cæcias nubem. Zephyrus tempore uerno. Ideò Verg.

Vere nouo gelidus canis quum montibus humor
Liquitur & zephyro putris se gleba resoluit,
Depresso incipiat iam tunc mihi taurus aratro
Ingemere. Huius flatu armenta quibusdam in locis concipiunt fœtum, atq; inde zephyrus, hoc est, ζωὴν φέρων appellatus. Verg.

Ore omnes uersæ in zephyrum stant rupibus altis
Exceptantq; leueis auras, & sæpe sine ullis
Coniugijs uento grauidæ.

Venti à Septentrione flantes frigidiores sunt, eò quod ueniant per montes, niues, & terras seu zonas frigidas

das. Sunt item ſicci, quod per terras, & maria congelata ſpirēt. Occidui eois humidiores, quoniam in aduentu bi plus terræ habent, illi plus aquarum. Auſtrini à ſole ueniunt, & maria multa permeant, ideò & calidi, & humidi.

DE VENTIS REPENTINIS.

REpentinos uocamus, qui neq; è certa plaga aliqua, neq; ſtatis anni tēporibus ſpirant, quiq; impetu ſuo euertunt turres & nauigia frangunt. Sic appellati ſunt, quod repente oriantur, & repente deſinant. Horum quatuor genera. Procella, uel ecnephias, quando halitus erumpēs late diſpergit nubem. Vortex uel Typhon, quum arctiori erumpit ſpatio, & impetu magno uoluitur in circulum. Vnde in agris crebro uidemus arenas in orbem uolitantes. Turpo nuncupatur quando halitus erumpens nubem late ſpargit, ut procella: ſed minus alte. Dictus à turbando, quod proxima quæque perturbet. Præſter quum idem flatus per aëra fertur ardens & accenſus, ἀπὸ τοῦ πρήθειν ſiue ardendo cognominatus.

IOACHIMI

IOACHIMI
FORTII RINGELBERGII ANdouerpiani Liber de Tempore.

TEmpus proprie mundi motusq; intervallū, seu duratio nūcupatur. Quoniā ante hos tempus nullum fuit, nec post eosdem futurum est. Nonnulli certam dimensionem uocant, quæ ex cœli cōuersione colligitur uel ex cœli solisq; uertigine deductū spatium, quo rerū vim agitationē uicissitudinēq; metimur. Alij id maginē æternitatis appellant. Huic affinis occasio, flos ipse temporis rebus agendis conferens. Distant tempus, æuum, ac æternitas. Quod tempus principium ac finem habet unde historici temporis initio cœlum & terram cōdita esse memoriæ mandarunt, Aeuum solum principium. Idcirco Iouem et Iunonē æuiternos ac æuintegros deos uocitabant: quod geniti quidem essent, sed finem nunquam sint habituri. Aeternitas et principio, & fine caret. Temporis partes, quibus omnes penè nationes utuntur, quatuor sunt, annus mensis, dies, hora. Biennium, triennium, lustrum, seculū ad annorum rationē: ad dierum, septimana spectat.

Temporis partes.

DE

DE ANNO MAGNO.

ANnus à pleris q; in formas treis diuiditur magnũ, solstitialẽ & à reditu Lunæ Lunarẽ. Verum quoniã postremus aliud nihil, quàm mẽsis est, nos annorũ duo solum genera ponemus magnum, & uertentem. Vtrunq; hic explicabimus, & in partes, ac genera alia distinguemus. Magnũ annum spatium uocamus, quo sidera omnia ad eundem redeunt locum. Hic quadraginta nouem uertentiũ annorũ milibus constat De quo istiusmodi uersus in uolumine quodam inuenũ

An nouus mundi redijt Platonis
Annus: & quicquid fuerat peractis
Omnibus cœli spatijs refertur
Ad rude corpus.

Eius partes, siue mutationes duæ sunt. Aestas, quum incendio, uel igne mundi structura conflagrabit. Sunt qui ideò rerum mutationum hanc existere, atq; omnia uel flammis, uel aqua interire arbitrantur, ut alumnus terræ & innocens & nouus contingat: licet innocentiã eam spatio perbreui cõsuetudo inuertat. Cito enim surrepunt uitia, & scelera sine præceptore discuntur. Bruma, quando diluuiũ, quẽ Græci κατακλυσμὸν appellant, orbem infestat. Quod natura euenire aiunt ex longa temporis huius intercapedine. Nam quemadmodũ uulgares, siue uertentes anni hyemes, ac æstates

paruas

paruas habent: ita magnus ille annus, ingentes. Igitur alterna uicissitud ne mundū tum igneſcere, tum aquarum redundātia obrui ratio docet. Huc Ciceroīs sentētia ſpectare uidetur, ubi igniū genera enumerat: Addātur & ſtellarum natura flammea, ideoq; futurum exiſtimant, ut quoniam humido uapore aſtra, ut pabulo foueantur, abſumptis magis magisq; humoribus, & augeſcente ſiccitate, mundus olim ſit igne periturus.

DE ANNO VERTENTE.

VErtens annus, tempus eſt dierum tercentū & ſexaginta quinq; cū quarta diei parte: uel ſpatium, quo Sol ſigniferum ambit. Arcades & Chaldæi interuallū eſſe trium menſium uoluerunt. Quale ſpatium eſt ab æquinoctijs ad brumā, uel ſolſtitium. Romulus uerò intercapedinem uocabat ab hominis conceptione ad diem natalem. Ouidius primo faſtorum:

Tempora digereret quum conditor urbis, in anno
Conſtituit menſes quinq; bis eſſe ſuo.
Scilicet arma magis, quàm ſidera Romule noras,
Curaq; finitimos uincere maior erat.
Eſt tamen & ratio Cæſar quæ mouerat illum,
Erroremq; ſuum quo tueatur habet.
Quod ſatis eſt utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.

Idem alio loco:

Annus

Annus erat decimum quum Luna receperat orbem.
Hic numerus magno tunc in honore fuit:
Seu quia tot digiti, per quos numerare solemus:
Seu quia bis quino fœmina mense parit,
Seu quod aduſq; decem numero creſcente,
Principium ſpatijs ſumitur inde nouis.

Annus hic à Martio initium habebat, conſtabatq; dieuus trecentis & quatuor. Vt ſex quidem menſes Aprilis, Iunius, Sextilis, September, Nouember, December tricenûm eſſent dierum: quatuor uerò reliqui Martius Maius, Quintilis, October tricenis & ſingulis perficerentur. Sed ſequutus mox Numa Pompilius quinquaginta dies addidit: ut in dies tricentos quinquaginta quatuor annus extenderetur. Atq; diebus ijs quinquaginta à ſe additis alios ſex adiecit, ablatos à ſex menſibus, qui triginta dies habebãt. Factoſq; dies ſex et quinquaginta, in menſeis duos ratione pari diuiſit. Et alterum Ianuarium nuncupauit, primumq; eſſe uoluit, tanquam bicipitis dei menſem reſpicientem ac proſpicientem tranſacti anni finem, & principium futuri, Alterum Februo deo dicauit, quem præeſſe luſtrationibus ferunt. Poſt alias uerò immutationes complures, Iulius Cæſar temporum inconſtantiam hanc in ordinem coëgit: attribuitq; annis ſingulis dies tercentum ſexaginta quinq;, atq; die unius quadrantẽ. Ouidius tertio faſtorum:

Ille

Ille moras Solis quibus in sua signa rediret,
Traditur exactis disposuisse notis.
Is decies senis tercentum & quinq; diebus
Iunxit & è pleno tempora quinta die.

Ex his bisextus fit, quasi bis dies sextus. Etenim annis quaternis bis circa Februarij finem sexto Calendas Martias scribere cõsueuerunt. Initiũ anni sumunt Romani à bruma. Athenienses à solstitio: à ueris æquinoctio, Arabes, & Damasceni: ab autũni, Asia. Quod testantur Simplicij uerba hæc: ἃς δὲ ἡμεῖς ποιούμεθα ἀρχὰς ἐνιαυτοῦ μὲν περὶ θερινὰς τροπάς, ὡς ἀθηναῖοι. ἢ περὶ μετοπωρινὰς, ὡς οἱ περὶ τὴν νῦν καλουμένην ἀσίαν. ἢ περὶ χειμερινὰς, ὡς ῥωμαῖοι. ἢ περὶ ἐαρινὰς, ὡς ἄραβες, καὶ δαμασκηνοί. Partes anni quatuor uer, autũnus, æstas, hyems. Veris tẽpore sol in Ariete, Tauro, & Geminis est: autũno in Libra, Scorpione, Sagittario: æstate, in Cancro, Leone, Virgine: hyeme in Capricorno, Aquario, Piscibus. Quoniã singulæ partes anni quadrantẽ, aut mẽseis ternos, aut q; idẽ est, signa tria cõtinent. Mutatiões uerò, quas mox describemus, dies singuli dũtaxat, siue potius momenta sunt. Hoc mutatiões à partibus distant. Has Boëtius flatu uentorũ, stellarũq; ortu exprimit, his uerbis.

Tua uis uarium temperat annum,

Vt quas Boreæ ſpiritus aufert
Reuehat mitis Zephyrus frondes.
Quæq; arcturus ſemina uidit,
Sirius altas urat ſegetes.

Duæ ſunt cauſæ, quamobrẽ hyeme Solis calor remiſſior quàm æſtate ſit. Altera, quòd ocyus ille tum occidat, neq; poſſit aër ob temporis angustiam caleſcere. Altera, quòd radij oblique in terram cõijciantur, & minor ſit reflexio. Quatuor itidem anni mutationes ſunt: æquinoctium uernum, æquinoctiũ autumni, ſolſtitium, bruma: quando Sol ingreditur principiũ Arietis, Libræ, Cancri, Capricorni. Cæterum Plinius, & Græci nonnulli in ſignorum eorundem partibus octauis hæc annorum momenta quatuor eſſe uoluerunt. Temporibus his Arietis initium Sol attingit die decimo Martij. Verum Ouidij ſeculo ſicut ex eius Faſtis apparet, decimo quinto Calendas Aprileis. Non tamẽ eodem die æquinoctiũ eſſe dicebant, ſe octauo ſeu ſeptimo Calendas Aprileis. Putabant enim æquinoctium eſſe non in prima, ſed octaua ſigni parte: decimoquinto Cal. Apriles, Solem Arietẽ luſtrare: poſtea uerò ubi ad gradum octauũ ſidus peruenisſet, dies noctesq; pares eſſe. Vitruuius de architectura libro nono: Sol quũ Arietis ſignum init, & partem octauam peruagatur, perficit æquinoctiũ uernũ. Ex hac annorũ in parteis quatuor, & mutatiões totidẽ diductiõe, manifeſtũ

est aliud æstatẽ et hyemẽ, aliud solstitiũ, ac brumã esse

IN QVAS PARTES ANNVM rei rusticæ scriptores diuidant..

VEteribus iis maxime qui de agricultura scripsere, alia spatium idem diuidendi ratio fuit, ut ex M. Varronis de re rustica libris colligimus: forta sse quod distinctio huiusce modi illis ad rem eam fuerit commodior. Etenim cap. octauo atq; uigesimo annum uniuersum in partes octo diuidit: earumq; initia in cœli signis alijs quàm supra memorauimus, collocat. Eius uerba hæc. Dies primus ueris est in Aquario: æstatis in Tauro: autumni in Leone: hyemis in Scorpiõe Quũ uniuscuiusq; horum quatuor signorum dies tertius & uicesimus, quatuor temporum sit primus, efficitur ut uer dies habeat nonaginta unũ, æstas nonaginta quatuor, autũmus nonaginta duos, hyems octoginta octo. Qua diuisione redacta ad dies ciuiles nostros, qui nũc sunt primi ueris temporis, extant ad septimũ Idus Februarij, æstiui ad septimũ Idus Maij, autumnales ad tertiũ Idis Sextilis, hyberni ad tertiũ Idus Nouembris. Idem: A Fauonio ad æquinoctiũ uernũ dies quadraginta duo. Hinc ad Vergiliarum exortum, dies quadraginta quatuor. Ab hoc ad solstitiũ dies quadraginta nouem. Inde ad Caniculæ signum dies uigintinouẽ Deinde ad æquinoctium autumnale dies sexaginta sep

tem. Exinde ad Vergiliarũ occasum dies triginta duo. Ab hoc ad brumã dies quinquaginta septem. Inde ad Fauonium dies quadraginta quinq; Hactenus Varro Hoc loco ueris initium in Aquario posuit: æstatis in Tauro: autũni in Leone: hyemis in Scorpione. Quom eadem hæc nos in primis Arietis, Cancri, Libræ ac Capricorni esse partibus dicamus. Cæterum eam rerũ rusticarum præceptionibus accõmodauit, annũq; rectius quàm nos uidetur diuisisse. Nos enim solstitium æstatis initium uocamus, & brumam hyemis principium, quom utrunq; utriusq; medium sit. Adde quod uulgari sermone annum totum in partes duas, æstas, ac hyemem sæpenumero secamus: quæ partitio quoq; multũ ab Astronomica sectione discrepat.

DE ANNIS CLIMATERICIS.

EX uertentibus colligũtur anni scãsiles, siue κλιμακτηρικοὶ, ita dicti, quòd è septenarijs numeris, aut nouenarijs gradatim sint collecti. De quibus uerbis hæc in libro quodam inuenimus. Mortuus est annum agens circiter quartum & quinquagesimum: quem, quia è sexto nouenario conficitur, scansilem uocant annum, mala generi mortalium minitantem. Climaticorum annorum genera duo sunt. Ἑβδομαδικοί qui numeris septenarijs conficiuntur. Cuiusmodi à natali die annus septimus, decimus quartus, uigesimus primus

primus. Ἐννεατικοί quos nouenarij cõponunt numeri. Qualis est bonus, decimus octauus, uigesimus septimus. Annis hebdomaticis, enneaticisq; imminere nobis, aut morbos, aut pericula opinantur. Tẽpora ipsa κλιμακτῆρας uocãt, & annos inde climactericos. Inter oẽs perniciosissimus est sexagesimus tertius, quoniam ex utroq; numero cõstat. De quo D. Augustinus ad C. nepotem suum epistola apud Gelliũ: Aue mi Caĩ meus ocellus iucundissimus, quẽ semper medius fidius desidero quum à me abes. Sed præcipue diebus talibus qualis est hodiernus, oculi mei requirunt meum Caiũ: quem ubicunq; hodie fuisti, spæro lætũ et bene ualentẽ celebrasse quartum & sexagesimum natalem meum: nam ut uides κλιμακτῆρα cõmunem seniorum omniũ tertium & sexagesimum annum euasimus.

DE MENSIVM RATIONE.

MEnsis duplex est naturalis et ciuilis. Naturalẽ in mensem solis, & mensum lunæ diuidunt. Prior tẽpus est, quo sol duodecimã cœli partẽ lustrat. Posterior, spatium inter duos solis, lunæq; coitus, uel quo luna tredecim ferè signa percurrit. Ciuilis mensis est numerus quidam dierum, quem unaquæq; ciuitas cõsueuit obseruare. Vt Martius, qui apud Romanos diebus uno & triginta cõstat, apud Albanos triginta sex. Mẽses ciuiles duodecim sunt Ianuarius appellatus

ab Iano, quẽ bifrontem depingunt. Voluit nãq; Numa Pompilius primũ anni menſem dei bicipitis ſimilitudinem habere, ſimulq; proſpicere, & anni ſequentis initium, & tranſacti finem. Dies huius quintus atq; uigeſimus ſi ſerenus fuerit, frugũ portẽdi aiunt fertilitatẽ. Si nix cadat, uel pluuia, caritatem rerũ. Sin exiſtãt nebulæ, animalium multorũ interitum. Sin uenti, arma. Februarius nomen à uerbo priſco februo, quod eſt luſtro, uel purgo accepit. Per duodecim enim Februarij dies perpetuos populus omnis intentus erat ſacrificijs, & cæreis, & facibus circa ſepulchra accenſis, pro impetrãda mortuorũ animabus quiete. Quæcunq; purgamẽti cauſa in ſacrificijs adhibebãtur, februa nominari ſolent. Plinius: Vulgata priſcis tẽporibus opinio obtinuit, februa eſſe omnia, quibus delerentur peccata, aut manes animabus defunctorũ placidi redderentur. Martius quẽ Romulus primũ eſſe uoluit, dicauitq; genitori ſuo Marti, & ab eo Martiũ appellauit. Aprilis ſecũdus menſis quaſi aphrilis uocitatus eſt, à ſpuma quã Græci ἀφρὸν uocãt, unde orta Venus putabatur. Vt quemadmodũ primus menſis à patre Romuli Marte, ita ſecũdus ab Aeneæ matre, unde Romulus originẽ duxit, Veneris nomen uſurparet. Et ij menſes annũ auſpicarentur, à quibus Romani nominis origo proceſſiſſet. Maius à maioribus dictus eſt, quibus conſecratus erat, quod

quòd cõsilio et autoritate remp. admniistrarẽt. Iunius à iunioribus, qui rẽ armis gerebãt. Postq̃ enim Romulus populũ Romanum in maiores minoresq̃ diuisit, ut pars altera cõsilio, altera armis remp. tueretur, in honorẽ partis utriusq̃, superiorẽ Maium, hunc Iunium nuncupauit. Iulius ante Quintilis appellatus, qd' à primo mense Martio quintus esset. Sed postea in honorẽ Iulij Cæsaris Dictatoris M. Antonio Marci filio cõsule legẽ ferente, Iulius nominatus est: quod hoc mẽse ad quartũ Idus Quintileis Iulius procreatus fuisset. Augustus antea Sextilis dictus, donec honori Augusti ex senatusc̃osulto cõsecratus est. Cuius hæc uerba fuerũt: Quom imperator Cæsar Augustus mẽse Sextili et primum consulatũ inierit, & triumphos treis in urbẽ intulerit, et ex Ianiculo legiões deductæ, sequutæq̃ sint eius auspicia ac fidem. Et Aegyptus in potestatẽ populi Romani redacta est. Finisq̃ bellis ciuilib. impositus sit. Atq̃ ob has causas mensis iste imperio felicissimus sit ac fuerit, placere senatui, ut hic mẽsis Augustus appelletur. September, October, Nouember, December ob sequentium principum tyrannidem, nomina prisca seruauerunt. September, quòd à Martio septimus sit, dicitur. October, quia octauus sit. Nouember, quòd nonus. Decẽber, quoniã decimus. Mensium quatuor, qui Februariũ sequuntur, alij ratiões istiusmodi tradunt.

Martiũ à Marte quidem appellatũ esse, non quòd Romuli pater fuerit, sed quia gens Latina, armis ac bello potens sit. Aprilem ab aperiendo, quod terræ meatus tunc aperiãtur, Maium à Maia, quoniã eo mense tam Romæ, quàm antea in Latio, res diuina Maiæ et Mercurio fiat. Iuniũ à Iunone, quod tempore illo Iunoni honores maximi habebãtur. Ianuarius Iunoni sacer erat Februarius Neptuno, Martius Mineruæ, Aprilis Veneri, Maius Apollini, Iunius Mercurio, Iulius Ioui, Augustus Cereri, Septẽber Vulcano, October Marti, Nouember Dianæ, December Vestæ. Ianuarius, Martius, Maius, Iulius, Augustus, October, & December dies singulos & tricenos habent. Aprilis uerò, Iunius September, Nouember tantũ tricenos. Solus Februarius, duodetriginta. Attici menses ad lunæ cursum cõputãtur, ideoq; nostris mensibus nõ respondẽt. Sed partẽ Iunij primus mensis occupat. Et primus est qui solstitio æstuo proximus est. Sunt aũt hi. ἑκατομβαιὼν ab hecatombis Iouis. Μεταγειτνιὼν, à Metagitnijs Apollinis sacris. Βοηδρομιὼν, à Boëdromijs sacris, de quibus Plut. in Theseo. μαιμακτηριὼν à Mæmacta Iouis appellatione. πυανεψιὼν, à pyanis fabis in Apollinis sacris αὐθεστηριὼν, q̃ cãpi floribus priuati sint. ποσιδεὼν, à Neptuni et Palladis certamine. γαμηλιὼν, à Iunone, quæ nuptijs præest ἐλαφηβολιὼν à uena-

à uenatione. Μουνυχιῶν, à Munychijs Dianæ sacris, de quibus Plutarchus in Theseo. Θαργηλιῶν, quod terra calescat. Θαργήλια quoq; Apollinis sacra sunt. σκιροφοριῶν, à sciris umbraculis. ἐκατομβαιῶν igitur opponi potest Iunio: μεταγειτνιῶν Iulio: Βοηδρομιῶν Augusto: μαιμακτηριῶν Septembri: πυανεψιῶν Octobri: ἀνθεστηριῶν Nouembri: ποσιδεῶν Decembri: γαμηλιῶν Ianuario: ἐλαφηβολιῶν Februario: μουνυχιῶν Martio: θαργηλιῶν Aprili: σκιροφοριῶν Maio. Aristoteles de piscibus ait: τοὺς πλείστους τίκτειν ἐν τρισὶ μησὶ, μουνυχιῶνι, θαργηλιῶνι, σκιροφοριῶνι, quod Plinius transtulit Aprili, Maio, Iunio.

QVID SINT CALENDAE nonæ, Idus.

MEnsis cuiusq; portiones, seu dierũ formæ tres Calendæ, Nonæ, Idus. Calendæ dicuntur ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quod his diebus calentur, siue recitentur eius mensis Nonæ à pontificibus. Pontifex enim calata uel uocata in capitolium plebe, quot dies à Calẽdis ad Nonas supereſſent, pronuntiabat. Mos hic erat ante quàm fasti à Cn. Flauio inuitis patribus, in omniũ notitiã prodierãt. Nonæ quia ab his ad Idus dies semper nouẽ sint. Idus quod Nonas à Calendis diuidãt. Iduare Hetruscũ uocabulum diuidere est. Theodorus Gaza

alias uocum rationes è Plutarcho reddit uerba eius in libello περὶ μηνῶν hæc sunt: ῥωμαῖοι, ὡς πλάταρχος ἱστορεῖ τὴν εἰς τρία διαίρεσιν τοῦ μηνὸς πρὸς τὰς μεγίστας τρεῖς διαφορὰς τῆς σελήνης τυγχάνουσι πρότερον ὡς ποιηκότες. Καλένδας μὴν νουμηνίαν καλέσαντες, ὅτι περὶ τὴν σύνοδον οὖσα τότε ἡ σελήνη ὥσπερ λέληθεν ἐπιλειποῦσα δὴ παντελῶς τοῦ φωτός. τὸ γὰρ κλᾶν ῥωμαίοις τὸ λάθρα διασαίνει, ὅθεν τὰς καλένδας ὠνομάσθαι φησί. Νώνας δὲ, ὅταν καταφανὴς πρῶτον ἐπὶ δύσεως γίνεται νέα. εἰδοὺς δὲ, ὅταν πανσέληνος οὖσα ἐνειδέστερα τὴν ὄψιν ᾖ. De Calēdis Idibus, Nonis Ouidius primo Fastorum:

Vendicat Ausonias Iunonis cura Calendas,
Idibus alba Ioui grandior agna cadit,
Nonarum tutela deo caret, omnibus istis
Ne fallare caue, proximus ater erit.

QVID DIES CIVILIS, ac naturalis.

RECentiores diem in naturalem, ac artificialē diuidunt. Vt prior tempus horarū uiginti quatuor sit: alter spatium ab ortu solis ad occasum. Veteres autem ratione commutata in ciuilem & naturalem. Ciuilis dies interuallum est, quo mundus circumagitur, uel horarum uiginti quatuor. Cuius initiū Astrologi à meridie

ridiē sumūt: Græci à Solis exortu, Romani et nos à media nocte, Iudæi ab occasu. Idcirco eodē Veneris die et typicū בכח, & uerum celebrasse Christum dicimus. Et quoniā lex erat id fieri horis nocturnis debere, bis lucē dies ille, et toties tenebras habuit. Gellius: Quæri solitum est, qui noctis hora tertia, quartáue siue qua alia nati sunt uter dies natalis haberi appellariq; debeat, is nē quem nox ea consecuta est, an qui dies noctem consecutus est. M. Varro in libro rerum humanarum quem de diebus scripsit, homines inquit, quia media nocte ad proximam mediam noctem in his horis 24. nati sunt, una die nati dicuntur. Quibus uerbis ita uidetur dierū obseruationē diuisisse ut qui post Solis occasum ante mediam noctē natus sit, is ei dies natalis sit, à quo die ea nox cœperit. Cōtra uerò qui in sex horis posterioribus nascatur, eo die uideri natum, qui post eā noctem diluxerit. Athenienses autē aliter obseruare idem Varro in eodem libro scripsit, eosq; à Solis occasu, ad solē iterum occidētem, omne id medium tempus unum diem esse dicere. Babylonios, porro aliter: à sole enim exorto, ad exortum eiusdem incipientem, totum id spatiū unius diei nomine appellare. Hactenus Gellius. Naturalis dies, spatium inter Solis exortum & occasum est. Hic quanto ab æquinoctio longius discesseris, tāto bruma brevior, & solstitio longior fit.

Quam=

QVAMOBREM DIES AB AEquinoctio celerius crescant, quàmò bruma, uel ante solstitium.

CIrca æquatorem celerius crescunt Solis, signorumq; declinationes, quæ causa efficit, ut uerè & autmno ocyus augescant dierum, noctiumúe spatia tardius uerò solstitio, ac bruma.

DE PARTIBVS DIEI ciuilis, seu naturalis.

DEcem diei partes sunt, quibus passim utimur. Media nox, quum sol in circulo meridiano est infra horizonta. Gallicinium siue Gallicantus. Horatius, Sub Galli cantum consultor ubi ostia pulsat. Diluculũ quasi parua diei lux. Vel Aurora ab auri colore sic uocitata, quòd ab igne solis, uelut ab auro aër aurescit. Aut crepusculum matutinũ, quod tempus est ante ortum solis inter tenebras & lucẽ. Mane quom solis sidus exoritur. Persius: Iam clarum mane fenestras intrat. Deinde antemeridianũ tempus. Post meridies quasi medius dies. Pomeridianum tempus. Occasus solis: qui inter orientem & occidentẽ, Austrũ & Aquilonem uariatur assiduè: meridiei dissimilis, quem latitudo eundem seruat. Vesper, aut uespertinum tempus siue crepusculum uespertinum, quando Hesperi stella cerni incipit. Sallustius: Et iam diei uesper aderat. Intempesta

tempesta nox, spatium est inter Vesperuginem & Lucíferum, quum tempus agendi nullum est. Sallust. Nocte intempesta cum paucis in Manliana castra profectus est. Idem: Rursus intempesta nocte coniurationis principes conuocat. Idem tempus concubiũ uocant quòd ferè omnes tunc cubent. Et nomine alio conticinium, quoniam omnia tum sileant.

DE NOCTIVM QVATUOR uigilijs.

AD dierum ordinem noctis descriptio pertinet quæ nihil aliud nisi terræ umbra est: eoq; aliquando pro umbra terræ accipitur. Luca. Nec terra celsior ulla Nox cadit in cœlum, Lunæq; meatibus obstat. Quoniã militibus longum erat per noctem totam excubias agere, in uigilias eã quatuor diuiserũt. Quarum prima à noctis principio, usq; ad initium quartæ horæ inæqualis producitur. Plinius secundi libri 70. capite: Canopus in Arabia Nouembri mense prima uigilia occultus, secunda se ostendit. Hoc tempus alij primam facem appellant: quæ est noctis, siue tenebrarũ initium: sic nuncupatum, quod tum primum uti face incipiant. Gellius: Sed quum iam prima fax noctis, & densiores esse tenebræ cœpissent, discessimus. Verum inter uoces istas id discriminis esse apparet, quòd prima fax tum spatio breuiore constet, tum primæ uigí-

liæ

liæ pars sit, ac exordiũ. Tamen sæpenumero idẽ utriusq; uocabuli usus est. Dicimus enim stellas circa uigiliam primam, siue primam facem prodire atq; occultari. Secunda uigilia à fine tertiæ horæ ad mediã noctẽ durat. Tertia inde ad nonæ horæ terminũ. Quarta ad auroram uel ortum Solis. Cicero in epistolis: Quum puer tuus ad me secunda ferè uigilia uenisset.

DIERVM GENERA.

Diuisio dicta in parteis fuit. Est & alia dierum in formas seu genera, quibus Romani uti solẽt diductio. Festi dicuntur, qui ad deorum cultum instituti sũt. Huc pertinẽt feriarũ species duæ. Repẽtinæ quæ nõ seruãtur statis anni temporibus, has princeps quandoq; ob uictoriã, uxorẽ ductã, uel causam similẽ inducit. Et solennes, quæ diebus certis seruari consueuerũt aut in honorem dei, uel diui alicuius, aut in principis laudẽ, aut in ciuitatum honorem, aut ob publicam utilitatem, ueluti meßis seu uindemiæ gratia. Feriæ aliæ sine festo erant, ut nundinæ: aliæ cum festo, quemadmodum Saturnalia. Erant præterea propriæ familiarum feriæ, sicut feriæ Claudiæ, ac Aemiliæ: & hominum singulorum, ut natalium dierum. Profesti, qui integri totiq; negotijs dantur. Hos Horatius solidos uocat: Nec partem solido demere de die. Fasti, quando prætoribus uerba omnia sine piaculo licebat

fabi.

fari. Nefasti, quibus prætori uerba hæc Do, Dico, Addico, fari non licebat. Ouidius in Fastis:

Ille nefastus erit, per quem tria uerba silentur.

Fastus erit, per quem lege licebit agi.

Comitiales, quibus comitia habebantur. Præliares, quando fas erat hostem bello lacessere. Intercisi, qui dijs hominibusq; communes erant, id est, partim festi, partim profesti, cuiusmodi apud nos animarum dies. Et medici, dies decretorios nominant septimum, decimumquartũ, uigesimũ, uigesimumseptimũ quòd illis ferè diebus morborum initia Lunæ sydus à signis tribus atque sex coitu excepto uideat. Et Indicatiuos quartum, undecimum, decimumseptimum, uigesimumquartum. De quibus hæc Hypocrates: Τῶν ἐπτὰ ἡ τετάρτη ἐωϊσθήλος. ἑτέρης ἑβδομάδος ἡ ὀγδόη ἀρχή. θεωρητὴ δὲ ἐν ἑνδεκάτῃ. αὕτη γὰρ ἐσὶ τετάρτη τῆς δευτέρας ἑβδομάδος. θεωρητὴ δὲ πάλιν ἡ ἑπτακαιδεκάτη αὕτη γὰρ ἐσὶ τετάρτη μὲν ἀπὸ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης, ἑπτὰ δὲ ἀπὸ τῆς ἑνδεκάτης. In quem locũ Gallenus: Ἐωϊσθήλους κὴ θεωρητὰς εἰωθεν ὁ Ἱπποκράτης ὀνομάζειν ἡμέρας, ἐν αἷς ἰσημεῖον φαίνεται σθήλωσις τῆς ἐσομένης κρίσεως ἐν ἑτέρᾳ τινὶ τῶν κρισίμων ἡμερῶν.

HORAE

HORAE AEQVALES, ac erraticæ.

HOrarum ſpecies duas fecerunt, æquales & inæquales. Priore genere utuntur, qui à meridie ſiue media nocte: poſteriore, qui uel à ſolis ortu, uel ab occaſu earum numerũ auſpicãtur. Aequalis hora ſiue æquinoctialis uigeſimaquarta diei pars eſt, uel tẽpus quo mundi ſemuncia exoritur. Nanque horis ſingulis quindecim æquinoctialis partes meridianũ, aut finientis circulũ prætereũt. Hæc ergo quindecim æquatoris partes ſiue quindecies ſexaginta circulorũ minuta cõplectitur, tẽporis uerò duntaxat ſexaginta. Quatuor temporis, aut horarũ minutis, unius æquatoris gradus oritur, aut ſexaginta circuli eiuſdẽ minuta. Inæqualis aut erratica temporis pars duodecima appellatur, quod inter ſolis ortum & occaſum eſt: uel inter occaſum & exortum.

Horas impares eò nominant, qđ diurnæ inæquales nocturnis: & brumales, æſtiuis ſint.

FINIS.

IOACHIMI FORTII RINGELBERGII ANdouerpiani Astrologia.

DE DOMINO GENITVRAE.

GRAECI οἰκοδεσπότην, nostri genituræ dominum uocãt, dominum signi sequentis Lunam: ut si die natali Luna fuerit in sidere Tauri, dominus erit Mercurius. Saturnus quum genituræ dominus est facit arrogantes, fidos, iramq; diu continentes in pectore, corpore extenuatos, pallidos, languidos, frigidæ naturæ, solicitos. Iuppiter magnanimos, imperiosos, nobiles, ambitiosos, honestos, lætos, formosos, felices, atq; etiam fortunatos eorum filios. Martis stella duros inuictos, immobiles, contentiosos, audaces, fortes, & plus æquo cibũ appetentes, auerso semper & ab uxore, & à liberis animo. Veneris sidus amabiles, gratos uenustos, amatores, musicos, libinosos, pios, lætos, iustos, & incorruptæ amicitiæ, corpore item longo & candido, crispis capillis, potu magis quam cibo gaudẽtes. Mercurius ingeniosos, modestos, omnia artium genera discere cupientes: atq; si in domo sua, aut Veneris, uel in finibus suis, siue altitudine sua fuerit, poẽ-

tas, & eloquentiæ deditos. Sol & Luna istiusmodi dominij experte sunt.

IVDICIA E SIGNIS, QVAE partus tempore oriuntur.

ORiente Arietis signo nati fratribus carent, aut è pluribus unum habent superstitem, qui utiis nõnullis obnoxius est, patrimonium nũc dissipant, nũc rursus augent, & crebro capitis dolore infestantur. Oriente Tauro perpetuo labore fatigantur, & quicquid adipiscuntur, amittunt: postea tamen amissa recuperant, eosq; qui ante inimici fuerant prostratos uidẽt. Gemini magnorum utrorũ faciunt amicos. Cancer ingenioſos, doctos, iracundos, modestos, fortes. Leo laboriosos. Virgo uarijs uoluptatem generibus deditos. Libra religioſos, incõstantes, inuictos glorioſos. Scorpio iracundos, agiles, peregrinãtes, & quibus in rebus omnibus uarietas semper placeat. Sagittarius diuites, ingenioſos, omniumq; rerũ peritos. Capricornus assentatores, humilis animi, multa optantes, ac dijs prolixis & ignauis semper precibus molestos. Aquarius, aliàs prodigos, aliàs rursus grandi labore aurum colligentes. Pisces, prudentes, fidos, amicos.

SITVS STELLARVM IN duodecim cœli domibus.

QVi Saturno oriente nascitur, suis fratribus dignitate

dignitate antecellet, & si qui ante eum fuerint nati, morientur. Si Saturnus in proxima domo fuerit, magnas crebrasq; ille qui sic nascitur, turbas ciebit, patrimonium omne dissipabit, in omnibus actibus tardus erit, & sæpe aduersa corporis ualetudine. In tertia domo eadem stella tardos facit & inopes. In quarta diurnis horis, pecuniarum auidos, custodes auri & argenti. Nocturnis cõtrà prodigos ac imbecilles. In quinta per diem reges & duces: per noctem in iuuenta pigros, atque inconstantes. In sexta, prodigos languidosq;. In septima matutinus summas opes largitur, maximè circa uitæ finem: sed sic nati plerunq; hæmorrhoïde, ac neruorũ contractione laborant. Vespertinus quoq; hæmorhoïcos, & phlegmaticos parit. In octaua per diem auget patrimonium: per noctem euertit. In nona diurno tempore uates efficit, augures, mathematicos, philosophos, sacerdotes, somniorumq; interpretes. Nocturno iras deorum & imperatorum odia gignit. In decima imperatores facit, reges, duces, suisq; omnibus superiores. In undecima, modicas opes pollicetur, idq; post trigesimum ætatis annum. Nã ante illum quicquid habuerint, amittent, nec poterunt dignitatem uel patrimonium consequi, nisi peracto sideris cursu. In duodecima fraude seruorum, & frequenti ægritudine genitos infestat. Iuppiter in horoscopo

diurno partu facit nobiles, magnos, præfectos ciuitatibus, uenustos, beneuolos, alacres, diuites. Nocturno maiores fratribus suis. In secunda domo aliunde hæreditates promittit, uel adoptionẽ. In tertia mediocres opes præbet. In quarta per diem facit iureconsultos, legum latores, nuntios regum, præfectos reip. sacerdotes. Per noctẽ uerò modicas opes donat, sed ætatis accessu reddit feliciores. In quinta fortunatos efficit, & reip. præsides. In sexta pessimè collocatur, eoq; sic posito nati sæpe exponuntur, præsertim si horoscopi dominus sit. Hæc enim domus nulli stellæ felix est sedes. In septima diurno partu diuites facit, longam beatamq; senectutẽ pollicetur. Nocturno tantum opum tribuit nato, ut ad bene beateq; uiuendum nihil ei desit. In octauo prodigos reddit, inimicos parit, seditiones mouet. In nona augures facit & deorum interpretes. In decima per diẽ publicorum negociorum principes, sed libidinis infamiæ obnoxios: per noctem honestos mores tribuit, cum iactura patrimonij. In undecima ab ortu Solis magnas opes pollicetur, honores, magistratus: ab occasu, eadẽ sed aliquãto minora. In duodecima reddit inimicis sem per superiores. Mars in oriẽte nocturno partu in masculinis signis milites procreat, atq; si matutinus fuerit sine radijs Iouis liberaliores efficit, quàm patrimonia patiantur. Diurno uerò callidos, audaces, furiosos, inconstantes,

constantes, prodigos. In secunda homo infelices errantesq; procul à patria & parentibus, præsertim circa ortum matutinum. In tertia magnos, sed laboriosos, et alienas res desiderantes, & latentis cuiusp̃iam facinoris sibi conscios. In quarta per diem corporis indicat languores ac uulnera, & perpetuas molestias ab uxoribus. Per noctem facit nuntios, milites, prodigos, ferarum custodes, atq; semper in desertis regionibus commorãtes. In quinta in domo sua uel Iouis aut in finibus suis, siue in altitudine sua, gloriã maximam, patrimonia magna, ac omne genus felicitatis tribuit. In sexta multa incommoda minatur. In septima pericula, labores, cædes, scelera, seditiones. Quòd si domum suam ex diametro uiderit, non faciet quidem βιοθανάτους, nunquam enim domum suam stella euertit, sed ὀλιγοχρονίους, nisi horoscopum & Lunam Iouis radij tueantur. Occidente Marte geniti plerunq; uiolenta morte pereunt. In octaua patrimonio denegat. In nona præfectos Reip. ducesq; exercitus, sed aliqua in itinere pericula portendit: in domo Veneris uel Mercurij, doctos & claros facit oratores. In decima, & domo uel altitudine sua, aut in domo Iouis, præsides, duces, uitæ, necisq; dominos. In undecima, felices, opulẽtos, & gratos populo. In duodecima diurnis horis morbos, lãguores solicitudines, scelera, damna, pericula, & seruorũ insi-

dias denotat. Nocturnis, hæc mala mitigantur. Sol in horoscopo insignes honores, sed infelicēs fratres portendit. In secunda languidos facit, breuis uitæ, semper solicitos, & suo labore aurum colligētes. In tertia inualidos, sed prudentes & præfectos ciuitatum. Quod si Sol in radijs Saturni aut Iouis fuerit, periuros, perfidos, miseros et sordidis rebus deditos. In quarta idq; maxime in Martis uel Saturni radijs, patris celerem mortem notat, & generis totius atq; patrimonij euersionem. In quinta reddit uenustos, splendidos, ac omnia facile consequentes. Quòd si in eodem loco fuerit Venus, maximos à populo honores promittit. In sexta, graues ac longas ægritudines, Marte tenente primam domum, uulnera, celerem patris mortē, & euersionē patrimonij, idq; si in medio cœlo nulla stella fuerit. Nam si sidus aliquod eum locum teneat, opes magnas pollicetur. In septima, maxima uitia & ægritudines, præsertim in radijs Martis uel Saturni. In octaua patris repentinam mortem: in Martis aut Saturni radijs tetragōis uel oppositis deliros signat. In nona deorum cultores, siue templorū cōdutores, diuinasq; laudes cum iactantia & ostētatione celebrantes, è quibus honorē nō uulgarē consequentur. In decima & domo sua, uel Iouis, uel in altitudine sua, reges aut duces, qui à patre imperium accipient. In undecima felices reddit

dit ac nobiles, honestos parentes tribuit, & cũ ætate di uitias auget. Quæ omnia maiora erũt, si cum Ioue aut Venere fuerit, uel in trigonis eorum radijs. In duodecima ignobiles atq; seruos procreat, iacturam patrimonij, tristem uitam, & ægritudines graues. Veneris sidus in oriente diurno partu caupones, improbos & adulteros efficit. Nocturno facũdos, amicos imperatorum, ac illustrium uirorũ negocia curantes. In secunda domo per noctem, artium inuentores, felices, & deditos libidini: per diem tardas nuptias, & repentinos uxorũ interitus monstrat. In tertia præcipuè in radijs Iouis felices promittit nuptias. In quarta uenustos & magnorũ uirorum amicos facit. In quinta pios, comes, fortunatos, si ipsam Iouis stella uiderit, etiam nobiles. In sexta ignobiles uxores, aut uiduas & nunquã obsequentes uiris præbet. Si mulier sic Venerem habuerit grandi periculo ædet partũ. In septima si in suo signo fuerit, felicè reddit senectutẽ, tarde uxorem et liberos dat. In octaua diurnis horis, ægrè dat uxorẽ, eãq; aut uiduam, aut infœcundam, aut deformem. Nocturnis ẽ morte mulierũ opes largitur. Nonam lustrans, in templis facit desidentes sordidè, nunquam tondentes comã somniorum interpretes, & uolentes aliquid uelut à dijs dictum hominibus nunciare: quæ omnia firmiora erunt, si ipsam Saturnus aliquo radio contueatur.

In medio cœlo claros, potentes & Fortunatos efficit. Si fœmina in hoc loco Venerem habuerit, erit impudica, & omnium exposita uoluntati. In undecima si uespertina aliquos Saturni Martisue radios attigerit in fœcundos facit atq; illicito coitu gaudentes. In duodecima mulierũ causa mortem prædicit, & perpetuam solicitudinem. Mercurius in horoscopo philosophos facit, mathematicos, oratores, iurecõsultos, sacerdotes. In secunda domo matutinus, ignobiles, sceleratos, alienos à literis: uespertinus ac partu nocturno, negotiatores, fœneratores, & curantes aliena. In tertia sacerdotes, mathematicos, sapiẽtes, fortunatos. In quarta multiformi doctrina præditos, & res curantes alienas. In quinta matutinus, auidos auri ac argenti, & fœcundos in procreanda sobole: uespertinus prodigos, qui pecunias seruare non queant. In sexta è diuinis rebus atq; eloquẽtia diuitias largitur. In septima libidini & grauibus uitijs deditos, atq; si in domo Martis uel Saturni fuerit, lenones. In octaua matutinus auaros ac ambitiosos: uespertinus ignauos fatuos, laboriosos. In nona cõtentiosos & plura iactantes, quàm re ipsa præstare possint. In decima in cunctis rebus gerendis admirabiles. In undecima ingenioſos ac prudenter omnia perficientes. In duodecima publica & ardua negotia adfectantes. Luna exoriens ac plena fortunatos reddit, &

maiores

maiores fratribus ætate ac honore: in radijs Saturni uel Martis mox à partu genitos interimit. In secunda domo per diem aut parentes citò necat, aut natum ab ijs separat: per noctem claros efficit, feliciter omnia peragentes, sed luxui & delitijs deditos. In tertia matrem ignobilem uel infamem denotat. In quarta matrem breuis uitæ, & ante maritum morituram significat. In quinta copiosam promittit sobolē, unde is qui natus est, postmodo honorem adipiscatur. In sexta crescens & in cuiusdiā salutaris stellæ radijs, corporis sanitatem donat & opes è quadrupedibus. In septima augescens atq; in Iouis aut Veneris aspectu aliquo posita, felicem reddit senectutem, & lucrum à mulieribus. Contrà in radijs Saturni uel Martis maximè diurno partu, & decrescente lumine, ægrè dat uxorē eamq; uiduam, deformem, infœcundam. In octaua aliunde è morte cuiusdiā hæreditatem promittit. In nona cultores deorum efficit, & semper in templis desidentes. In decima nocturnis horis, in domo uel altitudine sua crescēs & in cōspectu Iouis, imperatores aut principes facit, quibus uitæ necisq; potestas sit: diurnis mediocres opes præbet. In undecima ea decernit, quæ in quinta. In duodecima breuis tempus uitæ portendit, & miseros ac laboriosos.

E PLANETARVM LOcis iudicia.

SAturni sidus in Ariete languidos facit præsertim quũ in enneaticos uel hebdomaticos annos incide rint. In Tauro prima ætate miseros, imbecilles, ægros, in senectute fortunatos. In geminis debiles quoq; & languidos præcipuè annis climæctericis. In Cãcro inopes, seruos, laboriosos. In Leone pauperes, qui à parẽtibus aut nihil accipient, aut si quid acceperint, perdent. In Virgine pios, humanos & uarijs occupationibus deditos. In Libra, si salutaris cuiuspiam stellæ testimonio adiuuetur, magnas pollicetur opes, alioqui pauperes facit aut prodigos. In Scorpione dolores peregrinationes & calamitates portendit. In Sagittario pericula & multas ægritudines. In Capricorno nunq̃ uirginem dat uxorem, sed aut uiduam, aut stupratam ab alijs. In Aquario qui Saturnum habent, in multa incidũt periculorum morborum, & tempestatum incõmoda: post quæ, si Iuppiter et Mercurius bene collocati sint, gloriam, opes, & honores maximos consequuntur. In Piscibus pauperes efficit, sed facetos & propria uirtute ac egregio aliquo facinore laudem sibi comparãtes. Iouis stella in Ariete facit claros, religiosos, fortes, imperiosos, et cũ regibus cõuersantes, excepta prima ætate, quæ multis periculis infestabitur

in Tau-

In Tauro iustos, fortes, fidos, alijs semper plus quàm sibi prodesse studentes. In Geminis diuites, auaros, laborioſos. In Cancro fidos & magnorum uirorum amicos. Ioue lustrãte Leonẽ in multis laboribus tantiſper agent uitam, dum Saturni ſtella uenerit ad Arietem, hoc eſt, trigonum Iouis radiũ: tum enim opes & principum amicitiã conſequentur. In Virgine honeſtos facit, uerecundos, pudicos, fideles. In libra parit turbas ignominias, iniurias, peregrinationes, præcipuè ſi fuerit in aduerſis Saturni radijs. In Scorpione generoſos animo pariter & corpore fortes reddit. In Sagittario glorioſos, principes, duces, eruditos ac diuites, in tetragono Saturni radio uxorem & liberos denegat. In Capricorno ſi fuerit in ſudoribus & periculis uerſabuntur, donec ſecundum curſum peregerit ſidus, à quo tempore fortunatior uita conſequetur. In Aquario uenatores gignit, formoſos, & ueſtium ornatu plurimum gaudentes. In Piſcibus philoſophos, iureconſultos, atq; occultarum artium indagatores.

Mars in Ariete fures, fraudulẽtos, ſuperbos. In Tauro audaces, contentioſos, homicidas, fœdi aſpectus, & iocis ſemper deditos. In Geminis uerſutos, qui aſtu magis, quàm uirtute uel ui aperta alios ſuperare ſtudeant. In Cãcro dimicatores, equites, militarem artem exẽrcentes, qui abſoluto Saturni curſu chirurgicæ, & magicis

magicis incantationibus operam dabunt. In Leone tristes solicitos, cogitabundos. In Virgine q̃ res grauissimæ iracundiæ, iram diu in pectore seruantes, ignobiles & inopes, ita ut uix necessaria uitæ alimenta possint adipisci. In Libræ signo formosos, bellicososq̃. In Scorpione circa uitæ initiũ pauperes & inuidos, pòst ætate prouectiore sapientes, fortes, frugi. In Sagittario pigros, inertes, molles, effœminatos, imbecilles, muliebri uoce & cultu gaudentes. Verum simul atq; Zodiaci orbem Saturnus permeauerit, fortes erunt, magnanimi, & arduis rebus occupati. In Capricorno generosos, fortes, qui quæuis negotia audaci animo intrepidè suscipiant. In Aquario perfidos, sceleratos, contentiosos, semper alios ad discordiam instigare conantes, qui postea aut uisu priuabuntur, aut aliquo membrorum uitio laborabunt, atq; alijs uictus causa seruire cogentur. In Piscibus omnibus corporis uoluptatibus deditos, uates, & magicarum artium studiosos. Sol in Ariete crudeles & uictoriam summè adfectantes, qui postquam Saturnus tertiam cœli partem transierit, si Solis sidus in Angulis mundi extra tela malorũ fuerit, opes augebũt, & honorem à regibus cõsequentur. Quòd si in Saturni uel Martis radios eo tẽpore inciderit, à principibus incommoda patientur. In Tauro auaros, qui per fas per nefas colligent diuitias. In

Geminis

Geminis principes, aut primates, sed paruæ potentiæ qui res omnes pro sua libidine gerere studeant. In Cancro uenustos, fabulis atq; amoribus deditos. In Leone reges, principes, duces, armis ac bellicis rebus operam nauantes. In Virgine claros, felices, & mirabili quodã ingenio præditos. In Libra principes, qui amisso imperio uix aliquem inuenient, cui uitam suam tutò possint credere. In Scorpione formosos, magni nominis & famæ, qui honorem à regibus consequentur, & hæreditates multas acquirent. In Sagittario fraudulentos. In Capricorno principes in crebras ægritudines, dolores famæ ac opum dispendia incidentes. In Aquario solicitudines, languores, morbos, damna ac pleraq; hoc genus incõmoda significat. In Pisc. inertes facit, desides ociosos. Veneris sidus in Ariete tristes, solicitos, pauperes, mendicos, multæ cogitationis, & impuro nonnunquam amore detentos. In Tauro nobiles, magnæ existimationis & famæ, regum ac principum familiares, & regiorum fortasse liberorũ pædagogos, & qui semper cum primatibus ac nobilibus uiris consuetudinem habeant: idq; præcipue, si Veneris stella in prosperos aliquos Iouis radios inciderit. In Geminis sapientes, facundos, formosos, omnibus gratos, beneuolos, qui summo pietatis ardore cunctis hominibus & pauperibus opem ferre desiderent. In Cancro epulas, conuiuia

uiuia, gemmas, & huiuscemodi luxus seu ornamenta sectantes. In Leone pauperes, abiectos, miseros, infelices. In Virgine tristes, inter infimæ sortis homines plerunq; conuersantes. In Libra æquos, iustos, rerũ bellicarum studiosos. In Scorpione acres, arrogantes, improbos. In Sagittario fortes, audaces, qui uel arte sagittandi, uel alijs exercitijs bellicis apud nobiles homines uictum sibi comparabunt. In Capricorno honestos, placidos, alacres, uenustos, & conuiuia sectantes. In Aquario aucupes, uenatores, in cæteris negotijs pigros & inertes. In Piscibus doctos, sapientes, reges, principes, duces, iureconsultos. Mercurius in Ariete prauos, homicidas, insidiatores. In Tauro cantores, inertes, lentos, otiosos, ac uentri tantum, & uoluptatibus deditos. In Geminis sagaces, facundos, ad lites atq; discordias natos. In Cancro tristes, cogitabundos, astutos, insidiatores, infames. In Leone milites, qui bella & prælia sectabuntur, atq; in le summum decus sibi comparabunt. In Virgine fortes, industrios, sagaces, alentes equos, aues, canes. In Libra oratores, Arithmeticos, Geometras, astrologos. In Scorpione uenustos, honestos, liberales, equites. In Sagittario homicidas, qui armis & pugnis plurimum delectabuntur. In Capricorno pauperes, debiles, ignobiles. In Aquario astronomos, augures, uates, interpretes somniorũ, & futu-

ros

ros euentus hominibus prædicentes, unde & famã & opes consequentur. In Piscibus formosos, facundos, iurecõsultos, eruditos. Luna in Ariete reges, principes, diuites, magnæ famæ, uenustos, fortes, audaces. In Tauro tranquillos, alacres, prudentes, formosos. In Geminis pauperes, miseros, infelices, deformes, temere omnia peragentes. In Cancro reges, principes, locupletes, corporis proceri & uenusti. In Leone itidem principes, reges, opulentos, sed sæuos & arrogantes. In Virgine tristes, cogitabundos, doctos, & pauperes. In Libra diuites ac nobiles, qui relictis omnibus negotijs, lusibus, choreis, ac eiusmodi uoluptatibus inuigilabunt, & propter amorem mulierum famæ ac rerũ suarum dispendia patientur. In Scorpione asperos, crudeles, imperitos, crasso ingenio. In Sagittario reges, duces, diuites, iureconsultos. In Capricorno nobiles, opulentos, magnæ existimationis. In Aquario uagos, profugos, exules, aucupes, uenatores. In Piscibus pauperes, otiosos, inertes, uenatores tamen & aucupes.

DE QVAESTIONIBVS.

Si quispiam rogauerit, quæ sit natura illius, de quo tacite in animo suo cogitat, etiam partus die ignoto, componantur domus mundi ad horam quæstionis, atque ex illis iudicetur non secus ac si esset hora partus. Si quis interrogauerit super absente sit ne uiuus

ne uiuus an mortuus, describendæ domus, imponendiq; planetæ in locis suis, deinde iudicandũ, quemadmodũ sequens exemplũ indicabit. Oriatur uigesima pars Leonis, Fortuna sit in uigesimo secundo gradu eiusdẽ signi Sol & Luna in medio cœlo, Saturnus in loco Fortunæ Danda pars emergens eiusq; dominus & Luna absenti, super quo est quæstio. Quia horoscopi præses Sol tenet decimam domum, uiuere uidetur, & optima esse ualetudine. Sed quoniam Saturni stella consistit iuxta gradum orientem, hoc est, lineã uitæ, idq; in loco Fortunæ, quorum utrunq; sidere suo infestat: tum maxime, quia Luna oppressa est radijs Solis, dicendum est esse mortuum. Si dominus signi orientis sit in prima domo, dicito accedentes ad te quicquam uelle quærere de se ipsis: si in secunda, de opibus, auro, argento, alijs ue possessionibus: si in tertia, de fratribus aut sororibus: si in quarta, de parentibus: si in quinta, de liberis si in sexta, de morbis: si in septima de nuptijs. Quòd si uitæ dominus retrogradus uel combustus sit, iudicium è Luna sumito ad eandem rationem.

COMMVNES QVAEDAM iudicandi formæ.

DOmum fortunatam esse dicimus, in qua fortunæ gradus est. Si fœtu nascente planetæ complures in occidente fuerint, felicẽ senectam id significa-

te

re. Humilem conditionem, si tempore partus planetæ nulli in domo sua fuerint: magnificam si multi. Huc referātur ea, quæ de climactericis annis alibi posuimus. Verius iudicabis oriente Libra & signis utrinq; proximis, quàm Piscibus uel Ariete, ob uelociorum ortū. Quippe si in hora partus ædenda nonnihil abberrauerint, arbitrabimur interdum Arietem emrgere, ascendente Tauro. Cæterum hæc ad climata pertinent, quibus maior latitudo, uel horizontis obliquitas: nā circa æquinoctium omnibus penè par mora in ortu. Si Fortuna diurno tempore in signo masculino fuerit, pater eius, qui natus est, ante matrem morietur: si, in fœmineo, mater ante patrem. Contrà nocte Fortuna in masculino sidere priorem matris mortē denuntiat in fœmineo patris. Masculina sunt Aries, Gemini, Leo, Libra, Sagittarius, Aquarius: alterius sexus reliqua. In figura partus dominus horoscopi et dominus horæ indicāt ea, quæ futura sūt primo anno. Quare si uterq; felicem nactus sit locum, felix significatur illius anni successus. Domini secundæ domus, & secundæ horæ, secundo anno præficiuntur: cæteri deinceps simili ordine alijs. Nonnulli adfirmant, si qui Luna Leonem permeante nouam uestem induant, esse illis eadem omnino ueste moriendum.

DE CAPITE DRACONIS.

ANαβιβάζων siue dracõis capũ quotidie tria minuta percurrit, uicenis q; diebus singulos gradus. Quãdo id in Ariete est, eo anno significat magnatibus felicitatem, ac exitiũ ignobilibus. In tauro diuitum & illustrium uirorum interitũ. In Geminis aduersas opulentorum atq; nobilium hominum ualetudines è uentis ortas. In Cãcro liberalitatẽ & clementiã regum. In Leone crebra fulmina & ignes in aëre. In Virgine, segetum ac frugum incõmoda. In Libra sæuitiam & inclementiam regum. In Scorpione arma & uulnera. In Sagittario segetum agrorumq; uastationem. In Capricorno felicitatẽ principum, cæterorum hominum pericula. In Aquario religionis detrimẽta. In Piscibus, potentiam nobilibus.

RIDICVLA, SED IVCVNDA quædam uaticinia.

PRoximo anno cæci parũ, aut nihil uidebunt, surdi malè audient, muti nõ loquentur. Ver erit calidum ac humidum, æstas calida & sicca, autumnus frigidus et siccus, hyems frigida et humida. Aestate erũt quandoq; pluuiæ, interdũ fulmina ac tonitrua, aliquando cadent grandines. Bellũ erit inter aucupes & aues, inter piscatores et pisces, inter canes & lepores, inter feles & mures, inter lupos & oues, inter monachos et

ouæ. Multi interibunt pisces, boues, oues, porci, capræ pulli & capones: inter simias, canes & equos, mors nõ tantopere sæuiet. Senectus eodem anno erit immedicabilis, propter annos, qui præcesserunt. Non pauci impia laborabũt, cõplures ægrotabũt, pleriq; morientur etiã ante senectutẽ. Varia erit rerũ mutatio. Periculosa erit nauigatio in oceano occiduo, præsertim, si oriantur tẽpestates. Reges & principes satis bene se habebũt. Vulgi fortuna quãdoq; bona fuerit, interim aduersa, aliquãdo mediocris. Diuites melius se habebunt quàm pauperes: sani, quàm ægri. Aurũ erit charius argẽto, plumbũ erit mediocris pretij. Circa Martiũ oues minoris emẽtur, quàm boues aut equi. Erit bonũ edere capones, pauones, perdices, & bibere optima uina. In aliquibus locis erũt cædes ac homicidia ppter aspectũ Martis. Plenilunium erit in Martio uel Aprili, quãdo Luna Soli erit opposita. Quòd si ipsa tum in caput uel caudã draconis inciderit, occultabitur tãtisper, dũ rursus ex umbra terræ emergat. Serenitas erit circa orbẽ Solis. Frigus uigebit in extremis zonis, & altis montibus. Calor & siccitas aëris futura est sub signifero. Ingens humoris copia erit circa mare Tyrrhenũ ac Ioniũ, & maximè in Oceano. Quæ de re uide Aristotelem libro decimoquarto Physicorum, capite ultimo paulo post finem.

DE FIGVRIS GEOMANTIAE.

	2		1		2		2
Acquisitio	1	Lætitia	2	Albus	2	Cõiunctio	1
	2		2		1		1
	1		2		2		2
	1		2		2		1
Amissio	2	Tristitia	2	Rubeus	1	Carcer	2
	1		2		2		2
	2		1		2		1
	2		1		2		1
Fortuna	2	Puella	2	Caput	1	Populus	2
maior	1		1	draconis	1		1
	2		2		2		2
	2		1		1		1
Fortuna	1	Puer	1	Cauda	1	Via	1
minor	2		2	draconis	1		1
	2		1		2		1

Figuræ bonæ dicuntur: acquisitio, Fortuna maior, Lætitia, puella, albus, caput draconis, cõiunctio, populus: reliquæ malæ. 2 parem punctorũ numerũ notat. 1 imparem. Acquisitio, coniunctio, lætitia puer figuræ sunt oriẽtales, masculinæ, diurno, aëreæ sanguineæ.

Amissio,

Amißio, Fortuna minor, rubeus, cauda draconis au=
ſtrinæ, maſculinæ, diurnæ, igneæ, cholericæ. Albus,
puella, populus, uia, ſeptentrionales, fœmineæ, noctur
næ, aqueæ, phlegmaticæ. Fortuna maior, triſtitia, car
cer, caput draconis, occiduæ, nocturnæ, terreæ, melan
cholicæ. Omnes figuræ, quæ in capite duo puncta ha=
bent, fixæ ſunt: excipiuntur cõiunctio, populus & ru
beus communes. Quibus unum in uertice punctũ eſt,
appellãtur mobiles, dẽpto carcere, quæ principio fixa
eſt, ſed in fine mobilis. Igneas et aëreas celeres ac leues
uocant: aquæas terreasq; tardas & ponderoſas.

Forma quærendi iudicem.

H	G	F	E	D	C	B	A
1	1	2	2	2	2	1	2
2	2	1	1	1	1	1	2
2	1	1	2	2	1	2	1
2	2	1	2	1	2	2	1

N	M	L	I
2	2	2	1
2	2	2	1
1	1	1	1
1	1	1	1

P	O
2	1
2	1

O 3 2 2



A, b, c, d matres dicuntur: e, f, g, h filiæ: i, l, m, n neptes: o, p testes: q iudex. A fit fortuito iactu punctorum parium ac impariũ in terra, siue arena. Simili modo b, c, d. E fit ex capitibus matrum: f ex punctis in descensu proximis: eodẽ pacto g, & h. I nascitur ex cõpositione a & b: l ex c & d: m ex e & f: n ex g & h: o ex i & l: p ex m & n: q ex o & p. In his quatuor anguli sunt, prima, quarta, septima, decima: succedentes secunda, quinta, octaua, undecima: cadẽtes tertia, sexta, nona, duodecima. Prima figura uitã significat illius, p quo est facta quæstio: secũda diuitias: tertia fratres ac sorores: quarta parentes, quinta liberos sexta ægritudines, septima matrimoniũ, octaua mortẽ nona religionẽ, decima agẽdi facultatẽ, undecima ratione amicorũ, duodecima inimicorũ. Haud cõmodè iudicaueris quũ ille qui quærit nõ est mente trãquilla, hoc est, quũ patitur aliquos affectus animi aut irã, aut amorẽ, aut tristitiã. uel quũ Luna cõbusta est, aut quando cœlum est nebulosum.

QVA

QVA RATIONE E FIGVRARVM prouentu nos iudicemus.

PLeriq; iudiciũ à iudice petunt: ego malo ſpectare multitudinẽ figurarũ. Vt ſi multæ proueniãt bona, colligere bona, ſiue rẽ futurã adfirmare: ſin malæ, prædicere mala, aut rẽ negare futurã. Plura adſcribe rem de artis uſu, niſi uiderẽ etiam uulgo ſatis eſſe perſpectum. Inuentio noſtra, nemini adhuc cognita mortalium, quod ſciam, quaq; olim res dignas admiratione, & prodigio ſimiles deprehendimus, modo dicta.

DIVINATIONVM GENERA.

DIuinatiõis ſpecies nouẽ ſunt. Aſtrologice diuinatio è ſyderũ motu atq; radijs. Hydromãteia ex aqua. Catoptromãteia, è ſpeculo. Lecanomantia, ex peluibus. Pyromantia ex igni. Geomantia è terra. Chiromantia ex inciſuris manuũ. Necromantia uel necyomantia, qua umbrarũ euocationes fiunt, & inferorum colloquia. Capnomantia ex fumo. Hæ omnes in formas duas diuiduntur. Naturales, quando nõ ratione aliqua ſed concitatione quadam animi futura præſentiunt: ut ſæpe in ſomniãtibus & uaticinantibus per furorẽ contingit. Artificioſas, quæ ex ueterum euentuum ſignorumq; obſeruatione futuros euentus colligunt. Diuinationum genera aliquot Cicero enumerat, cuius hæc ſunt uerba: Nec uerò quicquam aliud adfertur,

quur ea quæ dico diuinãdi genera nulla sunt, nisi quòd difficile dictu uidetur, quæ cuiusq; diuinationis ratio, quæ causa sit. Quid enim habet aruspex, quur pulmo incisus etiã in bonis extis dirimat tempus & proferat diem? Quid augur? quur à dextra coruus à sinistra cornix faciat ratum? Quid astrologus? quur stella Iouis aut Veneris coniuncta cũ Luna ad ortus puerorũ salutaris sit: Saturni Martisue contraria? Quur autẽ deus dormientes nos moneat, uigilãtes negligat? Quid deinde causæ sit, quur Cassandra furens futura prospiciat, Priamus sapiẽs hoc idem facere nõ queat? Reperiuolumina, quæ modum tradebant alloquendi planetas & ab ijs petendi quasuis res. Præscribebant id fieri debere in uestibus mundis, quæ eundem cum stellis colorem haberent. Sic Lunæ loquuturi uestę sese ornant cãdida, ac prælonga. Exquirũtur alia, quæ longũ esset hic recensere. Obseruatio uulgi est, si tredecim in conuiuio sint, unum ex illis ante annum moriturum. Vidi nonnullos, qui ob id ad cõuiuantes duodecim nunquam accedebant, ne numerum dictum complerent. Vanitatis mihi narratum est exemplum, in celebri quodã conuiuio tredecim numero eiusdem penè familiæ extitisse conuiuas, atq; ex ijs unum ante undecimum ab eo tempore mensem obijsse.

Pollex


Auricularis
Medicus
Medius
Index
Pollex
Triangulus
Linea

PHYSIONOMIA hominis.

CAput magnũ hebetes notat, ut in asinis: minutũ fatuos: mediocre felix ingenium: cacuminatum inuerecũdos. Plani capilli simplices: erecti uel crispi timidos, ut in æthiopibus: densi prauos. Frons ualde parua indociles, ut in suibus: rotunda hebetes: longa adulatores, ut in canibus: quadrata magnanimos, ut in leonibus. Aures crassæ magnæq; astutum, callidum, fraudulentũ: tenues ac breues docilẽ & bonæ indolis. Oculi subrubentes uerecũdos: parui pusillanimes: magni tardos: eminẽtes fatuos: ocyus circumuolubiles ganeonem tardioris motus pigrũ inertẽq; denotãt. Nasus rectus, linguæ significat intẽperantiam: acutus, iracundiam: obtusus, molliciem: aduncus, qui & aquilinus, regalẽ animum ac magnificentiam: simus immodestiam, scortationem: minor, fraudẽ, rapacitatem: apertus, animi uim, roburq; corporis: rotundus obstructusq;, stolidita em ac secordiam: obliquus intortusq;, mentis & animorum obliquitatẽ. Dẽtes parui & imbecilles & pauci hominẽ significant debilẽ, ingenio felici, mansuetũ, timidũ, uitæ breuis. Facies fusca fortes signat, impẽdiõ nigra uel alba timidos, ut in Aethiopibus & mulieribus. Collũ longum, pedes longos, gracile graciles indicat. Pectus amplũ aut prominens fortẽ & audacẽ. Motus

tus uelox incõstantes: segnis hebetes: tardus graues & magnanimos. In hominibus magnæ staturæ plus roboris est corpori, in paruæ animo. Quippe quãto uirtus magis est dispersa, tanto est imbecillior.

DE VRINA NON VISA.

Die Solis si quis ægrotare incipiat, siue petat remedium, dicito morbum esse calidum ex flaua bile, cor angi dolore, & mẽbra omnia grauari ægritudine. Hora Solis, corpus nimio adfici ardore, & mẽbra ueluti incendi, dolorem in corde, ac renibus esse. Die Veneris, languorem & uelut contractionem esse circa lumbos, renes, testiculos, spinam, umbilicum. Hora Veneris, dolorem iuxta renes esse è frigore ortum, & ægrum multiplici cura, ac solicitudine torqueri. Die Mercurij, adfectum esse pulmonẽ, ægrè spirare, & inde corporis totius ægritudinem, sensuũ uires perturbatas, graues cogitationes. Hora Mercurij tumores in corpore, dolorẽ in lumbis, qui ortus est ex æstu nimio & frigore sequenti, aut è uento aliquo. Die Lunæ phlegmata caput infestare, dolorem esse in lumbis, facile posse in ἀποπληξίαν incidere. Hora Lunæ morbum esse ortũ è frigore & humore adfirmes, atq; dextrũ latus malè habere, & nisi cito succurrant periculum fore de uita. Adde penè esse sublatum uenenũ ab eo, qui quondam fuerat amicus, & circa occipi-

tium

occipitium quoq; esse dolorem. Die Saturni, morbum esse frigidum & siccum, & diuturnum, ortũ in liene, membra omnia grauari, et maximè stomachum. Hora Saturni, morbum esse natum è uentis ac frigore, lumbos & splenem infestari. Die Iouis redundare sanguinem ob hepatis calorem nimium, dolorem esse sub pulmone circa dextrum latus, febribus ægrum laborare. Hora Iouis, adfectum esse hepar: tremore ac frigore corpus commoueri, sed morbum non esse diuturnum. Die Martis, morbum esse calidum & siccum, laborare febri, anxias cogitationes habere, languorẽ esse in renibus. Hora Martis, febres & tremores esse in corpore, redundare flauam bilem, imminere, morbum regium: huic ne detur medicamentum, nisi hora Martis. Ist hæc cõmunis natura planetarũ est: quam ob aspectus uarios, & singulares hominũ ortus contingit immutari: quod addo, ne quis obijciat complures eodem die ægrotare, non tamen eodem laborare morbo. Aliquam certè adhibendam esse rebus istiusmodi fidem, Astrologorum experientia docet, qui ex inæqualium horarum dominis, sæpe uitæ genus colligunt. Et mea equidem sententia tam dies quàm horæ quandã è syderibus naturam trahunt. Verum hic nihil efficiet prorsus, qui horoscopi signa, atq; quæstionũ uim, ut uocant ignoraxerit, in quibus iudicium omne è radijs pendet.

Ex

Ex his maiora cognoscuntur, quàm si hac ratione intelligas marbum. Dies Saturni, Iouis, aliorũq; siderũ errantium sumunt, non à media nocte, sed ab ortu Solis

DE SOMNIIS.

SOmniorum interpretationem adponemus, mire frugiferam, tum ad cognoscendum seruandumq; corporis statum, tum ad rerum futurarum metus inanes fugiendos. Fit enim non rarò, ut post fatigationem siue immodicũ uini usum acccenso corpore per somniũ uideantur ignes, gladij, pugnæ, uulnera. Vnde plerunque causæ ignari & timidi, si aliquò proficisci uelint, quales ego quosdam noui, portendi arbitrantur, sese in latronum manus incasuros. Atq; ideò cœptum quandoque iter dimittunt. Quod si tales ea quæ hic scribentur tenerent, scirent & à cibis calidioribus, seu nimio labore esse abstinendum, & nullum subesse periculum. Eadem dici possunt de tenebris horrore, aquis rebusq; alijsq; apparentibus, quæ miseros homines per sæpe deterrent. Somnia triplicia sunt. Naturalia, quæ ex corporis habitudine, siue natura aliqua prouenunt ut quum uidere se putant aut aquas, aut arma, aut res horrendas: quæ indicant redundare φλέγμα, choleram uel atrabilem. Fatalia, quæ futurum aliquid portendunt: cuiusmodi sunt, quando in somno nuptiæ apparent, quum ex affinibus quisquam mortuus est. Vana, inquit

na, quæ nihil omnino significãt. Talia dici possunt, quæ inde prouenĩũt, quod præcedenti die simile quicquam uiderint. Eà nanq; sæpenumero occurrere dormientibus solent, quæ uigilantes diurna luce tractamus.

SOMNIA NATVRALIA.

CHolericis arma, pugnæ, lites, ac res igneæ per somnium apparent. Melancholicis res horrendæ. Phlegmaticis aquæ, pueri seu ranæ natantes. Sanguineis eximiæ formæ puellarum, atq; colores rubri. Sanitatem indicant uidere per somnum acute, sine metu iter facere, facile & sine impedimento currere, terram planam, & cultã uidere, pullulantes arbores multis pomis onustas aspicere, pura aqua fluẽtes riuos intueri. Si autem uisus & auditus lædatur, morbũ capitis indicat. Sterilitas arborũ, & cæterorũ, seminis corruptionem notat. Mare per somnum perturbatũ morbum uentris significat, qui purgandus est. Quũ terra uel domus moueri uidetur: id sano morbũ prænunciat: languenti sanitatem, statusq; præsentis mutationẽ. Sano uictus tum mutandus, uomendumq; paulatim. Vestem albã calceamẽtaq; pulchra induisse per somnum optimũ est. Mihi contigit post balneum in somno, ut in cubiculũ ubi sodales aliquot mei ludentes sedebãt, quidam intraret qui summo artificio per caput, per dorsum, per genua, & brachia sese diu uolutabat. Quæ

expedita

expedita membrorũ flexio relicto somno, summopere placebat. Ex his etiam prædicere poteris aliorum somnia, quod mirum uidebitur imperitis. Quoniã si uideris per totũ diem hominẽ fatigatũ esse labore, bibisse uinum, cibũ sumpsisse calidũ, certum habe ea nocte per somnũ usum iri illi enses, uulnera, cædes, ac res igneas. Quod si præter laborẽ plus quàm satis est sumpserit alimenti, apparebunt præter pugnas eadẽ nocte tenebræ recessus profundi aut res horrendæ. Porrò si uideris quenquã, qui per diem totum otiosus desederit, quiq; res comederit ac biberit frigidas, cura ut is ante somnũ multum hauriat aquæ. Sic prædicere poteris futurum, ut dormiens se putet, uel uidere aquas, uel cum ranis ludere, uel natare inter naues. Quum primũ uenissem Lutetiã, die quodam non parum me fatigaueram tum ambulando, tum alijs modis. Cibum & potum calidũ sumpseram, idq; plus æquo, uel plus quàm commode stomachus quiuit concoquere. Grauis ac firmus somnus erat ob fatigationem. Circa mediũ noctis ista apparebant. Eram in uilla quadam extra urbem, ubi puella nunciabat in proximo campo cædi nebulones, seu milites, qui uim intulerant rusticis. Non multo post ipse uidi uenientes duos cum gladijs cruentis, qui peracto prælio uestes mutabant, ac sese purgabant sanguine. Tum ego timidus fugiebam ad urbem:

uerum

uerum ante quàm ad mediũ itineris perueneram, nox seu tenebræ oriebantur, ita ut coactus sim redire, unde exieram. Sed in reditu tot ualles profundas, tot antra, tot res horrendas offendi, ut ægre sim reuersus. Dimisso somno redundare colligebam flauam atq; atram bilẽ. Aliâs per totũ diem magno labore sum fatigatus, adeò quod in cœna siti coactus multũ aquæ hauserim. Nocte media complures truncatos capite uidi, & ipse quoq; in magno fui periculo ad duas tresue horas. Tum enim scribere cœpi quædam de siderum natura, quæ mihi in mentem ueniebant. Postea rursus uictus somno natatu longo nauem, quæ me anteuerterat, sequutus sum usq; ad somni satietatem. Sicut labor, potũ: sic pugnæ aquas præcesserunt.

SOMNIA FATALIA ET VANA.

AQuilæ per somnum supra caput uolantes, infortunia portendunt. Speculũ contueri, sobolẽ Contemplari in aqua faciem: item mortuos uidere fratres, uel sorores, uitam longam. Motus terræ, fraudem. Apes captare, lucrum. Nuptiæ, aliquem ex affinibus è uita migrasse. Pontem fractũ transire, timorem. Gaudium, tristitiam denunciat. Deum adorare lætitiam. Capillitio priuari caput, mortem amicorum. Domorum incendia, infamiam. Leporem uidere, mortem. Manus mundare, molestiam. Manus uidere immundas, damnum

lum & periculum. Manus attollere, honores. Ferrum tractare, longã uitam. Agnos pascere, dolorem. Plumbum tractare, morbum. Duas uidere lunas, honorem. Monachum uidere, mortem uel calamitatem. Muscas uidere, iniuriam. Pingues uidere boues, rerum abundantiam. Boues errare, lucrum. Boues aquam ingredi, malum. Fornaces ardentes, peregrinationem. Amittere dentem uel oculũ, mortem alicuius amici. Oleo perfundi, felicitatem. Musicorum instrumentorum tinnitum audire, iram. Zizaniam serere, infamiam. Nummos tractare, iram. Mortuos uidere equos, felices rerum euentus. Mutum esse, celerem lætitiam. Flere per somnum, gaudium. Serpentes interimere, uictoriam. Vela uidere, malum. Dentes habere sanguinolentos, mortem somniantis. Dentes extrahi, mortem alterius. Testamentum condere, malum est. Aues intrare domum, iacturam. Somnia uana pendent è naturalibus. Nam licet ignes aut pugnas præcedenti die uideris, ea tamen dormienti non apparebunt, si phlegma siue atrabilis magis quàm flaua in corpore redundet, nisi prius uisum tam sit insigne, ut usque animo inhæreat. Quale fuerit, si pridiana meridie quispiam dimicauerit, aut in magno fuerit periculo uitæ: tum enim sponte eorum mens meminerit, tametsi à cholerico uapore non admoneatur.

IOACHIMI FORTII RINGELBERGII ANDOVERPIANI CHAOS.

IOACHIMVS FORTIVS PETRO AEGIDIO, S.

IN hunc libellum res uarias congeſsimus, titulumq; fecimus Chaos, quod olim erat quædam rerum omnium ſine ulla forma confuſio. Quare ſi quis miretur hic uaria cõnecti, neq; ea cohærere, illi ante oculos uerſentur Ouidij uerſus:

Rudis indigeſtaq; moles,
Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtaq; eodem
Non bene iunctarum diſcordia ſemina rerum.

Speramus tamen Chos noſtrum neq; inutile, neq; iniucundum fore, quanquam ea luce, quam requirit cõmunis ſcribendi ratio caret. Diuerſæ etenim formæ coloriſq; floſculi ſine lege per agrum ſparſi nõnihil habere gratiæ ſolent, ac uarietate quadam contuentiũ oculos detinere. Hoc opuſculum doctiſsime Petre, nomini tuo inſcribimus, nec id ſine ratione. Nam quemadmodum hic maxime uaria in corpus unum coëunt, ita uix ullam artem reperiri exiſtimo, in qua non feliciter ſis uerſatus. Vale. Andouerpiæ decimo ſexto Calend. Maias, ANNO M. D. XXIX.

DE

DE DEO.

TRIPLEX uocis ratio. Alij dictũ esse Deũ aiunt à currendo siue mentis celeritate, quod mente nihil sit celerius. Cui opinioni & Plato adstipulatur in Cratylo uel nominum origine: φαίνονταί μοι οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων τῶν περὶ τὴν ἑλλάδα τούτους μόνους θεοὺς ἡγεῖσθαι, ὥσπερ νῦν πολλοὶ τῶν βαρβάρων ἥλιον καὶ σελήνην, καὶ γῆν, καὶ ἄστρα, καὶ οὐρανόν. ἅτε γοῦν αὐτὰ ὁρῶντες πάντα ἀεὶ ἰόντα δρόμῳ καὶ θέοντα, ἀπὸ ταύτης τῆς φύσεως τῆς τοῦ θεῖν, θεοὺς αὐτοὺς ἐπονομάσαι. Alij appellatum esse Deum putant à uerbo θεῶμαι, quod omnia conspiciat, totus enim uisus est. Alij ἀπὸ τοῦ δέους, id est, timore, quod illo nihil sit maius, quod ab omnibus timeatur, & neminẽ ipse timeat. Tres de deo opiniones fuerunt: quarum prima, nullum deum, nulla dei imperium: secunda deos multos, & cuiq; suum imperium: tertia unum solum eiusq; unicum imperium statuit. Tantum esse unum deũ, hunc in modum Lactantius docet. Quemadmodũ in re militari, ubi tot sunt imperatores, quot legiones, cohortes, alæ, non facile instruitur acies: ita in mundo uniuersa corruent, nisi sit unus, qui omnia gubernet. Roganti regi cuidam num quis se uiueret felicior, barbarus respondit: πρῶτα

Id est, Apparet primum circa græciæ orã deos appellatos esse, quos nunc barbari cõplures Solẽ et Lunã & terrã & astra et cœlum nuncupant. Atq; ea cursu æterno eũtia currẽtiaq;, à natura istiusmodi deos nomi-

nasse.

Id est, Pri= Πρῶτα θεός, μετὰ πέντε λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν
mũ deus, de αὐτοῖς: Σύμφυλα δὲ τρία πάντα, καὶ εἰς ἓν ἴοντα.
inde sermo Qui uer sus personas treis, ac deum unum exprimunt.
et spũs cum Deo nomen non est, quia solus est: nec opus est proprio
ipsis, qui u= uocabulo, nisi quum discrimen exigit multitudo. Hoc
nius sunt na interest inter naturam dei & nostrã, quod nostri me=
turæ, & in lior pars animus sit, in illo nihil extra animum, totus
unum con= est ratio. Quod in triremi gubernator est, dux in ur=
fluunt. be, imperator in exercitu, hoc in mundo deus. Nazian
zenus, sic eum describit: ὥσπερ ἐν αἰσθητοῖς ἥλιος.
ὅπερ ἐν νοητοῖς θεός. Id est, Hoc menti deus, quod
sensibus splendor solis. Huius uultus tribus per ordi=
nem positis lucet in speculis, angelo, animo, corpore
mũdi. In illo propinquiore, clarissime: in hoc remotio=
re obscurius: in hoc remotissimo, si cæteris compares,
obscurissime. Proinde sancta mens angeli nullo impedi
ta corporis ministerio, in seipsam reflectitur, ubi Dei
uultum illum sinu suo insculptũ introspicit, inspectum
illico admiratur: auidissime illi semper inhæret. Vultus
illius diuini gratiam pulchritudinem dicimus. Auidita
tem angeli dei uultui penitus inhærentem proprie uo=
camus amorem.

DE CHRISTO ET MAVMETHE.

CHristi nomina sunt: uerbum, lumen, Iesus, ac sa
cerdos. Verbum nominatur, quia per illud pa=

ter

ter dixit atq; creauit oia. Etenim sicut sensus in animo nostro conceptus, qui prius διάνοια dicebatur, ipsa pronũciatiõe fit λόγος: sic sermo dei ante conditũ mundum semper nascens ex corde patris, nec inde recedẽs sapientia erat. Ea deprompta per mundũ conditũ sermo esse cœpit, per quẽ pater nobis loquutus est. Lumẽ nam quemadmodũ Solis sydus nunq; sine lumine cõspicitur: ita et deus nunquã sine filio Iesus, quia seruator ac instaurator generis humani est. Et sacerdos, quoniã sacrificiũ obtulit seipsũ pro hominibus. Sicut apud Romanos Cæsar, apud Aegyptios Pharao, ita apud Iudæos Christus cõmuni nomine rex appellatur. Dictus est ἀμήτωρ, quod genitus sit ex deo sine matre: ἀπάτωρ, quia natus sit ex uirgine sine patre. Christus reuixit sexto Calendas Aprileis, in cœlũ ascendit tertio Nonas Maij, sacrũ spiritũ discipulis misit Idibus Maij. Maumethes asserebat se à Christo uerbis manifestis promissũ fuisse, scriptũq; esse in euangelio: Prædico uobis post me uenturũ esse dei nunciũ nomine Maumethem, spiritũ ueritatis, qui docebit uos omnia. Cæterũ ea machinatio & callida erat, & ridicula. Quippe ante Maumethis aduentũ causa nulla erat, quare potius Maumethis, quàm Pilati, uel Iudæ, uel Antichristi nomen euangelio subtraheretur. Falsò igitur nomen suũ posuit, ubi apud Ioannem dei spiritus promittitur.

DE DIIS AC THEOLOGIA Gentilium.

ANte omnia Chaos fuisse dicunt, atq; illud per longum tempus fines sibi & fundum quendã feciſſe, tanquã in oui immanis formam collectum. Ex quo diſrupto ſpecies quædam hominis eſt orta duplicis formæ, quam maſculo fœminam & Phanetam uocant. Ex hac prodierunt cœlum & terra. E cœlo ſex geniti mares, quos Titanas appellant, Oceanus, Cœus Crios, Hyperion, Iapetus, Cronos, qui Saturnus dicitur. E terra ſex fœminæ, quæ Titanides uocantur: Thya, Rhea, Themis, Mnemoſyne, Thetis, Hebe. Ex his omnibus, qui primus fuerat è cœlo natus, primam terræ filiã accepit uxorẽ: ſecundus ſecundam: & cæteri ſimili ordine. Saturnus itaq; in coniugium accepit Rheã. Is reſponſo cõmonitus erat ſe quendam genituru filium, qui patrem pelleret regno. Quam ob cauſam omnes, quos habiturus eſſet libros deuorare inſtituit. Vorauit ergo Aiden ſiue Orcum, et Neptunum. Tertium Iouem mater Rhea patri arte ſubtraxit. Atq; ne uagitus pueri audiretur, Corybantus quoſdã cymbala fecit ac tympana percutere, ut obſtrepente ſonitu, infantiis uagitus nõ audiretur. Sed quũ ex uteri imminutione intellexiſſet pater æditum partum, expetebat ad deuorandum. Tum Rhea lapidem ei offerens magnum,

magnum, hunc genui, inquit. At ille saxum absorbuit. Cuius casu ac grauitate uoratos alios expulsos esse memorant. Maiores non unum tantum Saturnum esse aiebant, nec unum Iouẽ, aut Herculem, sed uetustißimos gentium singularum reges Saturnos dictos: illorum filios, Ioues ac Iunones: nepotes Hercules. Cicero tertio de natura deorum: Ioues plures in priscis Græcorum literis inuenimus. Vnde apud Babylonios Nymbrotus Saturnus est: cuius filius Belus Iuppiter Babylonius nuncupatur: quemadmodum in tertio libro Diodorus adfirmat. Pari modo Cameses apud Aegyptios primus Saturnus fuit: cuius filij Osiris atq; Isis Iuppiter et Iuno Aegyptij appellantur: & Osiridis filius Libyus nomine corporis robore admirabili uir Aegyptius Hercules uocatus est. Sic & Alcœus ex Ioue & Alcmena Græcus Hercules fuit. Ex his manifestum est unũ eundẽq; uirũ & Saturnũ & Iouẽ & Herculẽ esse posse ratiõe diuersa. Saturnorũ patres cœli uocantur, quod uiderẽtur antiquißimi è cœlo siue superis delapsi esse. Qua de re Xenophontis in libello, quẽ de æquiuocorũ rationes conscripsit, hæc uerba sunt: Saturni dicuntur familiarũ nobiliũ regum, qui urbes cõdiderunt senißimi. Primogeniti eorũ Ioues & Iunones Hercules uerò nepotes eorũ fortißimi. Patres Saturnorũ cœli, uxores Rheæ, & cœlorum Vestæ. Quot ergo Saturni, tot

Cœli, Veſtæ, Rheæ, Iunones, Ioues, Hercules. Idem quoq; qui unis populis eſt Hercules, alteris Iuppiter eſt. Nanq; Ninus & Chaldæis Hercules fuit, & Aſſyrijs, quibus oppidum paternum tetrapolim & caput imperij ſtatuit, Iuppiter. Hæc Xenophon. Ideò & Semyramis eius cõiunx ita de Nino in columna quadam ſcripſit: Mihi pater Iuppiter Belus: auus Saturnus Babylonicus: proauus Saturnus Aethiops: abauus Saturnus Aegyptius: attauus, Cœlus Phœnix Ogyges. Ab Ogyge ad meum auũ Sol orbẽ ſuũ luſtrauit ſemel ac tricies & centies. Ab auo ad patrẽ ſexies & quinquies. A patre ad me bis & ſexagies. Beroſus quarto libro de regnorum antiquitate: Itaq; Nymbrotus Babyloniæ Saturnus primus creatus eſt. Iouis quatuor precipue nomina fuerunt. Stator, quod Romulum precantẽ, ut fugam ſuorum ſiſteret, audiuit. Tonans à tonitruo, ſicut et fulminans à fulmine. Vnde in ſacris Romanorũ Ioue tonãte aut fulminãte comitia ne ſunto. Feretrius quod pacem ferre putaretur. Quoniam ex tẽplo eius quod Romæ primum à Romulo ædificatum erat, ſumebant ſceptrum per quod iurarent, & ſilicẽ quo fœdus ferirent. Elicius ab eliciendo, quod ſacris quibuſdam & precationibus eum cogebant è cœlo deſcendere. Ouidius in Faſtis: Eliciũt cœlo te Iuppiter, unde minores Nunc quoq; te celebrant, Eliciumq; uocant. Con-

ſtat

stat Auctinæ tremuisse cacumina syluæ, Terraq; subsedit ponderepressa Iouis. Quatuor has uoces in naturali historia Plinius sic enumerat: Inter Statores, et Tonantes, & Feretrios, Elicium quoq; accepimus Iouem. Homerus Martem ἀλλοπρόσαλλον uocat, hoc est, ad alium atq; alium euntem ac instabilem. Treis animi esse adfectus constat, qui homines in omnia facinora præcipites agunt: iram, cupiditatem, libidinem. Ira ultionem desiderat, cupiditas opes, libido uoluptates. Hæ apud ueteres Furiæ nũcupatæ sunt, id est, deæ furoris, Noctis & Acherontis filiæ. Easdem finxerũt Poëtæ loca inferna inhabitare. Cicero eas uocat tormẽta siue cruciatus scelestæ mentis. Nolite, inquit, putare quemadmodum in fabulis sæpenumero uidemus, eos qui aliquid impie sceleratéq; commiserunt, agitari & perterreri tedis ardentibus. Sua quenq; fraus & suus terror maxime uexat. Suũ scelus exagitat, amentiaq; afficit. Suæ malæ cogitationes, conscientiæq; animi terreni. Hæ sunt impijs assiduæ domesticæq; Furiæ. Quæ dies noctesq; parentum pœnas à sceleratissimis filijs repetant. Tres parcæ temporibus diui sæ esse traduntur, ac pensi filum partim iam esse deductum, partim deducendum, partim nunc torqueri dicitur. Quarũ quæ præteritum respicit, Atropos nuncupatur, hoc est, inexorabilis, quoniam quæ præterierunt, mutari

non possunt. Quæ futurum Lachesis, quasi sortilega, quia sua rē quanq; sors per naturā manet. Quæ præsens Clotho, quasi torquens, quod sua cuiq; torquēdo perficiat. Lactantius interpretatur Parcas triplicem rerum omnium statum: ortum qui præbet initium uitæ, naturæ uigorem, & mortem siue occasum. Genius est deus, cuius in tutela, ut quisq; natus est, uiuit, à gignendo ita appellatus, siue quòd ut generemur curet, siue quòd unà gignatur nobiscū, siue quòd genitos nos suscipiat ac tueatur. Cupido pingitur aliger, quia chameleonte mutabilior: nudus, quia pudore uacat. Iuno aliàs Lucina uocatur, quòd præsit parturiētibus: aliàs Pronuba, quò antistes sit matrimonij. Diana insoluis, Luna in cœlo, apud inferos Proserpina dicitur. Fortuna cæca nunpatur, quia nihil cernat, quo sese applicet. Insana, qd'sit atrox, incerta, instabilis. Et bruta, quoniam dignum aut indignum nequeat internoscere. Metellus qui primus Corsos subegit, in mari tempestatem magnam passus, ædem deæ Tempestatis erexit. Ouidius in Fastis:

Te quoq; Tempestas meritam delubra fatemur,
Quum penè est Corsis obruta classis aquis.

In Aegypto Anubis, in cœlo Sirius, apud inferos Cerberus. Flumina inferorum sunt Styx, Acheron, Lethe Cocytus, Phlegeton: per quæ significantur odium, tristitia,

stitia, obliuio, luctus, ardor. Numa sacerdotum ordinem diuisit in septem genera. Curiones qui pro Curijs hostias immolabant. Flamines, qui pileum assidue gestabant, quasi filamines. Nam quum nudo capite incedere nephas esset, & propter æstum pileum gestare non poterant, filo capita religare cœperunt. Flamines tres erant: Dialis, Martialis & Quirinalis. Cæterum duces, qui reges custodiebãt. Augures, qui futura prædicebant. Vestales uirgines, quæ deos precarentur. Fœciales, qui belli pacisq; autores erant. Et pontificẽ maximum, cui sacra erant, siue Rheæ qui in sacrificijs matris deorum armati saltabãt. Sic appellati, quod inter saltandum capita iactent.

AD IVS PERTINENTIA.

IVS in parteis duas diducitur: diuinum, quod euangelij atq; sacrarum literarum præceptis constat: & humanum, quod moribus legibusq; conscriptis continetur. Posterius in duo itidẽ genera distrahitur: pontificium siue canonicum, & ciuile. In diuina lege, quædam præcepta sunt, quæ scribũtur de fœnore, ac adulterijs. Quædã consilij, ut si quis percusserit maxillam dexterã, præbe sinistrã. Romani iuris partes quinq;. Lex, populi cõstitutio, quã natu maiores simul cũ plebe aliquid sanxerunt. Plebiscitũ quod plebs sola constituit.

tuit. Senatusconsultum, quod soli senatores populo consulentes decreuere. Constitutio siue edictum, quod rex aut imperator solus constituerit. Et prudentum dicta, quæ iureconsulti consultori responderunt. Dissidentius & fas, quod fas dicatur lex diuina: ius lex humana. Vt per agrum alienũ transire fas est, ius nõ est. Quoniam id leges sacræ permittunt, humanæ uerò prohibent. Tres maximi fuerunt legũlatores: in Iudæa Christus: in Arabia, Maumethes: in Aegypto Moses. Veteres in iudicijs, quando significare uolebant absoluendum esse hominem, subscribebant literam Taf. Quando uerò indicabant causam accuratius esse cognoscendam, ponebant λ, hoc erat, non liquere, neq; iudicium manifestum esse. Quum autẽ damnabant, scribebant Thita literam, quæ non absimilis est cordi transfixo. Inde Persius in quarta Satyra: Et potis es nigrũ uitio præfigere Theta, id est, iudicare uel discernere potes quid bonũ, quid malũ. Oẽs homines aut liberi sunt, aut serui. Liberi rursus aut ingenui, qui statim ut nati sũt liberi sunt: aut libertini, qui ex iusta seruitute manumissi sunt, hi & liberti uocãtur. Terentius: Feci è seruo, ut esses libertus mihi, propterea quod seruiebas liberaliter. Manumissio datio libertatis est. Aristoteles iudicem uocat ἔμψυχον νόμον, id est, legem animatam. Aequitas ius naturale est. Capitis diminutio prio

ris

ris uitæ commutatio est. Ea multiplex est. Si amittunt libertatem, ciuitatem, ac familiam, maxima capitis diminutio dicitur: si ciuitatem duntaxat media. Census, recognitio populi, ac uirium ciuitatis, facta per censores. Dolus malus, machinatio quædam alterius decipiendi causa, quum aliud agitur, aliud simulatur. Quæstio, ueritatis per tormẽta inquisitio. Vsus fructus, ius alienis rebus utendi fruendiq; salua rerum substantia. Hæreditas, successio in uniuersum ius quod supereſt, deducto ære alieno. Affines uiri & uxoris cognati. Calũnia, falsa criminis impositio. Auctio, publica uenditio bonorũ. Cicero pro Deiotaro: ille iterum ille tertio actionibus factis pecuniam dedit.

DE RE MILITARI.

IN summo imperatore seu duce quatuor necessaria rei militaris scientia, autoritas, felicitas, uirtus. Duo bellorum genera. Alterum quod sola imperatorum libidine, ac petulantia quadam ferocientium animorum leuibus de causis concitari solet. Alterum quod pro patriæ tuitione, pro liberis, pro fortunis ac rep. tuenda geritur. Lituus, genus buccinæ curuæ est, sono acutiore ac proprie equitũ. Tuba genus buccinæ directæ grauiore sono, & peditum. Buccina uox generalis est, accipitur etiam pro cornu quodam aut simili instrumẽto quod inflatur. Columella septimo libro: Ad sonũ buccinæ

cinæ pecus, si quod in syluis substiterit, septa repetere consuescat. Classicum cornu retortũ est, &c. etiam sonus ipse. Horatius:

Nec excitatur classico miles truci.

Hostes sunt quibus nos, aut qui nobis bellum publice constituerunt. Signorum genera tria sunt: Vocalia quæ uoce humana pronunciantur. Semiuocalia, quæ cornibus aut tuba dãtur. Et muta, cuiusmodi sũt Aquilæ, Dracones. Pescennius Niger uetuit, ne milites zonã secum deferent in bellum: sed si quid haberent pecuniæ in ærario relinquerẽt, recepturi post prælium quò & ipsis luxuriei materiam eriperet, & hosti prædam, si quid aduersi euenisset.

AD MEDICAM ARTEM spectantia.

MEdici herbarum gradus quatuor enumerant. Primum qui uix sentitur. Secundum, qui manifeste sentitur, sed nõ offendit. Tertium, qui sensum lædit. Quartum, qui breui interimit. Chelidonia naturam habet calidam & siccam in tertio gradu. Argentum uiuum humidum est in quarto. Aurum temperatæ naturæ est, calidum tamen & siccum, sed ad gradũ nullum peruenit. Datur aduersus leprã ac debilitatem stomachi. Decretorij dies nuncupantur, quando Luna consistit in gradibus qui uel quadrante, uel diametro mun di

mundi, à ſigniferi parte diſtant, in qua ipſa erat initio morbi. Cæterũ ad radios hos nunc ocyus, nunc ſegnius ipſa peruenit, ob uelociorẽ tardiorémue curſum. Criſis non omnibus eadẽ, propter naturas diuerſas corporum, ætatum, temporum anni, & radiorum, qui à planetis alijs, ad Lunam iaciuntur. Hæc ſi decretorio die ſit in domo ſua, ſiue exaltatione, uel cum Ioue aut Venere, bonam criſin futuram indicat. Si morbus oriatur ex repletione, bonum eſt ipſam in radijs tetragonis, ſeu oppoſitis decreſcere. Si temporibus iiſdem iungatur Soli, uel Saturno, malum: & ex cauſa poſteriore morbus longus ſignificatur. Si ea decreſcens Saturno adiungatur ægritudinis initio, aut morbum id diuturnum portendit, aut mortem. Sin creſcente idem ſidere eueniat, ualetudinem meliorem.



In morbum incidens, quum Luna est in sexto gradu Arietis, indicatiuos dies habebit, quando ipsa erit in sexto Geminorum, Virginis, Sagittarij, Piscium: κριτικοὺς uerò, quum fuerit in sexta parte Cancri, Libræ, Capricorni, Arietis.

ORDO

ORDO ET SVBIECTA artium.

DVo artium genera sunt. Alterum mechanicũ ut lanificiũ, nautice, agricultura, chirurgia sic dicta quod manuum officio exerceatur. Alterum, quod præceptionibus magis & animi meditatiõe, quàm corporis exercitio discitur. Hoc diuidi potest in quinque formas: Logicen, Mathematicen, Moralem, Naturalẽ Supernaturalem. Logices partes sunt: Grãmatice, Dialectice, Rhetorice, Mathematices: Arithmetice, Musice, Geometria, Astronomia. Moralis Ethice, Oeconomice, Politice. Naturalis, Physice, ac Medicina. Supernaturalis, Metaphysice, & Theologia. Septem priores liberales uocãtur, quod liberum requirunt animũ. Politicæ partes duæ, ius ciuile et scientia militaris: quæ in terrestrẽ naualẽq; distribuitur. Mechanicarum artium subiecta sunt lana, nauis, agri. Grãmatices, loquutio: Dialectices, argumentatio: Rhetorices eloquentia: Arithmetices numerus: Musices, numeri consonantia: Geometriæ, magnitudo: Astronomiæ, magnitudo cum motus ratiõe: Ethices, quæ uirtutum ac uitiorũ genera tradit, summum bonum: Oeconomices, res domestica: Politices, respublica: Physices, corpus: Medicinæ, corpus humanũ: Metaphysices, ens: Theologiæ, deus. Rursus artium genera tria sunt. Animi tantũ, ut Poëtice,

Musice, Astrologia, Grammatice, Rhetorice, iuris scientia, philosophia. Corporis, ut iaculatio, saltatio, uelocitas. Animi & corporis: ut ruris cultus, palestra chirurgice. Deniq; omne artũ genus aut est inspiratũ ut theologia: aut inuentum, ut philosophia: aut mixtum, ut diuinatio.

DE PHILOSOPHIA.

PHilosophiæ tres partes sunt, Physice, quæ rerum naturas scrutatur: Ethice, quæ mores & uiuendi leges docet: Logice, quæ sermonis ratione cõplectitur. Hac cõtinẽtur Grãmatice, rectè loquẽdi scribẽdiq; scientia, usu, ratione, autoritateq; cõstans: Dialectice, ars diſſerendi uel docendi: Rhetorice, quæ docet modum loquendi apte, copioſe & distincte. Autor Stoicæ sectæ Zeno fuit: Epicureæ Epicurus: Cynicæ Antisthenes: Achademicorum Plato: Peripaticorum Aristoteles. Philosophi nomen habent à ciuitatibus, ut Megarenses, Elienses, Eretici, Cyrenaici. A loco, ut Academici, Stoici: Stoa enim porticus erat, in qua diſceptare solebãt. Ab ignominia, ut Cynici: A fastu, ut qui se φιλαλήθεις ueritatis studioſos uocabant. A præceptoribus: Socratici, Epicurei. Qui de rerum natura scripſerunt, Physici uocantur. Qui de moribus, Ethici. Cæteri à diſſerendo, Dialectica. Duo philosophorũ in in diſſerendo genera. Vnum eorum quæ certam quæstionis partem defendunt, ut Stoici & Pe-

ripatetici. Alterum qui ad quæstionem diuersas rationes conferunt, è quibus ueritas colligi potest, ut Academici & Socratici. Triplex fuit academia. Vetus à Platone, Speusippo, & Zenocrate instituta. Media, quã Arcesilas instituit. Hic aiebat nihil adfirmari, aut cõprehendi posse. Tertia quã cõstituit Carneades. Philosophia iuuenibus sobrietas: senioribus solatiũ: pauperibus diuitiæ: diuitibus ornatus. Synesius ait eam legẽ natura præstantiorẽ esse: quod hæ ut recte uiuas cogunt, illa docet. Quãtoq; deterius est coactũ facere aliquid q̃ sponte, tanto legem inferiorẽ esse philosophia. Eius uerba hæc sunt: καλὸν νόμος ἀλλ' ὁ κρείττων φιλοσοφίας. ὁ μὲν γὰρ βιάζεται μὴ ἀδικεῖν, ἡδὲ διδάσκει. ὥσῳ ἂν χεῖρόν ἐστιν ἀνάγκη τ̃ ποιεῖν τὸ ἑκουσίως, τοσούτῳ κὴ νόμος φιλοσοφίας. ὅσοι δὲ τῶν τὰ φιλοσοφεῖτε κὴ μὴ πολιτεύεσθε. κρεῖττον γὰρ δὴ διδάσκουσαι ἄνθρωποι δικαιοπραγεῖν ἐπίσασθαι, ἢ δὴ διὰ ἀναγκάζονται μὴ ἀδικεῖν.

DE STVDENDI RATIONE.

TRia sunt, quæ breuissimo temporis spacio rudissimos quosq; homines ad maximam eruditionem prouehere possint, audire, docere, scribere. Ad audiendos professores his uerbis Isocrates Rhetor adolescentes hortatur: μὴ κατόκνει μακρὰν ὁδὸν πορεύεσθαι πρὸς τοὺς διδάσκειν τ̃ χρήσιμον

ἐπαγγελλομένους, αἰσχρὸν γὰρ μὲν τοὺς ἐμπόρους τηλικκῦτα πελάγη διαπερᾶν ἕνεκα τοῦ πλείω ποιῆσαι τῆς ὑπάρχουσαν οὐσίαν. τοὺς δὲ νεωτέρους μηδὲ τὰς κατὰ γὴν πορείας ὑπομένειν ἐπὶ τῷ βελτίω καταστῆσαι τῆς ἑαυτῶν διάνοιαν, Id est, Ne pigeat longam uiam ire ad utile aliquid docere profitẽtes. Turpe est enim mercatores longinqua maria pertransire causa diuitiarũ: iuniores uerò neq; per terram iter tolerare ad mentem meliorem constituendam. Secundum est, ut unusquisq; quàm primum poßit doceat. Siquidem facile artes euanescunt, nisi exercitatione confirmes: & in omnibus rebus ferè minus ualẽt præcepta, quàm experimenta. Plus utilitatis consequeris, si per horam unã docueris, aut enarraueris doctum autorem, quàm si horis decem solitario te studio cõfeceris. Nusquam cõmodius deprehenderis quid intelligas, quid te lateat, quàm si alios doceas.

PHYSICA.

Ignis calidus est, aër humidus, aqua frigida, terra sicca. Aër humidior aqua est. Quoniã quũ duplex sit humor, aërius ut oleum: aqueus ut aqua ipsa, posterior facilius siccescit: et sicut aër superior aqua est, ita oleũ aëris humor admixtus aquæ, superiorem locum petit. Aquam colorem habere aiunt album, saporem dulcẽ: terram fuscum colorem, saporem amarum: ignem colo

rem

rem rubrum, saporem incertũ: aëra coloris saporisq; expertem esse. Aër & ignis mouẽdi uim habent aqua & terra patiendi. Triplex ignis est: communis, quo quotidie utimur: in corporibus animantium, quem me dici calorẽ naturalem uocant: et Solis ignis quo omnia florent, & qui radix siue causa est aliorum ignium. Adhuc triplex ignis est: carbo, flamma, & splendor à flamma per aëra fusus. Rerum principia duo sunt materia & forma. Materia uelut mater est, deus pater, forma proles. Deus dat, sylua recipit, forma nascitur. Differũt creatio & generatio. Nam creatio prior est generatiõe. Creatio dei est, generatio naturæ. Creatur quod suapte natura simplex est, partibusq; carens: ut anima capax rationis, materia, forma: generatio cõpositorum est. Quicquid generatur singulare est, species enim generari non possunt. Eorum quæ sunt, quædam sunt diuidua, hoc est, ex aliquo composita: quædã indiuidua, seu simplicia. Rursus diuidua aut sunt similium partium, quæ ex simlibus cõponuntur, ut aurũ, aqua uinum. Aut dissimilium, quæ ex dissimilibus partibus constant, ut domus, equus, pisces, omniaq; animantia. Natura est uis insita rebus, similia de similibus procreans. Vmbra, aër carẽs sole. Vmbræ etiã uocantur inferorum imagines. Physici aiunt inter elementa proportionem esse decuplã. Vt aqua, inquiunt, decuplo plus

ſpacij continet, quàm terra. Et aër decuplo plus loci quàm aqua: ſic in alijs. Ex quo colligimus ignem millecuplo eſſe ampliorẽ terra. Quum ergo in bombardis ex puluere repente ignis fiat, neceſſe eſt tẽporis momento ignis ſuũ habeat locum. Hæc cauſa globum eijcit: nam proxima quæq; cedere debent flãma exoriente. Mirantur quur non idem efficiat ſtupa: certe idẽ ageret, ſi tota ſimul incendi poſſet, quemadmodũ puluis ille aridiſsimus. In quibuſdã libris hanc inueni deſcriptionem: Mulier hominis confuſio eſt, continua ſollicitudo, indeficiens pugna, quotidianum damnum, ſolicitudinis impedimentum, adoleſcentiæ naufragiũ, animal peſsimum, pondus grauiſsimum, aſpis inſanabilis, humanũ mancipium. Nonnulli fœminas monſtra eſſe hominum aiunt, & propter calorem deficientẽ naſci. In rebus omnibus natura genuit aliquid, quod inter cætera principatũ obtineret. Inter ſidera Sol princeps eſt: inter ſpiritus ſeu potus res cunctas deus: inter animantia homo: inter feras leo: inter metalla aurum: inter potus genera uinum.

Mulier

TEMPESTATVM DESCRIPTIO ad Phyſicen quoq; referenda.

FVlmen, flamma uel ignis repentinus eſt, qui ex nubiũ colliſione, aut ruptura naſcitur. Tonitruũ ſonitus, qui æditur, quando halitus nubem rumpit. Im-

ber-

ber pluuia sensim cadens. Pluuia uocabulum generale. Nimbus pluuia præceps & repentina. Grando pluuia in descensu congelata. Nix humor modice concretus, à grandine differens, quod hæc postquàm nubes in guttas soluatur, concrescit: illa antequàm in pluuiã cogitur nubes. Niuis quadruplex natura: uisum dispergit, per flocculos cadit, messem auget, & semper in altis manet montibus. Floccus exigua lanæ portio est quæ dumetis adhæret, quom per illa transeunt oues. Distãt ros et pruina, quod ros æstate sit, pruina hyeme. Nihil aliud in terra tremor, quàm in nube tonitruũ. Nebula est halitus è terra, atq; aquis surgẽs, qui uel statim euanescit, uel in altum sublatus conuertitur in nubẽ. Nubes uapor humidus in sublime egressus, qui ui uentorum cogitur per aëra. Differt nubes à nebula, quod nubes quocunq; tẽpore cerni possint: nebulæ nec æstate calida, nec nimio frigore. Fulminum antiquitas tria genera obseruabat. Postularia, quæ uotorum, uel sacrificiorum omissam, aut spretam religionem reposcebãt Pestifera quibus interitus, exiliũ, uel aliqua clades denunciabatur. Et peremptalia, quæ superiorum fulgurum, ac prodigiorũ ostenta & significationes perimebant. Huc alludãt Plinij uerba: Quando in fulgurum quoq; interpretatione eo profecit scientia, ut uentura alia finito die præcinat, & an peremptura sint fatum

aut apertura potius alia fata, quæ lateant. In magna tempestate apparent duæ stellæ uelo insidentes, Pollucis & Castoris numina, quibus se adiuuari periclitantes existimant. Solitarium sidus Helenam uocant, dirũ nauigantibus. Ideò Propertius, inquit: Candida felici soluite uela choro: non stellam unam, sed geminas intelligens. Ouidius:

Vos quoq; Tyndaridæ, quos hæc colit insula, fratres
Mite precor duplici numen adeste rati.

DE COMETIS.

COmetas uocant nubium incendia magna hærentia in aëre, quorum octo genera sunt. Pogonias quando scintillæ deorsum promittuntur in speciẽ barbæ. De quo sidere sic Græci scripsere: πωγωνίας ἐκ τῶν κάτωθεν δίκην πώγωνος ἔχων τὰς κόμας. Acontias, quum nubes incensæ effigiem iaculi faciunt. De quo Græci: ἀκοντίας ὅμοιος ἀκοντίῳ. Xiphias quũ ensis similitudo apparet. Græci: ξιφίας βραχύτερος μὲν ὠχρὸς δὲ, κὰ ξίφηρεις ἔχων τὰς ἀκτῖνας. Disceus, quãdo disci habet speciem. Græci: ὁ δισκεὺς δισκῳ περιφερὴς, ὡς τὸ εἶδος ὡς ἤλεκτρον Pithus, quum forma uidetur dolij. Græci sic: ὁ πίθος καπνώδης μὲν φωτὸς πλήρης, τὸ δὲ σχῆμα ὁμοίως πίθῳ. Ceratias, quando effigiem cornu habet. Græci sic: ὁ κεράστης κερατοειδεῖς ἔχων πλοκάμους. Lãpadias,

padias, quum ignis, facis habet speciem. Græci: ὁ λαμπαδίας ὅμοιος λαμπάδος καιομένης. Hippus, quando equi similitudo est. Græci: ὁ ἵππος ὁκὰ ἱππεὺς καλούμενος δίκην λοφίας ἵππου Διαῤῥαίνων τὰς ἀκτῖνας. Hæc ad uigesimum quintum Plinij caput in secundo naturalis historiæ libro conducent, ubi cometarum descriptiones ex his Græcorum uerbis desumptæ uidentur.

DE ARCV COELESTI.

ARcuum semidiameter semper est quadraginta duarum partiũ: sed quanto Sol depreßior, tanto arcus altior. Obseruatum est centrum oculi cernentis, centrum arcus, & eius polos, in eadem esse linea recta: atq; sub æquatore, tribus horis ante meridiẽ, totidẽq; post nunquã cerni propter Solis altitudinem. Quando sidus in oriente horizonta contingit: arcus centrum in occidente finitorem eundẽ premit: eiusq; in sũmo circuitu altitudo quadragintaduarũ partium est. Quum uerò Sol ab oriente ad austrum ascendens, altitudinem habet graduum decem: arcus centrũ ab occasu ad aquilonis plagã descendẽs, altitudinẽ habet trigintaduarũ partium. Et quando Sol in austro sublimis est: arcus sub aquilone depressus apparet. Si sol à finitore partibus triginta abfuerit: arcus altitudo parteis duodecim cõtinebit. Si Solis sidus altitudinem

habuerit partiũ quinquaginta aut ſexaginta, arcus omnino nõ cernetur. Ex his intelligi poterunt hæc Plinij uerba: Arcus niſi Sole aduerſo non fiunt, nec unquam niſi dimidia circuli forma, nec noctu, quãuis Ariſtoteles prodat aliquando uiſum, quod tamẽ fatetur idẽ nõ niſi quartadecima Luna poſſe. Fiunt aũt hyeme, maxime ab æquinoctio autumnali die decreſcente. Quo rurſus creſcente ab æquinoctio uerno nõ exiſtũt, nec circa ſolſtitium longiſſimis diebus: bruma uerò, hoc eſt, breuiſſimis diebus, frequenter. Iidẽ ſublimes, humili Sole: humilesq; ſublimi. Ait eos æſtate raro cerni: bruma uerò frequenter propter Solis altitudinem.

DE ANIMALIBVS.

BOs conſtans eſt, aſinus piger, equus libidine incenditur petitq; impetuoſe fœmellã, lupus mite ſcere nequit, uulpes in inſidioſa, aſtuta, callida, ceruus timidus, formica laborioſa, apis parca, canis gratioſus, ad amicitiã propenſus: leo ſolitarius, expers ſocietatis, nunquã pabulum heſternũ admittens, tanta uocis magnitudine aut ſonitu, ut ſolo rugitu celerrima animãtia proſternat: urſa pigerrima, ſolitaria corpore graui, cõpacto indiſtincto: panthera uehemens, & ad impetus faciẽdos propenſa pernixq;, ita dicta, quaſi tota fera. Anguis feniculi paſtu oculorũ lippitudinẽ curat. Formica tẽporis hyberni pabulũ æſtate condit. Itẽ

fides

fides in canibus, in elephantis mansuetudo, studiũ ornatus in pauone, cura uocis amœnæ suauisq; in luscinia. Canis Dianæ sacer est, aquila Iouī, tygris Baccho, pauo Iunoni, leo Cybeli, equus Neptuno, cycnus Apollini anguis Aesculapio, coruus Phœbo, asinus libero patri gallus Marti, colũba Veneri, noctua Mineruæ, lupus Marti, anser Iunoni, Soli phœnix. Animantia omnia in formas treis Plato distinguit: uolatile, aquatile, terrestre. Catuli nuncupantur quadrupedũ omniũ, quorum ungues recurui sunt: ut leonis, lupi, canum & similium. Pulli, equi asiniomniumq; auium. Vituli bouis & elephãti. Agni ouiũ, Hinnuli ceruorũ. Hœdi teneri fœtus caprarum. Fœtus nomẽ omnibus his cõmune est & non solum ad animantia, sed etiam ad arborũ fructus refertur. Vergilius: Arborei fœtus alibi. Oua etiã fœtus appellantur. Armenta equorum & boum sunt greges, caprarum & ouium. Oua oblonga & fastigio cacuminata fœminam ædunt, rotunda uerò, & parte acutiore obtusa, marem.

AD REM RVSTICAM spectantia.

SOlũ probatur, quod pingue est et dulce, utrunq; sita deprehendas. Glebam paruam dulci aqua consperge & subige: si glutinosa est, & adhæret, constat illi inesse pinguedinem. Scrobe effossa & rursus impleta,

impleta, si superauerit terra pinguis est, si defuerit tenuis. Dulcedo autem cognoscitur, si ex ea parte agri quæ displicet magis glebam in fictili uase aqua dulci maceratam iudicio soporis explores. A Fauonio ad æquinoctium uernum purgari debent fruges, ac saliceta seri. Inter æquinoctium & Pleiadum exortum segetes runcari, herbæ è frugibus expurgari, bobus terra proscindi, salices cædi, prata defendi, quæ ad arborum culturam pertinent, antequam gemmas agãt, ac florere incipiant, absolui. A Vergiliarũ ortu ad solstitium uineæ nouellæ fodi atq; occari, uites pampinari. Inter hoc & Caniculam, messis fieri, arationes absolui, legumina seri, uineæ ueteres iterum occari, nouellæ etiam tertio, si glebæ sint. A Sirij ortu ad autumni æquinoctiũ frondes cædi, prata irrigua iterũ secari. Ab æquinoctio ad Pleiadum occasum frumenta & fabæ seri, legi uuæ, uites putari & propagari ac seri poma. Inter Vergiliarum occultationem & brumam seri liliũ & crocũ, ac rosæ cõcidi. A bruma ad zephyrũ aqua ex agris, si qua est, deduci, uineæ & arbusta putari. Noualis terra est, in qua alternis annis seritur, aut quæ per singulos annos renouatur seminibus. Aristæ sunt quasi tela, siue aculei spicarum, quibus à morsu auium minorũ seges defendatur. Antecium habenda cura equorũ, à coitu equarũ, à partu pullorum.

DE

DE PLANTIS.

OLea Mineruæ ſacra erat, populus Herculi, laurus Apollini, myrtus Veneri, quercus & eſculus Ioui, uitis & hædera Baccho, Plutoni cupreſſus pinus matri deûm, palma uictoriæ. Quinq; ſuccorum genera ſunt: Vinoſus, ut uitis, mori, myrti: pinguis, ut oleæ, lauri, nucis: dulcis, ut glandis, glycyrrhizæ: acer ut naſturtij: amaris, ut abſynthij. Duæ fructuum ſpecies. Induſtriales, qui ſine hominis induſtria non proueniunt, quod genus uinum, frumenta, legumina. Et naturales, qui natura ſua, ac ſine cultoris ope naſcuntur, ut mala, opyra, ceraſa, nuces. Vitem ſi maturius putes plura ſarmenta: ſi ſerius, fructus plures conſequentur. Poſt uindemiam bonam ſtrictius: poſt exiguam latius putandum. In locis frigidis à meridie uineta ponantur in calidis ab aquilone,, in temperatis ab oriente, uel (ſi neceſſe ſit) ab occidente. Græci inquiunt Aegyptios hoc pacto prouentum futurũ cuiuſq; ſeminis experiri In area aliqua diuiſis ſpatijs diuerſa frumenti uel leguminum ſemina ſpargunt: deinde ortu Caniculæ explorant, quæ exurantur, quæ illeſa permaneant. Quibus annis in quercuum pomo reperitur muſca, bellum futurum eſſe iudicant: quibus aranæus, peſtem: quibus uermis, caritatem.

TEM

TEMPESTATVM SIGNA.

IMminere pluuiam significant mergorum è flumine celer uolatus, ac clamor. Fulicæ, quũ in sicco ludunt. Ardea, si supra nubem euolet. Plumæ in summa aqua colludentes. Iuuenca cœlum aspiciens, et naribus auras captans. Ranæ in limo querulæ. Formicæ oua efferentes. Arcus cœlestis. Cornix impendiò garrula, caput undis si immergit & obiectat. Fungi in oleo crescentes: nam quum aër humidus esse cœperit, fauilla quæ cũ fumo egredi solet, aëre crasso prohibita in lucernis residet. Imbres quoq; expectandi, quũ homini manus arescunt, quoniã tunc siderum uis liquores undiq; colligit. Quando Sol & astra maiora apparent, tum enim humore medius crassescit aër. Quum pulli plus solito pipiũt. Quũ sues multũ grunniunt. Quando pauones uociferantur. Quum Luna rubicunda ui detur, non modo rubor ille aëris prope stellam est, sed per magnam cœli partem spargitur. Verum iuxta eam duntaxat apparet, propter lumen, quod aëra illustrat, ruboremq; qui in eo est, ostendit. In anatibus pectoris os, quod prominet, si rubeat, hyemis nondum esse finem aiunt, sin colore appareat albo, rationem contrariam.

NONNVLLAE HISTORIAE ac fabulæ.

Quatuor

QVatuor mũdi maxima imperia fuerũt. Principio Babylonicum ab oriente: deinde Macedonicum ab Aquilone: pòst Aphricanum à meridie: postremò ab occidente Romanum. Septem orbis miracula à ueteribus tradita sunt. Aegyptiæ Thebæ centũ portas habentes. Muri Babylonis coctis lateribus & bitumine constructi circuitu stadiorum tercentũ, latitudine cubitorũ octoginta. Mausoli sepulchrum in Caria ab Arthemisia uxore ædificatũ. Pyramides in Aegypto altitudine incredibili. Inter quas una à trecentis sexaginta hominũ millibus annorum uiginti spatio constructa est: & in raphanos, alliũ ac cepas, quibus operarij uescebantur, mille octoginta talenta erogata. Colossus in Rhodo εἴδωλον Apollini sacrum, quæ erat columna ærea sexcentos cubitos alta. Capitoliũ Romanorum Hadriani tẽplum in Cyzico. Alexãder adhuc puer, cum & leuitate corporis, & pedum uelocitate plurimũ ualeret, hortatus à patre, ut in Olympiacis ludis stadium curreret, ait, facerẽ id quidẽ, si cũ regibus mihi certamen futurum esset. Pompeius Magnus trophæis suis, quæ statuebat in Pyrenæo octingẽta sexagintasex oppida ab Alpibus ad fines Hispaniæ ulterioris in ditionẽ à se redacta testatus est. Veteribusquinq; magistratuum genera erant. Legitimus, quum eligebantur à ciuibus. Naturalis, quemadmodum natura

mares

mares inter omnia animantia fœminis præsunt, & parentes liberis. Per genus, ut Lacedæmoniorũ reges imperabant. Ex cõsuetudine, sicut pueris pædagogi præsunt. Et tyrannicus, quum coactis per uim ciuibus inuitis regnant. Cæsares dicti sunt ab Aphricano Scipione qui primus Cæsar à cæso matris utero uocatus est. Errant qui Iulium Cæsarẽ putant inde nuncupatũ. Nam quo tempore subiugaret Gallias matrẽ ipsam amisit, Aureliam nomine, quæ super uiuere nequiuisset, si cæso eiusdem utero natus fuisset. Decemuiri erant decẽ qui leges in decem tabulis à Græcis Romã portauere & eas in foro parieti affixerunt. Qui decemuiri postea has leges interpretando duas tabulas addiderunt. Catonem seniorem pœnitebat mulieri quicquam arcanum credidisse, aliquò naui transuisse, quò pedestri itinere proficisci licuisset, & unquam diem sibi per negligentiã inanem effluxisse. Διογένης ἐρωτηθεὶς τί γῆ βαρὺ βαθὺ ἄζηλον, ἄνθρωπον ἔφη ἀπαίδευτον. Quũ Alexander urbem cuidam donasset, diceretq; ille cui ea donabatur se tanto munere indignũ esse, non quæro inquit, quid te accipere deceat, sed quid me dare. Artaxerxes centum & quindecim filios habuit. E Proculo Cæsare centum uirgines intra quindecim dies fœtum conceperunt. Adolescens temerarius Socratem calce percussit. Quod quum philosophus molestè ferentes comites

mites uideret, adeò ut hominem uellent persequi: si me asinus, inquit, calce pulsasset, dignũ me, ut mutuò illi calces incuterentur, existimaretis? Effigies maiorum cum titulis adfixis in prima ædium parte poni solebãt quò eorum uirtutem posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur. Quidam rogatus, quur claudus ad bellum uenisset, respondit se pugnare uelle, nõ fugere. Quum quidam ante urbem, quam obsidebant, in bombardã tantæ amplitudinis, ut facile hoïem caperet, iniicerent globum, lapillus propè puluerem sphæræ casu fractus incensusq;, multos eorum, qui ante os machinæ stabant mirantes molem instrumẽti, reddito globo interemit, docuitq; alios accuratius machinas debere purgari. Faber quum ex altissimo tẽplo decidisset, casuq; suo ipse illæsus occidisset alium, à filio mortui senis in iudicium uocatus est: cui respondebat, ascende tu in eũ locum, è quo cadebam, ego sedebo ubi pater erat, & me quoq; ruendo interficias. Satyrus, quum uehementer algeret hyberno gelu supra modũ sæuiẽte, ab agricola inductus est in hospitium. Hic uidens rusticum inflantem in manus, rogauit quur id faceret: ut eas calefaciam inquit. Mox appositã mensa, quum idem inflaret in feruidã offam, iterum rogauit, quur id faceret: ut eam refrigerem respondebat. Quid? ait Satyrus, ex eodem ore calidum & frigidum? quod monstri genus

hoc est: & cõfestim ex ædibus fugit. Rusticus emptu-
rus aliquid in domo fabri, uisa ante pedes parte ferri
arreptaq; manũ adusit, nihil de igni cõgitans. Is cõmo
tus alterũ ense petit. Faber accito puero iubet ut ferrũ
auferat. Hic super id prius expuebat: auditoq; strepi-
tu dixit esse calidum. Rusticus reuersus domum, in ca
lidissimũ cibum ex aqua, herbis, & modico pane para
tum sibi ab uxore simili modo expuebat, nullumq; sen
tiens strepitum, bonam partem ilico hausit.

SIMILITVDINES Poëticæ.

AD scribendum nõ parum cõferunt ὁμοιώσεις
Sæpenumero enĩ res ita magna est, ut alioqui
uehementiã haud satis cõmode exprimas. Nos exẽpla
aliquot ponemus è quibus intelligant adolescentes &
qua ratione autores ijs usi sint, & quo nam pacto scri
pturi id genus figuras apte possint usurpare.

Bellare.

Fulminei sic dente sues, sic hispida turpes
Prælia uillosis ineunt complexibus ursi. Et:
Vt notus & boreas gemino de cardine mundi
Hic niue Riphea: Libycis hic pastus arenis
Bella cient, clamant amnes, freta, nubila syluæ
Iamq; patent strages, plangunt sua damna coloni.

Conqueri. Verg. quarto Georg.

Qualis

Qualis populea mœrens philomena sub umbra
Amissos queritur fœtos, quos durus arator
Obseruans nido implumes detraxit.

Consuetudo. Propertius.

At ueluti primo taurus detrectat aratra,
Post uenit assueto mollis ad arua iugo.

Dubium. Ouidius:

Saucia trabs ingens ubi plaga nouissima restat,
Quò cadat in dubio est, omniq; à parte timetur:
Sic animus uario labefactus uulnere nutat.

Durum. Vergilius:

Nec magis incœpto uultum sermone mouetur,
Quàm si dura silex, aut stet marpesia cautes.

Errare. Ouidius:

Errat ut à uentis discordibus acta phaselus.

Euadere. Verg.

Qualis ubi abruptis fugit præsepia uinclis
Tandem liber equus, campoq; potitus aperto,
Aut ille impastus armentaq; tendit equarum,
Aut assuetus aqua perfundi in flumine noto
Emicat, arrectisq; fremit ceruicibus altè
Luxurians ludunt q; iubæ per colla per armos.

Ferire. Ouidius:

Nec leuius laterum tabulæ feriuntur ab undis
Quàm graue balistæ mœnia pulsat onus.

Fides. Ouidius:

Scilicet ut fuluum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

Fortuna. Ouidius in triſtibus:

Vtq; comes radios per ſolis euntibus umbra eſt,
Quum latet hic preſſus nubibus illa fugit:
Mobile ſic ſequitur fortunæ lumina uulgus,
Quæ ſimul inducta nube teguntur, abit.

Frequentia, uel concurſus. Ouidius:

Vt redit itq; frequens longum formica per agmen
Granifero ſolitum dum uehit ore cibum
Aut ut apes ſaltusq; ſuos, & olentia nactæ
Paſcua per flores, & thyma ſumma uolant:
Sic ruit ad celebres cultiſsima fœmina ludos.

Fruſtra. Claudianus:

Attonitus ſtabulo ceu paſtor inani
Quem lupus aut rabies Pœnorum inopina leonum,
Aut populatrices infeſtauere cateruæ,
Serus ad illa redit, uaſtaq; paſcua luſtrans,
Non reſponſuros ciet imploratq; iuuencos.

Fugere. Ouidius:

Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbæ,
Sic agna lupum, ſic cerua leonem.

Furere. Ouidius:

Vtq; furit catulo lactante orbata leæna,

Signaq;

Signaq; nacta pedum sequitur quem non uidet hostē.

Horrere. Idem.

Horruit equoris instar
Quod fremit exigua quum summum stringitur aura.

Impetus. Verg.

Vt fera quæ densa uenantum septa corona,
Contra tela furit, seseq; haud nescia morti
Inijcit, & saltu supra uenabula fertur. Idem.
Vtq; leo specula quum uidit ab alta
Stare procul campis meditantem in prælia taurum
Aduolat.

Impossibilia. Ouidius.

Scire meos casus si quis desiderat omnes,
Plusquàm quod fieri res sinit ille petit.
Tot mala sum passus, quot in æthere sidera lucent,
Paruaq; quot siccus corpora puluis habet. Idem.
In caput alta suum labentur ab equore retro
Flumina conuersis Solq; recurret equis,
Terra dabit stellas, cœlum findetur aratro,
Vnda dabit flammas, & dabit ignis aquas,
Omnia naturæ præpostera legibus ibunt. Propti⁹.
Terra prius falso partu de ludet arantes,
Et citius nigros Sol agitabit equos,
Fluminaq; ad caput incipient reuocare liquores,
Aridus & sicco gurgite piscis erit,

Quam possim nostros aliò transferre dolores. Ouid.
Nam prius incipient turres uitare columbæ,
Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas.

Infectio. Claudianus:

Ac uelut infecto morbus crudescere cœlo
Incipiens, primos pecudum depascitur artus,
Mox populos urbesq; rapit, membrisq; perustis
Corruptos Stygiam pestem diffundit in amnes.

Lætitia. Vergilius:

Ceu pressæ quum iam portum tetigere carinæ:
Puppibus, & læti nautæ imposuere coronas.

Leuitas. Idem:

Par leuibus uentis, uolucriq; simillima somno.

Natura. Claudianus:

Vt leo quem fulua matris spelunca tegebat
Vberibus solitum pasci, quum crescere sensit
Vngue pedes & terga iubis, & dentibus ora,
Iam negat imbelles epulas, & rupe relicta
Getulo comes ire patri, stabulisq; minari
Aestuat, & cæsi terga absorbere iuuenci.

Præcipitatio. Vergilius.

Non aliter, quàm qui aduerso uix flumine lembum
Remigijs subigit, si brachia forte remisit,
Atq; illum in præceps paruo rapit alueus amne.

Sæuire. Idem:

Ac

Ac ueluti pleno lupus insidiatus ouili,
Quum fremit ad caulas uentos perpessus & imbres,
Nocte super media tuti sub matribus agni.
Balatum exercent: ille asper & improbus ira
Sæuit.

Sæuitia. Ouidius:

Sæuior illa freto surgente cadentibus austris.
Durior & ferro, quod Noricus excoquit ignis.

Timor. Ouidius:

Vtq; fugax audis ceruus deprehensus ab ursis
Cinctaq; montanis ut pauet agna lupis.

Tremor. Idem:

Sed tremit ut quondam stabulis deprensa relictis.
Parua sub infesto dum iacet agna lupo. Idem:
Illa tremit uelut agna pauens, quæ saucia cani
Ore excussa lupi nondum sibi tuta uidetur.

Tristitia. Idem:

Sparsis sedet illa capillis,
Vt solet ad nati mater adire rogum.

ALIA AD POETICEN spectantia.

POëtæ Græci simul proponũt & inuocãt. Quemadmodum in Odissea Homerus: ἀνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε.

Et in Iliade: Μλωῖν ἄειδε θεὰ πηλιάδεω Ἀχιλῆος. Latini ante proponunt, atq; postea inuocant, ut Vergilius: Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram Vertere Mecœnas, ulmisq; adiungere uites Conueniat. Deinde: Vos ô clarissima mundi Lumina. Tria poëmatum genera sunt. Dramaticon, in quo personæ solæ loquuntur, ut comœdiæ, tragœdiæ. Exegeticon, ubi solus poëta: cuiusmodi sunt Vergilij Georgica. Et κοινὸν, commune, uel mistum, in quo simul & poëta & personæ loquuntur, ut Homeri Odyssea, Iliasq;. Trifariam differunt tragœdia & comœdia. Siquidem in tragœdia res magnæ tractãtur, & pericula magna: in comœdia res humiles, & pericula parua. In tragœdia exitus tristes sunt, in comœdia læti. In tragœdia utuntur cothurnis, in comœdia soccis. Comici seruos & humiles describunt, Satyrici rusticos, tragici diuites ac potentes. Comœdiarum nomina sumuntur à persona, ut Amphitryo, à loco, ut Andria, ab euentu, ut ἑαυτὸν τιμωρούμενος. Scenarũ tria genera sunt. Tragicæ, quæ conficiuntur columnis, & fastigijs, & regũ signis. Comicæ, quæ ædificiorum priuatorum speciem habent. Satyricæ, quæ arboribus, speluncis, & montiũ similitudine ornantur. Quatuor ludorũ formæ erant. Megalenses, magnis dijs consecrati. Funebres, ad retinendum populũ instituti, dum pompa funeri decreta in

honorem

honorem patricij uiri instruebatur. Plebei pro salute plebis instituti. Et Apollinares, Apollini cõsecrati. Homerus in Iliade corporis robur, in Odyssea animi fortitudinem expreßit, & hominem totum artificio miro complexus est. Quod admiratus Maro, in prioribus sex Aeneidos libris Οδυσσεῖαν, id est, animi uirtutes: in posterioribus sex Iliada siue corporis præstantiam æmulatus est. Homerus floruisse dicitur olympiade uigesimatertia, annis post Troiam captam quingentis, post Romam conditam sexagintaseptem, quo tempore regnabant apud Romanos Numa Pompilius, apud Medos Diocles, apud Lydos Gyges. Ab Homeri ætate ad tempora nostra bis mille & quadringentos ferè annos fluxisse colligunt. Circumiens urbes poëmata canebat, quæ postea Pisistratus congregasse fertur,

Επτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν ὁμήρου, (ἀθῆναι.
Σμύρνα, ῥόδος, κολοφὼν, σαλαμὶν, ἴος, ἄργος,
Septẽ urbes certãt de stirpe insignis Homeri, (thenæ
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ius, Argos, A=
De eius morte illud legimus, quod quum in Io insula piscatorum quæstionem propositam sibi soluere nequiuisset, tristitia uictus uitam finiuerit. Ille enim adstans interrogauerat: ἄνδρες ἀπ' ἀρκαδίης ἁλιήτορες ἦρ' ἐχομεύ τ'ἐ. Ipsi uestes pediculis purgantes

responderãt: ὅσσ' ἕλομεν, λιπόμεσθ', ὅσαθ' οὐχ ἕλομεν φερόμεσθα. Homerus aiebat, numerorum aliũ esse parẽ, alium imparem: & parem quidem imperfectũ esse, imparem uerò perfectum & plenum, quòd additus pari semper seipsum seruet, atq; impar permaneat.

IOACHIMI FORTII RINGELBERGII ANdouerpiani Experimenta.

IOA. FORT. IOANNI TARTESIO, S.

NVGAS hæc trademus Tartesi iucundissime, quas inter proficiscendum ad academias diuersas à uulgo didicimus, scitu nõ iniucundas, neq; planè inutiles, præsertim si tædium leuare à studio, ac labore libeat. Equidẽ non aliã ob causam cognitionẽ Musices literatis uiris conferre putẽ, nisi ut interim tristitiã illã, quã adferunt perpetuæ meditatiões ex animo pellat. Quis nanq; adeò patiens est sudorum, ut tempore nullo fatigetur? Ergo quando huiuscemodi dabitur occasio, licebit & nugas, quæ hæc proferentur, inspicere. Nec feres indigne, quòd tibi eas inscripserim tanta grauitate

ac eru-

ac eruditione uiro: tibi quippe non frugiferas modo, uerùm neceſſarias fore arbitrabar, ut quę ſciam cura ſemper nimiâ præpediri. Rationem naturæ frequẽter hæc admiraberis. Mitto quod pleriq; nihil ardentius deſiderent, quâ id genus experimenta. Parua ſcilicet hæc ſunt, quibus mutuam inter nos neceſſitudinem firmari uelim, ſed & maximarum rerum nõ maiora plerunq; initia extiterunt. Meliora præſtabimus, quũ dabitur opportunitas. Vale, Lutetiæ Cal. Nouember. Anno M. D. XXIX.

SInè nare dextero ſanguinem miſeris, digitum dextrum auricularem incurua, ac uiribus totis preme: ſin è ſiniſtro, l æuum. Hoc etenim compreſſu fluxum protinus reſtingui arbitrantur, atque meatus quoſdam impediri. Experimentum eſt, ut uideo non paucis familiare quanquam mihi ſuperſtitio primum uidebatur. Si à coitu frigus ſentiat mulier, & dolores in renibus, ſi color in facie uehementer immutatus ſit, et ſi nouus aliquis appetitus exiſtat, ueluti terræ, aut carbonũ, indicium eſt eam concepiſſe. Venter in parte ſiniſtra magis extumeſcens, fœminam eſſe conceptam ſignat: in dextra marem. Si ante coitum fœmina equarũ lac potarit, protinus fœtum (ut inquiunt) concipiet. Veſtimenta ne tineæ tangant, amurcam decoquito ad di-

ad dimidium, hac unguito fundum arcæ, & extrinsecus pedes ac angulos. Vbi adaruerit, uestes in ea condito. Fumus è sulphure in ignem coniecto, proueniens, purpureas rosas, ilico reddit albas. Vino exusto, linum si immerseris, cõcipere quidem poterit flammam, sed non aduri. Duobus poculis repletis, unum fundere in alterum potes, si cineribus unum, alterum humore impleueris. Si summos iuglandium cortices uirentes & confractos in aquam è puteo haustam miseris, eoq; liquore perfundas solum confestim lumbricorum ingẽs prodibit copia. Idem eueniet, si pede pauliſper terram contundas. Metallis uiridis color inducitur, si humectentur aceto salso. Quidam (ut ipse uidi) coruorum oua è nidis eijciunt, reponuntq; gallinarum. Inde post hebdomadas treis aut quatuor, pullo excluſos caporũ custodiæ tradunt, ad hunc modum. Pectori extrahunt plumas omnes, urticis diu perfricant, pullosq; sub eo decem uel duodecim ponunt, quorum molli attritu dolor leuatur. Postmodo semper eosdem capus per diem ducit, uerrit terram, gallinarum uoce conuocat, defendit à cornicibus. Nocte in nido ipsos ad hoc parato, nõ secus atq; matres fouet. Id faciunt, quò interea illæ parere queant oua. Salis genus est, quod armoniacum nuncupant: hoc contusum mistumq; aquæ, literas quidem albas reddit, nihil distantes à colore papyri: sed

si igni

si igni admoueris, nigras. Ad eundem modum alumi-
nis puluere scripta non apparent, nisi chartam cum le
gere uoles, merseris in aquam. Hirci aut bouis pingue
dine liquefacta ouum uel silicem pinge, atq; in acetum
ad horas ferè septem pone. Post eo extracto, corosum
& cœlatum erit, quicquid sæuum non defenderit: tan
ta uis aceto inest proxima quæq; corrodendi. Si galli
nacij galli allium prius comederint, ferociſsimi fore di
cuntur ad pugnam: atq; alias omnes superaturi. Ideò
& uiatores eo uescuntur, quod animosum reddat ho-
minem. Datur & equis eandem ob causam ferocioris
animi. Si uoles scire in uinum aqua addita sit, nec ne,
uasculum facito de materia hæderacea, uinũ quod ha-
bere aquam putabis, in id mittito. Si habebit aquam
uinum quia acrius est, modo lignum non sit nimis den
sum effluet, aqua manebit in auellana nuce uermis est
Vidi nonnullos, qui adfirmârint sese serpentem ex eo
educasse. Nucẽ ferro secant usq; ad uermẽ, ipso tamẽ
illæso. Hũc cũ nuce ouiũ lacti imponũt exponũtq; soli
uasculo prius, cui lac inest, maiore ex parte tecto. Id
ad multos dies faciunt Tandem uident serpentem iu-
stæ magnitudinis excrescere. Hũc si seruare uelis, ale
re potes lacte, quo præcipuè id genus animantia gau-
dẽt. Armoniaci salis unciæ dimidium accipito, tantun
dẽ uitrioli Romani albi: salis petræ, atq; uiridis æris
utriusq;

utriusq; drachmas tres, quæ in puluerem omnia redigantur. Huic annulum compositum ex auro ac argẽto pallidissimũ immerge, atq; igni appone Post horæ unciam exime, recentiq; ablue urina. Tum etiam in lapide auri colorem optimum inuenies. Si poculo omnino repleto addatur liquor, effluet: sin nummi humor attolletur. Si magnetem allio unxeris, uirtutẽ attrahendi ferrum amittet. Rursus si in arietis sanguine paulisper ponatur, eandem recuperabit. Dentes albescũt at tritu aquæ fortis. Quidã scripsit μελαγχολίαν pelli si corpus perfricetur urticis. Mirũ est, quod ipse ego sæpenumero deprehendi, magna adstantium admiratione, fustum frangi duobus impositum poculis uitreis, idq; illis hauquaquam commotis. Pocula duo uitrea plena humore super sedes duas ponito, ad pedum quatuor aut quinq; distãtiam. Inde baculum fragilem totidem longitudine pedum super uascula eadem collocato, ita ut cyathorum margines uix attingat. Deniq; fuste alio robustiore impositum poculis baculũ uiribus totis medium percutio. Sic frangetur poculis immotis modo lignum sit, ut ante diximus, fragile. Incidi in auli cum quendam, qui se multa nosse iactitabat. Concipe, inquit, mente numerum aliquẽ. Id feci, accepi duo. Tũ ille, hic (adstabat enim alter quidam) dat tibi numerũ parem tuo, collige utrunq;. Id quoq; feci. Et ego ait,

addo

addo quatuordecim. Hæc itidem eius iußu priori ſummæ cõiunxi. Iam collegerã duodeuiginti. Age, inquit ſummæ totiũ dimidiũ reijce. Id feci ac ſeruaui nouem Et redde huic ſuũ. Reddidi nempe binarium. Tum ille nouit mihi ſupereſſe ſeptem, quum tamen ei non dixeram, cuiuſmodi numerũ initio concepiſſem. Ego protinus rem admirans, rogare cœpi, ut artem me doceret. Memoria tene, inqt, quo ordine ſum progreſſus, ſemper dimidium numeri relinquetur, quẽ ipſe dederis cogitãti. Si etenim quatuordecim tu adieceris, ſeptẽ retinebit: ſi uiginti, decem: ſi undecim, quinq; cum ſemiſſe. Illi rurſus reſpõdi hoc modo. Cõcipe mente numerum dixit ſe habere. Ei adde dimidiũ: feci ait. Rogabã num haberet numerum imperfectũ, ueluti quũ dicimus tria cum ſemiſſe, quatuor aut quinq; cum ſemiſſe: aiebat ſe habere. Fac integrũ, hoc eſt, pro ſemiße repone unitatem: repoſuit. Age, inquam, totius numeri, quem modò collegiſti, rurſus adijce dimidium: id itidem fecit. Interrogabam num, ut antè, numerum haberet imperfectũ: habeo ait. Iußi ut faceret integrũ, quod fecit. Remoue inquã, de ſumma collecta nouem: dicebat ſe remouiſſe. Agedum adhuc nouẽ abijce: nõ poſſum ait. Tum ego ſciui ipſum accepiſſe ſeptenariũ. Nã è priore additiõe imperfectio proueniens unum notat: è poſteriore duo. Ad hæc quoties nouem abiecerit, toties eum quatuor

habere

habere manifestum est. Idem rogauit, quidnã sit quod augetur, si adimas: minuitur, si addas quicquam. Demum hæsitanti negantiq; tale aliquid reperiri, foramen respondit, in ueste aut re alia. Alius quidam contendebat me imitari non posse tria uerba, seu treis orationculas, quas prior ipse pronunciaret. Prima erat, Nosce teipsum: secunda, Ne quid nimis: tertia, Iam te uici. Et reuera uicerat, quoniam tertiam orationem non sum imitatus, rogabam enim quare me uicisset. Dixissem itaq; & ego: Iam te uici. Faba crescens è corde felis efficit, ut homo cuius corpus tangit, non cernatur. Nonnulli aurium sordes digito nummis admouent, quò iustum pondus habeat aurum. Mulieres grauidæ, si terreantur, manum per faciem deducunt, ne fœtus signum aliquod habeat in facie. Si bombardis aues conficere uoles, imposito globo plumbeo seu charta, injice minutos silices, aut clauos ferreos in partes concisos: deinde adde chartam contusam, ne excidant: sic uno ictu alites fortè nouem seu decem habueris. Idem conferret aduersus latronum insidias. Actis occultè cuniculis sub arcem, impositoque & accenso puluere usque ad centum uasa, etiamsi munitissima sit euertitur. In dulci aqua oua merguntur ad fundum, in salsa natant. Firmato arcu in camino, sagitta semper decidet

cidet in eundem horti locum. In amphora magna stupa incensa, & ore celeriter impositio aquis, ingens liquoris copia sursum repẽte influet. Aerea fistula continens argentum uiuũ super mensam salit, si antè fuerit impositа igni. Submersam aquis uel uino muscam in farina aut cineribus uolue: deinde ipsam inclusam inter manus halitu tuo paulisper foue donec reuiuiscat Hasta obliqua in quãuis formã flectitur, si prius partem, quæ curua est, leui flamma adusseris. In uinum solent œnopoli injicere calcem, unde et urina impeditur & calculus generatur. Proinde literarum candidati, quibus minus est corporis exercitium, id in uitreũ uas quale usurpant medici in iudicanda urina, infundant: tum enim & pulueres, si qui sint, uidebunt: & per digitos quàm densæ sit substantiæ uinum perspicient. Cluum ferreũ cæræ modo quaquauersus flectes, si caput et aciem tenui lino ita circunuoluas, ut cõmodè utraq; manu ipsa possis comprehendere. Campana maxima si pulsetur, uel tenuissimo filo circũdata, finditur. Mulieres ut ob mariti mortem ploraſſe uideantur, cepam admouent oculis. Imple poculum aqua, & accipe particulam lanei panni longitudine duorum palmorum: hãc totã humectes ac impone poculo, sic ut altera pars immersa sit aquis, altera extra poculum dependeat, tum extemplò liquorem omnem effluere cernes. Com-

mixtum ſali uinum et appoſitum igni recepta flamma aſtantis formam cadaueri ſimilem efficit. Sæpenumero per nigri equi collum manum ſurſum ac deorſum in tenebris duxi, uidiq; ignium ſcintillas erumpere. Ipſe experſus ſum uillos ſalamandræ nõ conſumi igne. Eradice, hominis imago facta infoſſaq; rurſum terræ fibras emittet, uidebiturq; ſic creuiſſe. Abſente igni oua coques, impoſitis ijs calci ſuperfuſaq; aqua. Supra cãdelã in laterna hominũ, leonum, ceruorumq; effigies ſuſpendunt, quæ ui uel ſpiritu ignis, ac admirabili naturæ induſtria circumagũtur. Infuſa aqua uaſi alicui, à quo pculabes, in eius fundo nummum cernes, quẽ antè nõ uidebas. Etenim ſi in aquam aſpexeris, propinquiora facilius apparebunt: ſi ex aqua remotiora. Nemo non nouit ignẽ ſeruari etiam per horas undeuiginti, cooperta teda cineribus. Mirum experimentum omnibus notum pondus magnũ adfixum medio baculo facilius portari à duobus hominibus, ſi impẽdiò longus ſit, quàm ſi eſſet breuior, quum tamẽ ipſa longitudo oneris nõnihil adferat. Muſici organi ſonus mutatur infixo gladiolo partibus illis, quibus annectuntur fides. Vergilius autor eſt è boue putrefacto magnam apum copiam erumpere. Inflato per fiſtulam uiſcoſo humore, grandes cõtinuò bullæ apparent, euolantq; oui inſtar per aëra. In horologijs ferri pars, quam magnes lapis attigit, sem-

per

per petit aquilonẽ. Cape longum & tenue filum, huic insere lumbricos multos, ut filum occultetur. Id conuolutum atq; adfixum longæ uirgæ esca erit ad capiẽdas anguillas. Nam incurui dẽtes piscium uermibus haustis filo adhærebunt. Effigies rerum obiectarum in speculo cerni, nemo miratur ob crebrũ experimentum. Putribus lignis præcipuè salicum tantũ lucis inest, ut etiã media nocte res propinquas discernere possis. Absoluta cœna uel prandio nummos accipe quatuor & uiginti. Ex ijs ante unum conuiuarum unum pone, ante alterũ duos, ante tertiũ tres: uocẽturq; inde mensæ assidẽtes primus, secundus, tertius: reliquos cuiquã illorũ trade. Tum in medio mẽsæ positis, si lubet, libro, nuce speculo, siue rebus alijs, atq; ab ijs paululũ digressus, dic ut aliquis eorum, qui uolet, sumat librũ, alter nucẽ tertius quispiã speculũ. Vbi responderint se recepisse, iube ei, cui nummos undeuiginti dederas, ut de illis tot ex manu sua remoueat, quot habet ante se is qui accepit librum: ad hæc ut nucẽ habẽtis geminatum numerum, habentis speculũ, quadruplum abijciat, reliquos reddat tibi. Nã ex ijs uidebis, quid quisq; sibi elegerit. Quippe si unus superat, primus librũ habet, secundus nucẽ, tertius speculum. Si duo, primus nucem, secũdus librũ, tertius speculũ. Si tres, primus librum, secundus speculum, tertius nucem. Si quinque, primas nucem,

ſecundus ſpeculum, tertius librum. Si ſex, primus ſpeculum, ſecundus librum, tertius nucem. Si ſeptem, primus ſpeculũ, ſecundus nucẽ, tertius librum. Gallinaceo gallo & igni terrentur leones. Si uel tenebris nocturnis, & ſine ponderis ratiõe ſtannũ ac plumbum diſcernere uelis, dentibus utrunq; mordeas, nã in ſtanno ſenties ſtreptũ. Fama eſt funus occiſi hominis ſtillare ſanguine, ſi adfuerit interfector. Et naues mergi ni mortuorum corpora confectum eiſciantur. Aduerſus ebrietatẽ præſens remedium abſynthij eſus. Albumina ouorum mixta croco intra menſem ſic indureſcunt, ut topatium gemmam exiſtimes. Maximò mirum eſt, quod equidem uidi in poculo uitreo immerſo aquis chartam ſiccã permanere, etiamſi per multas horas in humore teneatur. Pari modo ſcio quoſdã cum uaſe aperto, conuerſo ore in altiſſima flumina deſcendiſſe, ſumptis ſecũ cibo ac potu & face ardente, ibiq; ſic uerſatos eſſe à medio die ad occaſum Solis, & aridos demum exiuiſſe. Puteum fodere uolentes, proni reſpicere ſolent in campis, unde plures uapores exeant. Occultè ſcribas tranſpoſitis ſyllabis, ut terma pro mater. Id aliquãdo facimus in ſignãdis nominibus herbarum aut lapidum, quibus in re quapiam utimur. Lacedæmonij ſurculos duos teretes habebãt pari magnitudine, quorum unus in bellum proficiſcenti duci dabatur, alterũ magiſtra-

tus

tus seruabant. Circum hunc lorum longum plicabant, ita ut oræ cohærerent. Literas deinde super commissuras scribebãt, mittebantq; imperatori. Seuo scripta leguntur, super literas sparsis puluerib⁹. Fit aliquando præsertim, quũ rex in manibus hostiũ est, ut nulla scripta ad principem perueniant. Tum sic agendum. Ex alio quopiam loco, qui regis cubiculum prospicit quum ipsum in fenestra uideris, sex faces ardẽtes pro literis ostende. Vna erit pro septem: a, b, c, d, e, f, g: duæ pro totidem: h, i, k, l, m, n, o: pro reliquis, tres: p, q, r, s, t, u, x, y, z. Sed uarietas in earum ostentatiõe. Nam una semel prolata, a indicabit: bis b: ter c: quater d: quinquies e: sexies f: septies g. Sic duæ semel, h bis i: ter k: quater l: quinquies m: sexies n: septies o. Pari forma faciendum in illis, quæ supersunt. Vt si uelimus significare adesse fratrem eius, qui ab hostibus captus est. Proferamus unum sexies pro f: tres ter: unam semel: tres quinquies: toties unam: ter tres: semel unam: eandem postea quater: deinde quinquies: tum quater tres: deniq; easdem quinquies. Hoc erit, frater adest.

IOACHIMI FORTII RING. ANDOVERpiani Epistolæ aliquot.

IOA. FORT. ANDREAE HYPERIO, S. D.



T aliquid scribam post tantũ temporis interuallum charissime Andrea, breuiter peregrinatiõis meæ formam exponam, teq; ut eam imiteris cohortabor. Egressus Lutetia Aureliam ueni cum Hadriano Amerotio uiro utriusq; linguæ peritissimo. Vbi satis magnam habui auditorum copiam, interq; illos Ludouicum Stellã quindecim annorum adolescentẽ, tam eruditum Græce, ut omne genus autorum suo Marte queat interpretari, qui in ea urbe Lucianum & Theodori grãmaticen publicè docebat. Huius pater Petrus Stella iureconsultus nostra ætate, ut libri ab eo cõscripti testantur clarissimus, tot in me beneficia contulit, tam ampla dedit stipendia, etsi id genus muneribus nõ soleo detineri, ut per duos mẽses perpetuos, quod sanè non destinaueram, illic manserim. Ibi quoq; mihi amicissimus fuit Nicolaus Beraldus, cuius eruditio nõ modo nobis, sed uniuersæ Galliæ ac Germaniæ nota est.

Profectus

Profectus sum inde Biturigas, unà cum aliquot uiris et mei & literarũ amantissimis, ubi uarias artes per mensem unum professus sum. Aegrè illinc potui discedere ita nunc precibus nunc muneribus solicitabãt animum meum ut manerẽ. Pluuia maxima duraverat octo diebus, maiorem nobis imprecabantur, sed respondebam me floccipendere et imbres, et niues, & omnia tẽpestatum genera, neq; ob causam istiusmodi me uel horam uelle perdere. Nonnulli hoc timore detinebantur: qui pectore erant animosiore & ardentiore ad literas, me sunt comitati. Agesis nunc Andrea uel nomẽ tuũ sequere, hoc est, utrum te præsta. Cogita, quod quũ ex libro nostro de studendi ratione legisti, tum ex meipso sæpe audiuisti, uix fieri posse, ut quispiã peritus euadat, si semper in eodem loco desederit. Dic obsecro per Musas, quibus nos nostraq; studia dedicauimus, penituitne unq̃ literarum gratia te mutasse locum? An quisquam est, qui mansisse se optarit in urbe, unde abscessérit? Certè nisi te mutuo amore cõplecterer, non te tam studiose ad rem adeò frugiferam incitarem. Vale amico rũ intergerrime. Lugduni emergẽte Scorpione die Solis hora Saturni.

IOA. FORT. ANDREAE HYPERIO, S.

Mirum in modum literas tuas desidero, sed eo

forsitan nõ scribis, quod mihi nusq̃ firma sedes sit. Fac aliquãdo, quod te facturũ esse sperabas, quũ Lutetia discederẽ. Ne insequaris uestigia plebis, quæ semper optima cõsilia dãnat: sed Ciceronẽ potius, qui in omni artiũ genere laudat exercitationẽ. Quid profuerit dijs qui oẽs autores in tenebris legunt, qui librorũ ornatu et multitudine gaudẽt, si nihil docere aut scribere possint. Tu omnibus horis, omnibus locis exercẽdi quære occasionẽ. Salutari cupio Ioanẽ Tartesium literarũ parentem, & uirum dignũ, ut ab omnibus uiris literatis certatim collaudetur. Is enim prorsus nihil aliud curat quã ut promoueat literas. Si te contigerit ad D. Erasmum proficisci, illi quoq; meo nomine salutem dicito, Vale.

IVVENIS QVIDAM LITERATUS Ioachimo Fortio, S. D.

QVonam pacto fieri dicã uir eruditißime, ut ne prouocatus quidẽ literis, si nõ uenustis at certe amantißimis, quicquãresponderis? An ita nos cõtemnis, ut culicẽ elephantus Indicus? Equidẽ fateor me præter nugas effutire nihil: at tuæ forsitã humanitatis erat, ne infimi quidẽ beneuolentiã respuere, meminisseq́; & muscæ esse splenem. Te noctes ac dies somnio, emoriarq́;, ni te æque ac me diligã, ardẽtius amaturus si animi in nos beneuoli specimen aliquod præbueris.

IOA.

IOA. FORTIVS ADOLESCENTI CUIDAM, S. D.

Accepi denuo abs te epistolam, qua significas te uelle me inuisere, si id mihi placere scires. Mihi summe placet cum literatis hominibus, idq; de literis colloqui, sed uanas quorundã fabulas, quæ nihil ad scopum nostrum conferunt, non secus ac pestem fugio Aduentus tuus pergratus erit: ad nos accede, quando libitũ erit animo tuo, Vale. Sole lustrante medium cœlum, & horoscopum Scorpione.

IOAC. FORTIVS RING. GUILIELMO CAMBRAICO, S.

Abeunti mihi iubebas, ut si quos Mathematicos libros Lugduni inuenirẽ, eos ad te mitterẽ. Sed perpaucos hic reperio: plures uidi in ædibus tuis, quã sint, opinor, in tota ista ciuitate, Michaël bibliopola habet instrumentũ magnæ amplitudinis recens æditũ in Germania, in quo depicta sũt sidera omnia usq; ad Capricornum. Id mire cõducit ad intellectũ Poëtarũ, ubi de signorũ ortu atq; occasu mentionẽ faciunt. Verũ tamen eadẽ, et plura habes in globo tuo, cui circuli ærei quom apud te Biturigibus erã, parabantur. Mirabuntur multi, & ingratũ me uocabunt, quod de tãto uiro, tã bene de merito non aliter scribã: quos admoneo te mihi uetuisse, ne quicq; laudũ epistolis insererẽ. Vale.

IOACHIMI
FORTII RING. ANDOVERP.
Liber de Homine.

SPLENDIDISS. MAGISTRATVI
Andouerpiensi Ioa. Fortius Ring.
Ando. S.

QVum anno superiori Germaniæ partes lustrarem ornatißimi uiri, gratia exercitij, quò & artes nõnullas in locis diuersis profiterer, & noui aliqd addiscerem, complures uidi præclaras urbes, quæ & opibus, & literis, & rerum multiformi florent uarietate. Cæterum quum captus desiderio patriæ (abfueram enim propemodum biennio) Andouerpiam redissem, ceu apertis iam oculis perpendere cœpi quãtum hæc ciuitas cæteris antecellat: utpote in quam congestum sit, quicquid nationum, quicquid linguarum, quicquid rerum omnium per oras alias latè natura dispersit, adeò ut ipsam non immeritò dixeris horreum, uillam, seu potius thesaurũ mundi, quò quicquid terræ totius agri passim proferũt, aquarum ocyßimo perpetuoq; cursu deuehitur. Sic terras alias, agros: Andouerpiam, uillam uel thesaurum orbis: oceanũ ipsum ac flumina

flumina appellare plaustra possumus. Quanquã iam olim patria mihi nota est, sæpe tamen res magnæ maiorẽs apparent, ubi minores uideris: & paruæ minores si maioribus conferantur. Id nimirum omnium iudicio constat, uix esse in Europa emporium, ubi tanta per uniuersum annum rerum uenalium copia sit. Habent quædam oppida celebres nundinas, sed extra eas exiguam hominũ frequentiã. Admirabar in eadẽ urbe magistratuum splendorem, autoritatẽ, multitudinem: tot tamq; strenuos uiros tum pace, tum armis eximios, qui Reip. præsunt. Deinde magis, ac magis cõtemplans et urbis opulentiam, & magistratũ nobilitatẽ, grauitatẽ tum etiam eruditionem, cõtemnere cœpi, ac pro nihilo habere, quæ cum tanta laude ac ostentatione scriptorum de Roma, deq; eius magistratibus sunt prodita. Si etenim Romam admiramur, ac caput mundi dicimus, ubi per bella, per cædes, per fas, per nefas, tot interẽptis uiris, tot deletis urbibus opes auxerũt suas, et inuitos bello ad sese pertraxerũt. Quanto maior, quanto felicior Andouerpia, quæ nec crudelitate, nec rapinis nec furore, nec armis: sed pace, prudẽtia, cõcordia, ac ope deorũ ad summã excreuit potentiam. Quò tot gentes, tot nationes, non compulsæ, sed etiam ultra confluunt. Summus rerum opifex ei tribuat ut hac gloria ad finem usque æui fruatur: semperq; ut hactenus fecit,

enitatur ad altiora. Nec uerear eloqui tantum accre-
scere laudi diuinæ, quantum urbi acceſſerit. Siquidem
quum elementa uocent mundi fecem, terram q; centrũ
quo ſtupore admiremur centrum id appellari, cuius
circuitum tanti populi amplitudo incolat. Non hæc eò
dicta ſunt, quòd è ſplendore natalis ſoli mihi quicquã
laudis adſcribi uelim, ſed quòd ingratus uiderer, ſi res
alias minores longè, extollere conarer patriæ oblitus:
ſi eius ciuitatis quæ me in lucem ædidit, atq; educauit
ne ſemel quidem mentionem facerem. Cœpit itaq; pa-
triæ amor, & tantorum uirorum ſplendor, autoritas
eruditio animum meum incitare, ut hunc libellum de
homine reip. magiſtratibus dedicarẽ, qui non humana
ſolum, ſed diuina quadam prouidentia nobiliſsimam ur
bem exornant, gubernant, tuentur. Quo circa clariſsi
mi uiri optamus, ut munuſculũ ciuis & alumni ueſtri
animo grato accipere uelitis, olim plura & fortaſſe
maiora, ſi uita ſuperſit, dabimus. Libri iſtius princi-
pium conceptionis, uitæq; humanæ coniecturas, atq;
alia nonnulla, quæ ad hominẽ totum pertinent, demon
ſtrabit. Inde ipſo in partes duas diuiſo, ea explicabun-
tur, quæ ad animum priorẽ hominis portionẽ ſpectãt.
Quæ animi ſedes ſit. Quid inter animam, animum, ac
mentem interſit. Senſuum quinq; internorum, externo
rumq; totidem natura. Colorum, ſaporum, uirtutum,
ac ui-

ac uitiorum genera: quæ quatuor ad animum non corpus pertinent. Ille enim è cerebri medulla per oculos, linguam, nares ueluti fenestras quasdam apertas, rerum colores, sapores, odoresq; discernit. Et in animo non corpore, prudentiæ, & iusticiæ, & fortitudinis, & temperantiæ & adfectuũ sedes sunt. Postremo corporis, & membra, & morbi aliquot, atq; his affinia describentur. Quatuor alimenti concoctiones ac excrementa totidem. Humorum quatuor indicia. Quomodo ex sanguine spiritus fiat. Quæ urinæ obseruatio. In morborum mentiõe, quid pestis, φθίσις λιθιαργία. Quo differant ἀποπληξία ἐπιληψία, παραλυσις, stupor, ἄσμος. Isthæc breuiter tractabimus, omißis ijs, quæ paßim apud scriptorem alios sunt obuia. Ex his itaque adolescentes ac liberi uestri discent discrimina sensuum, colorum, saporum: genera uirtutum, uitiorumq;: quæ omnia & pueris frugifera erunt, & ijsdem ad sublimiora prouectis non iniucunda. Valete.

Andouerpiæ tertio Nonas Iunias.

ANNO M. D. XXIX.

DE

DE HOMINIS CONCEPtione ac horoscopo.



VMMO studio diligẽtiáq; prodendus, cui terræ, ac maris imperiũ mũdi fabricator Deus indulsit homo. Nãque numinis gratia huius, simul res omneis condidisse naturam apparet: simul siderum palantium circumflexus, cum signorum orbe obliquo ad uerticem utrunq; deductos esse. Quam rerum faciem sic ideò æditã dijudicamus, uti alterno solstitiorum reditu heteroscios, zonasq; stellæ periscias inuiserent. Hic labor frugem multo amplissimã ostentat, polliceturq;. Quid etenim referat mundi polos draconúmue fines in queis ipsa Solis, Lunæq; sidera deficiunt, atq; id genus spectacula cõprehendere, et ueluti oculis coram intueri, si se ipsum homo non norit. Dementiæ extremæ est ensiferos Orionas, auersos Tauros, Coruos, Angues, Cratêras anxie perquirere, atq; quo in loco corporis proprij hepatis lienis, cordis, pulmoniũq; uiscera sint, ignorare. Ergo tot coniectationum leges indepti, tot rerum scitu dignarum pulchritudine cognita, nosmet nos discamus. Næ mortalibus nihil arduum. Neq; quicquam tam sublime opifex natura constituit, quò uirtus non posit eniti. Hominis cura quò non aspirauit? Terrarum orælustratæ omnes. Et ne portio aliqua rationis humanæ

captũ

captum præterire queat, receſſum interiorẽ cupiditatis furor peragrasti. Vnde nullos uſquàm inueniri mones Plinius memoriæ tradidit. Si, ait, ulli eſſent inferi, iam profecto illos auaritiæ, atque luxuriæ cuniculi refodiſſent. Oceani curſus, tumoresq; explorati. Grandinum pruinæ, uentorum, fulminum uim ſolertia indagauit. Ignium errantium circuitus, ſtationes, progreſſus, ac uiolentos radios perdidicit. Ab his flammas cœlo adfixas penetrauit. Inde mundo mens egreſſa moles operoſæ rerum naturæ binas adſtruxit, atq; ex octo denas fecit. Deſcendat magnus nunc iam imperator animus, gaudeat domito orbe victor, ad ſe redeat, ſeq; ipſum contempletur, ſe noſcat. Ad inſtitutũ itaq; uertat ſe oratio. Conceptus humani momento (unde aptius enim quàm ab initio extremo ordiamur) partem mundi eandem ſurſum iuiſſe, in qua puero naſcente Luna conſiſtit, haud dubium eſt. Contrà natali die ſigniferi flexus, quos ſidus idem in uterum ſe recipiente ſemine luſtrabat, exoriri. Sic opera mutua horoſcopum (quàm in ſignorum circulo notam appello, quæ rei principio cuiuſpiam oritur) priorem, naſcendi tempus: poſteriorem, concipiendi indicare. Experimentum mirum haud unquàm fallax, quodq; deorum munere uerius, quàm ingenio mortali repertũ iure cenſeatur, ſi cui altius obſeruationem perſectigare libeat. De inferis.

O mira

O miraculi genus, & ingens, & inusitatũ. Quum innumeræ gentium plagæ sint, inq; ijs tot coëundi libidines: quo pacto ad singulos adeò multorum conceptũ horoscopos partu urgente sidus menstruum se conferat? Quid ipsum fœtu prodeunte in orbis zodiaci tractum ducit, qui quando conciperetur, orientem premebat? Hæc cœli solicitudo, cura, labor in uagientis, & plerunq; ad ignauiã geniti animalis aduentu. Hæc eius origo, cuius rationem dicere aggredimur. Quæ huc pertinere arbitrabor, accurate & paucis absoluentur Ordo istiusmodi erit. Primum hominis totius natura sine partium mentione exponetur: inde animi: postremo corporis.

QVID PRIMVM IN VTERO absoluatur.

QVid à conceptione primum perficiatur, uariæ autorum sententiæ fuerunt. Alij ante omnia lumbos absolui carinæ nauiũ instar adfirmant. Alij caput, in quo principatus, ac mentis sedes est. Alij cor arteriarum, atq; spiritus principium.

DE CALAMITATE, BREuitate, signis, ac fine humanæ uitæ.

DE naturæ nostræ frugilitate, de multis tam breuis momenti incommodis complura proferre haudquaquã esse difficile puto, quando aliud nihil in

luce

luce hac tam crebro experimur. Eã Plinius in septimi libri præfatione graphice depinxit his uerbis: Hominem tantum nudum, & in nuda humo natali die abijcit ad uagitus statim & ploratum, nullumq; tot animalium aliud ad lachrymas, & has protinus uitæ principio. Et: Nulli uita fragilior, nulli rerum omnium libido maior, nulli pauor confusior, nulli rabies acrior. Homerus.

Οὐ μὲν ἀκιδνότερον γαίας τρέφει ἀνθρώποιο
Πάντων ὅσσα τε γαῖαν ἐπιπνείουτε ἕρπει. id est,
Nihil imbecillius terra nutrit homine
Omnium quæcunq; in ea spirant, & serpunt.

Et Euripedes inquit:

Οὐ βίος ἀληθῶς ὁ βίος ἀλλὰ ξυμφορά.

Vergilius tam celerem æui decursum perpulchre mehercules in Mecœnatis fato deplorat.

Redditur arboribus florens reuirentibus ætas,
Ergo non homini, quod fuit ante, redit?
Viuaces q; magis ceruos decet esse pauentes,
Si quorum in torua cornua fronte rigent.
Viuere cornices multos dicuntur in annos,
Quur nos angusta conditione sumus?

De breuitate humanæ uitæ.

Huc & Theocritus per ἀλληγορίας scite allusit, rosarum, liliorũ, florumq; gratiæ mutationẽ hanc cõparans. Quos uersus ob elegantiã non mediocrẽ huic loco adscribã.

Καὶ τὸ ῥόδον καλὸν ὠθῖ, ἐπὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει
Καὶ τὸ ἴον καλόν ἐστιν ἐν εἴαρι, καὶ ταχὺ γηρᾷ.
Λευκὸν τὸ κρίνον ὠθῖ, μαραίνεται ἀνίκα πίπτει.
Α δὲ χιὼν λευκά, ἐπὶ τάκεται ἀνίκα παχθῇ.
Καὶ κάλλος καλόν ἐστι τὸ παιδικὸν, ἀλλ' ὀλιγον ζῇ

Signa breuis & lõgæ uitæ.

Hominis uita pomo uidetur persimilis, quod aut maturum decidit sponte, aut ante iniuria tempestatum, uentorúmue impetu deijcitur. Vitæ breuis signa colligunt raros dentes, prælongos digitos, ac plumbeum colorẽ. Cõtrà, longæ, incuruos humeros, nares amplas, et tria signis dictis contraria: multos dentes, digitos breues crassosq́;, atq; colorẽ clarum. Hominis uitã trifariam

Finis uitæ.

finiri putant, aut natura, aut fato siue ictu stellarũ, aut casu. Natura, cui nullum ultra centrum & uiginti annos spatium cõcessum est. Fato, quum tres Saturni circuitus, & quandoq; singuli, exitium adferunt. Et quũ sideris eiusdẽ, Martísue radij uel tetragœni, uel aduersi in horoscopi gradũ iaciuntur. Casu seu fortuna, quæ ad causas diuersas pertinet. Sic dicũtur expirare, qui uel gladio, uel ueneno, aut bello pereunt.

VITAE HVMANAE IN INfantiam, pueritiam, parteisq́; huiuscemodi distinctio.

Transitus.

Dictum quo Lunæ positu, & qua nam ratione in uterum concipi, atq; inde in lucem prodire

eum,

eum, de quo agimus, ambitrantur. Deinde nonnulla addiecimus de uitæ mortalium imbecillitate, breuitate, indicijs, ac fine. Proximũ uidetur, ut eam in parteis distinguamus. Huiusce rei usus frequens in poëtarũ, oratorũq; scriptis, ubi de infantiæ, pueritiæ atq; adolescẽtiæ indicio loquuntur, futurus est. Rhetores quoq; partes easdem locos appellant, quibus in personarũ demonstratione utantur. Et medici omnium uitæ partium naturam accurate ad temperandas pharmacorum mistiones cognoscendam præcipiunt. Græci portiões septem tradidere. Infantiã, quæ nutrit alitq; genitos. Quæ in hac ætate uel uidemus uel audimus, ideò fixius hærere memoriæ dicuntur, quod tũ omnia noua sint. Res enim raras, ac inusitatas meminisse facilius solemus. Quicquid uerò quotidianũ est, & consuetudine aut usu firmatum, minus mouere sensum cõsueuit. Pueritiã, quando literarum cytharæ, luctæ, ac ludorum similium studia exercemus. Adolescentiã, quum ad Veneris illecebras incitamur. Iuuentã, quando regnat in corpore uigor, & ætatis perfectio properat. Virilem ætatẽ, quũ potentias ac uictorias affectamus. Senectutẽ, quæ prudentiã desiderat. Postremo senium, quando decrepiti nuncupamur, atq; à generatione desistimus, quæ ætas frigida est. Infantiam Lunæ comparant: pueritiam Mercurio: adolescentiam Veneri: iuuentam Soli, Infantia.

uirile robur, Marti: senectutem Ioui: senium Saturno. Quæ siderum horum natura sit, & unde in libris, quos de institutionibus Astronomicis, siue de mundi ratione conscripsimus, demonstratum est. Horatius ex his parteis solum quatuor præcipuas recenset: puericiam, iuuentam, uirorum tempus, ac senectutem: ipsarumq; quum seriem, tum mores uere ac diserte depingit. Eius uersus, quò perfectior rei huiusce cognitio haberi possit, adponam:

Aetatis cuiusq; notandi sunt tibi mores,
Mobilibusq; decor naturis dandus, & annis.
Reddere qui uoces iam scit puer: & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, & iram
Colligit & ponit temere, & mutatur in horas.
Imberbis iuuenis tandem custode remoto,
Iuuenta. Gaudet equis canibusq;, & aprici gramine campi.
Cæreus in uitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris.
Sublimis, cupidusq;, & amata relinquere pernix.
Aetas uiri- Conuersis studijs ætas, animusq; uirilis,
lis. Quærit opes, & amicitias, inseruit honori,
Commisisse cauet, quod mox mutare laboret,
Senectus. Multa senem circumueniunt incommoda, uel quod
Quærit, & inuentis miser abstinet, ac timet uti,
Vel quod res omnes gelide, timideq; ministret,

Dilator,

Dilator, spe longus, iners, auidusq; futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, castigator, censorq; minorum.

Varro à natali die uitam omnem in gradus quinq; partitur: atq; unicuiq;, præter extremum annos quindecim tribuit. In quibus nomẽclaturæ tales. Gradu primo usq; ad annum quintumdecimum pueri dicuntur, quod sint puri, id est impubes. Secundo ad trigesimum annum adolescentes, ab adolescẽdo sic appellati. In tertio, qui producitur usq; ad annos quinq; & quadraginta, iuuenes cognominantur: eò quod rempub. in re militari iuuare possint. In quarto ad sexagesimum annum seniores: quoniam tunc primum senescere corpus incipiat. Inde usq; ad uitæ finẽ gradus quintus dicitur: in quo qui sunt senes appellantur, quia ætate ea corpus senio laboret. Hippocrates quemadmodũ ante de Græcis memorauimus, in portiones septem uitam diuidit. Quarum primæ finẽ esse annum septimum existimat: secundæ, decimumquartum: tertiæ duodetrigesimum quartæ, trigesimumquintum: quintæ, quadragesimum secundum: sextæ, quinquagesimumsextum: septimæ, nouissimum annum uitæ humanæ. Partium naturam in mundi domicilijs quatuor, quos angulos uocant, cõtemplantur. Siquidem cœli signum partus momento exoriens, qui ὡροσκοπος Græcis dicitur, primã nati ætatem

Vnde dicti sint iuuenes

Spatia septem uitæ partium.

Ratiões ætatũ è cœlo uideri.

tem in dicat, ideſt, qualis ipſa futura ſit: quibus malis, morbis, periculis obnoxia: quos honores, quas opes ille qui natus eſt cõſequetur. Culmẽ, ſiue cœli mediũ, ætatẽ hõis mediam. Vltimã occaſus. Imũ, mortẽ, ac uitæ exitũ, quæq; à morte futuræ ſint laudes, aut opprobria.

QVO DIFFERANT ANIMA, animus, ac mens.

HActenus de homine toto uerba fecimus, Nunc partes exequemur, atq; ab animo priore parte præceptionum exordiũ ſumemus. Ab eo ad corporis membra, morboſq; tranſibimus. Quæri ſolitum eſt à plerisq;, quid animæ uox proprie ſignet, quid animi, quid mentis, quodq; uerborũ diſcrimen ſit. Nõ deſunt, qui differentiam tradiderint, ſed ita obſcure, ut cõplures ignorare rem perpetuo malint, quàm ex tanta ambage, quæ certi nihil aſſerit, eruere. Nos itaq; paucis ea exprimemus. Inter animam, animum, ac mentem id intereſt, quod anima uiuimus, animo ſapimus, & mẽte diuina contemplamur. Eſtq; animo mens præſtantior. Idcirco ſcriptores omnes, quũ de deorum cultu loquuntur, mentis uocabulo uti malunt, quàm animi. Vt Mente deos adijt. Auſonius:

Omnipotens quem mente colo pater unice rerum.

Et Plinius de Sole ſcribit: Hunc mundi eſſe totius animum, ac potius mentem. Item animam morte ſopitam

Differentia inter animã, animum, ac mentem.

eſſe

esse neminem latet: animũ somno. Et in furiosis mẽtem extingui, non animam. Anima igitur uiuere: animo sapere: mente deorũ naturam scrutari dicimur. Anima haud est absimilis lumini, quæ sãguinis humore, ut oleo lumen alitur. Hãc alij sanguinẽ esse dixerũt, alij ignem alij uentum siue spiritum, unde & nominis origo, ἀνεμος nanq; uentus est. Anima est imago mentis. Deus menti, mens animæ, anima corpori præest.

ANIMI SEDEM IN CAPITE esse: & aures, oculos, nares, linguam, ac neruos, eius esse fenestras.

ANimum alij in corde posuerunt, unde loquẽdi forma frequẽs inoleuit, in corde suo, pro animo suo: è pectore meo, siquidẽ in hoc conceptaculo cor est, pro animo meo, rei continentis usu pro contenta, & in præcordijs nostris semper uersabere. Alij eum haud dubie in capitis arce habitare affirmãt. Ac ideò aurium, oculorũ, narium, linguæq; organa, & neruorum originem naturã hic collocasse, ut per ea, ueluti fe nestras, è specula sua audire, uidere, olfacere, gustare atq; tactu res percipere posit. Quo tamẽ aliud agẽte & cogitatiõe grauiore impedito etiam fenestris, id est oculis, auribus, naribus patentibus, neq; uidet aliquid, neq; audit, neq; olfacit, neq; gustu, aut tractu percipit quicquam. Nisi id, quod commouet sensum, ita sit, Caput animi specula.

aut nouum, aut insigne, uti uehementia animum cogitantem perturbet. Eadem & Ciceronis in Quæstionibus Tusculanis, ubi de ipso disserit, sententia est, quam adponã: Sensus nullus in corpore. Sed (ut non solum Physici docent, uerum etiam medici, qui ista aperta, et patefacta uiderunt) uiæ quasi quædam sunt ad oculos ad nareis, ad aureis à sede animi perfratæ. Itaq; sæpe aut cogitatione, aut aliqua ui morbi impediti, apertis, atque integris & oculis, & auribus, nec uidemus, nec audimus. Vt facile intelligi possit animum, & uidere, & audire, non eas parteis, quæ quasi fenestræ sunt animi, quibus tamen sentire nihil queat mens nisi id agat, & adsit. Eam ob causam Lucianus Pallada esse genitam ait è cerebro Iouis. Eademq; ratione Homerus sæpe ἐν φρεσὶ, pro in animo dicit. φρένας enim nominant Græci membranam, quæ operit cerebrum, quam Lucianus μηνίγγα uocat, unde in ipsa apostema φρενῖτις dictum. In sentiendi ratione officia animi duo sunt: iudicare, & persequi uel fugere, Prius ad intellectũ pertinet & prudentiã artesq; omneis complectitur. Postertius, ad uoluntatẽ: quod iustitiæ, fortitudinis, ac temperantiæ genera continet.

Duo animi officia.

ANIMI VIRES.

Octo animi potentiæ.

MArcus Varro hominũ animas in parteis, seu uires octonas diuidit. Harum esse quinq; ait, quibus

quibus sentimus, sextam, qua cogitamus: septimã qua progeneramus: octauã, qua uocem mittimus. Et Plato in Timæo tripartitam esse uoluit. Primã rationalem partem, capitis arcem tenere: secundam, excandescentiam in cordis conceptaculo esse: tertia cupiditatem in iecore. Vt plerisq; placet, mẽs siue animus pro officijs diuersis alia atq; alia nomina sortitur. Anima nũcupatur, dum uegetat: spiritus, quando cõtemplatur: sensus quum sentit: animus, quum sapit: quum discernit, ratio: quum recordatur, memoria: quando uult, uoluntas. Nonnulli arbitrantur sapere & recordari animũ in cerebro, metuere in corde, concupiscere in hepate, audire in auribus, cernere in oculis, olfacere in naribus, gustare in palato & lingua, in omnibus denique corporis partibus, per quas nerui diffunduntur, sentire. Magna inter corpus & animum discrepantia est. Nam corpore nihil nisi præsens, & quod adest sentire possumus: animo autem & præterita & futura. Hic momento cuncta percurrit: corpus tardum atq; hebes testudinis more graditur, quod tamẽ ipsum facere nõ posset, nisi animi ui atq; impulsu moueretur. Corpus quum senescit indies fit deformius: animus contrà uetustate fit illustrior. Nunc sensuum genera, quorũ non infrequens usus est exponentur. Animæ partes tres.

QVINQVE INTERIORVM sensuum descriptio.

Sensus cõis

Imaginãdi uis.

Φαντασία

Ratio uel cogitatio.

Memoria.

INteriores quinq; tradiderunt. Sensum communem unde nerui ad exteriorum sensuum organa proten duntur, quiq; ab exteriore sensu percepta cognoscit uniuersa, atq; in locum unum contrahit. Imaginandi uim, quæ formas à communi sensu recipit, ac discernit. Φαντασίαν, quæ interim è specierum diuersarum cõ positione monstra fingit, quorum fortasse similia num quã uiderit. Rationẽ, siue cogitationẽ, quæ ex formis sensu cognitis, aut futurũ aliquid: aut præsens, aut præteritũ colligit. Et memoriã, quæ tum percepta à sensu tum à cogitatione collecta seruat, ad cæræ modum cui effigies aliqua imprimitur. Quã Græci ita depingunt. Μνήμη δέ ἐστιν ἡ τῶν πάλαι ἐγνωσμένων κατοχή. Et, ἐν τῇ ψυχῇ τὸ μὲν προσδοκώμενόν ἐστιν ἐλπίς τὸ δὲ παρόν, αἴσθησις· τὸ δὲ ἀπόντος μνήμη. Nõ inutilis illorũ distinctio uidetur, qui treis dum taxat parteis posuere. Cõmunem sensum, quo undiq;, ueluti ad fontem sensa cõfluunt. Rationem, cogitationẽ ue, qua aliquid inde colligimus, seu ratiocinamur. Et memoriam, quæ utrunq; seruat. Interni sensus, ergo aliorum iudicio quinq; sunt. Sensus cõmunis, quo omnia quæ uel uisu, uel auditu cognita sunt, conuenunt.

Memoria.

Imaginandi facultas, quæ à cõmuni sensu tradita sibi, contem-

contemplatur, ac dignoscit. Φαντασία, quæ res fictas & cuiusmodi nusq; reperiuntur, quandoq; cõponit, ut Cẽtauros, Chimeras. Cogitatio, quæ ex uisis rebus uel auditis præteritum aliquid, aut postmodo futurum ratiocinatur. Et memoria, quæ omnia dicta modo seruat. Aliorum sententia tres tantum. Cõmunis sensus, in prima cerebri parte: cogitatio in media: in postrema memoria. Quibus quinarius numerus placet, hi sẽsus tres priores in primo cerebri conceptaculo ponunt: in medio rationem: in postrema memoriam.

DISCERE ESSE recordari.

IN animi notione dissentiunt autores. Plinius eum interire putauit cum corpore. Sic enim septimo libro scribit: Omnibus à suprema die eadem, quæ ante primum, nec magis à morte sensus ullus aut corpori, aut animæ, quàm ante natalẽ. Quo in loco Democritũ ridet, qui futurum esse prædixerat, ut defunctorum corpora resurgerent. Similis, inquit, & de seruandis corporibus hominum, ac reuiuiscendis promissa à Democrito uanitas, qui nõ reuixit ipse. Adiecit et hoc: Quæ malum, ista dementia, iterari uitam morte? Alij uerò animum & semper fuisse, & æuo nullo morituram esse existimauere: sed ipsum tum decedere, quod quidem mori uocant: tum iterũ redire, perire nunquam. De animi æternitate.

Sic

Sic enim Plato in dialogo quodam, cui titulus Menon siue de uirtute, ea de re disserit. cuius uerba hæc: Quũ animus immortalis sit, ac sæpius in uitam hanc redierit, uideritq; crebro, & quæ in hac, et quæ in alia uita sunt: omniaq; perceperit: nihil utiq; restat quin didicerit. Quamobrem nihil mirum est, si eorum quæ ad uirtutem, et ad alia pertinet reminisci possit, quippe quũ olim illa cognouerit. Ex his effici Plato uult, nouum nihil cognosci, sed ea solum, quæ ante in corpus aduentũ cognita erant, in memoriam reuocari, ac ideò discere aliud nihil, nisi reminisci esse. A Cicerone ratio redditur, quur adeò multarum rerum cognitio protinus tollatur, & quam ob causam, prima ætate doctrinarum omnium ignari uideamur, ac rudes. Quoniam, ait, mẽs in tam insolitum, tamq; perturbatum domicilium repente immigrauit. Sed quum se colligit, tum ea agnoscit reminiscendo. Idcirco apud Platonem pusionem quẽdã Socrates interrogat Geometrica quædã de quadrati dimensione. Ad quæ sic ille gradatim perductus respõdet, quasi Geometrica didicisset. Vnde Socrates discere, uitæ superioris recordari uocat. Hæc ad memoriæ rationem pertinent, ideò hic subiecimus.

Discere q̃d sit.

QVID SOMNVS.

SOmnus, inquit Aristoteles, quies est animalium sentiens, cum intentione naturalium. Vires animales,

les, mouendi ac sentiendi facultates nuncupantur: naturales nutriendi. Cicero somnum imaginem mortis nominari ait: ac inde colligi, nullum in mortuis, aut morte sensum esse: quum eius simulachrum, siue umbra sensu careat.

SENSVS EXTERNI.

EXteriores sensus sunt, auditus, uisus, olfactus, gustus, tactus. Ideò esse quinq; putãt, quod partes totidẽ sint, quibus mundi corpus constat: elementa quatuor, & ætherea forma. Siquidem tactus, terræ rationem habet. Gustus aquæ, quoniam humectatione sensus hic perficitur. Aëris percussio sonum ædit, quem audiendi facultas percipit. Olfactus, uim igneam possidet: ex calore nanq; odores proueniunt. Videndi ratio, ex ætheris materia & lumine temperatur. Sonus itaq; motu & collisione excitatur: lumine color: igne odor: sapor: humore: & rebus solidis tactus. Horum instrumenta sunt aures, oculi, nares, lingua, & manus in quibus tangendi facultas perfectißima est. His obijciuntur sonus, color, odor, sapor: tactus obiecta calor, rigor, humidum, aridum, asperum, læue: & quæ horũ mistura componuntur. Obseruatum est sensus omneis qui in animalis capite locantur, inuersam efficere Pyramidẽ. Latißime enim sparguntur aures, arctius coëunt oculi, adhuc arctius nares, partem infimam linguæ occupat.

occupat. Inter sensus, perfectissimus homini ac araneis tactus: aquilæ uisus: uulturibus canibusq; odoratus: talpis auditus, quæ de ijs loquare intelligere dicũtur et profugere. Nũc colorũ, saporũq; genera tractabimus.

COLORVM NOMNA.

RVfus color est non planè ruber. Huius genera sunt: flauus, fuluus, luteus, rutilus, spadix, phœniceus. Flauus fuluo clarior est. Sic flauam segetem aut Cererẽ dicimus ab aristarũ maturitate. Et flaua mella. Flauaq; de uiridi stillabant ilice mella. Verg.

Et comam flauam uocamus. Ouidius.

Forma placet niueusq; color flauiq; capilli.

Fuluus, inquit Plato, ex flaui fusciq; mistura constat Fuluum enim aurum, fuluum æs, fuluam aquilã, & fuluam arenam nominamus. Hæ loquendi formæ diligenter obseruandæ. Quippe non apte aurũ flauum dixeris: nec mella fulua. Luteus dicitur, cuiusmodi uitelli in ouo color est. Rutilus, spadix, ac phœniceus, exuberantiam atq; splendorẽ ruboris signant, qualis in palmæ arboris fructu est. Sunt & alia colorum uocabula quæ ordine exponentur. Liuidus nũcupatur cuiusmodi est color carnis percussæ, sine effluxu sanguinis. Purpureus est, qui nigricãtis rosæ spendore sublucet. Vel (uti Plato ait) rubeum cum albo nigroq; purpureum generat. Fuscus, qui ex albi nigriq; temperatione pro-

generat

ducitur. Pila enim aut papyrus, qua diu usi sumus, fusca appellatur. Pallidus ex albi flauiq; mistura prouenit. His adduntur cœruleus, glaucus, cæsius, thalassicus ferrugineus, κυανεος & cumatilis à fluctibus uocitatus, quæ pro eodē accipiuntur, colorēq; subnigrū, qualis cæli, uel maris est, significant. Quo noīe Proteus cœruleus, & nymphæ cœruleæ, et saxa, quæ in mari prominent, cyanea nominantur. Cœruleus dictus quasi cœluleus: unde & mare, quod cœlo subiectū eundē colorem accipit, cœruleū uocamus. Cæsiū quoq; uocitatum opinantur, quasi cæliū. A cœruleo nōnihil differre uidetur sententia Ciceronis, qui primo de nat. deo. cæsios oculos Mineruæ, cæruleos esse Neptuni scribit. Est cucumis cœruleus, qui mūdi ipsius imaginē & colore & interioribus partibus refert. Veteres nō quaslibet res sed oculos duntaxat cæsios uocabant, quibus inest fulgor quidā uisu horrēdus. unde sicut Cæsares dicti à cædendo, sic cæsius nuncupatus, quòd cædē quoadmmodo oculis minari uideatur, qualis prælio et cæde gaudens Minerua fuisse dicitur. Cæsius græce glaucus uocatur unde Pallas γλαυκῶπις dicta. Glaucus etiam color pro uiridi ponitur, qui admistum uirori alborem habet, Vnde Vergilius glaucas salices dixit. Sumuntur quandoq; à rebus uoces hæ, ut: roseus, flammeus, igneus, sanguineus, croceus, aureus. Differt ater à nigro

quod

quòd ille sit propriè carbonis extincti, horrendus, tristis, uisu iniucundus, unde & mors atra, & dies ater dicitur: hic uerò nonnunquã lepidus & uenustus est. Contraria dicuntur album, & nigrum, flauum & liuidum, puniceum & purpureum, uiride & cœruleũ. Color in facie niger aliâs indicat immoderatum frigus ut hyeme in frigẽtibus, qui liuescunt: aliâs immodicum calorem, ut in hominibus cholericis & Aethiopibus.

Medicorũ obseruatio. Medici colorum rationẽ habent in cute, capillitio, urina, excrementis, & uomitu.

SAPORVM GENERA, & naturæ.

SAporum formæ septem traduntur: dulcis, σύστροφος, acetosus, amarus, acutus, insipidus, salsus. Dulcem habent saporem ficus, mel, glycyrrhiza. Stypticum, uuæ immaturæ, & mala immatura. Ea uim obturandi habent, inde nomen inditum, σύφω nanq; Græcis obturo est. Acetosum, acetum, quod sapori nomen dedit, & uinum uetus. Amarum, absynthium. Acutum, piper. Insipidum, aqua, & herbæ, quæ aquæ saporem habent. Et salsum, res omnes sale conditæ. Saporũ diuersa natura est. Nam id quod dulce est, corpus humectat, & lenit. Stypticon uiscerũ meatus comprimit. Acetosum, neruos infestat, humoresq; siccat. Amarum, membra cõfortat, sed pectus lædit. Acutum

sensum

sensum mordet, & adurit. Insipidũ penetrandi habet facultatum, atq; aduersus febris morbum præsidio est. Contraria sunt dulce & amarum: pingue & salsum. In herbis alijsue rebus sapor salsus, amarus, acutus eas calidas esse indicant: acetosus & stypticus, frigidas: pinguis, insipidus, dulcis, temperatas. Odor acutus, calidas & siccas, ut allij: grauis seu obtusus, frigidas & humidas, ut uiolarũ: mediocris, frigidas & siccas. Sensuum rationem absoluimus. Reliqua, quæ ad animi naturam spectãt, exponentur. Primum eloquemur, quid summũ bonum, quot bonorum genera sint, quò differant pulchrum & honestum. Deinde uirtutum species tractabimus: deniq; utiorum.

DE SVMMO BONO.

SVmmum esse bonũ uel beatitudinem aiunt, in quo totius sapientiæ cardo uersatur, aut summam felicitatẽ humanæ naturæ. Epicurus id in animi uoluptate posuit. Aristippus in uoluptate corporis. Peripatetici in animi, corporis, ac fortunæ bonis. Lactãtius uerò bonum summũ nuncupauit cœlestem uitam, uel colere Deũ: nosq; ideò generatos esse, ut deo seruiamus. Hæc ergo de summo bono cognoscenda. Ipsum esse scopum, quo omnes nostri conatus, aut labores tendere debent. Inde quoniam his de rebus crebrò esse discepta-

 tio solet, Epicuri, Aristippi, Aristotelis sentẽtiæ per-

discendæ.

discẽdæ. Hi enim autores in hac mentiõe persæpe apud scriptores uersantur. Possent & philosophorum aliorum coniectationes innumeræ depromi, sed in cognitione omni, optima quæq; excerpẽda censeo, ac ad alia animum transferendum, seruandumq; Terentij dictũ: Ne quid nimis. Præsertim quũ tam multa, tamq; præclara nobis peragranda sint. Dementis esset hic anxie omnia quæ ad summum bonum spectant, persequi: ac interim arteis alias pulcherrimas negligere. Idem & in locis alijs dictum uelim, ubi fortasse nimiũ esse breuis uidebor. Postremò, summũ illud naturæ humanæ bonum diuinum esse cultum adfirmabimus, seu beatitudinem æternam, aut (quod idem est) diuini luminis consequutionem. Id lumen in mentem primo, in uoluntatem deinde descendit. In mente ueritas, in uoluntate gaudium: in mente ἀμβροσία, in uoluntate νέκταρ à Platone in Philebo & Phædro appellatur. Triplex boni summi cõditio, ut summopere perfectum dicitur, quoniam nihil sibi deest. Sufficiens, quippe nihil deest illi, quod ipsum adipiscitur. Expetendum, quando in illo, & ex illo est, quicquid appeti potest. Vnde quia perfectum, sufficiens: quia sufficiens, expetendum. Apud scriptores idem sunt summũ bonum, beatitudo, ac summa felicitas.

Summũ bonum qd sit.

TA La

TRIPLICIA BONA, ET rerum expetendarum tria genera.

Bonorum formæ tres sunt. Animi, quæcunq; cõsilio & cogitatiõe fiunt: ut prudentia, iustitia, fortitudo, tẽperantia. Corporis, quæ natura corpori attribuit. Quod genus: uelocitas, robur, dignitas, ualetudo. Et fortunæ, quæ externa dicuntur. Huiusmodi sunt genus, educatio, diuitiæ, potestas, gloria. Rursus rerũ expetendarũ tria genera sunt. Alia quippe expetũtur propter suam uim & dignitatẽ, quales sunt uirtus, doctrina, ueritas. Alia propter fructum et utilitatem, ut pecunia. Alia suæ quidẽ naturæ gratia, sed quæ cõmoditatẽ quandã præ se gerunt, quò magis expetantur: ut amicitia, bona existimatio. Est distinctio alia tum laude, tum admiratione digna, quam Platonicorum ratio subtilis prodidit, bonorum genera duo esse: unum finẽ: ad finẽ alterum. Illud propter seipsum: hoc propter aliud expetendum. Illius appetitio uoluntas huius electio. Illud uenerandum: hoc utile. Illo fruimur, hoc utimur. Illius adeptio, beatitudo: huius, lucrum uocatur. Lucrũ igitur boni utilis acquisitio est, quod ad boni uenerandi cõsequutionẽ cõducere potest. Quod uero ad hoc nõ cõfert, nec ipsum utile est: nec eius adeptio lucrũ. Hactenus bonorum ratio dicta. Reliquum est, ut decori, honestiq; discrimẽ, seu potius affinitas exponatur.

QVID INTER PVLCHRVM & honestum intersit.

DEcorum siue pulchrum ita cum honesto iungitur, ut separari ab ipso non queat. Honestas nanq; uelut bona ualetudo est, & quædam salubritas corporis. Decus uerò, tanquam uenustas & pulchritudo. Forma ualetudini bonæ uidetur antecellere, tamen sine ea esse non potest: sicuti nec flos sine radice. Quid autẽ uera pulchritudo sit incredibile quam elegãter, ac diserte in Platonem Marsilius scriptitârit, ad hunc fermè modum Pulchritudo nihil aliud quàm summi boni splendor est, fulgens in ijs, quæ oculis, auribus, mente percipiuntur: perq; illa ad bonũ ipsum, uisum, auditum, mentemq; conuertens. Quo fit, ut pulchritudo circulus quidam lucis diuinæ sit, à bono manans, in bono residens: per bonum: & ad bonum perpetuò reflexus. Verum hic alio modo pulchri nomen quàm ante ubi illud honesto comparauimus accipitur. Priore enim forma opes & artes pulchras: honores, magistratus, imperia, eaq; quæ hominis industria, aut effici, aut comparari possunt, pulchra nuncupamus. Posteriore, quicquid natura, aut Deus ipse cõdidit. Sic Solẽ pulchrum, Lunam pulchram, mundum pulchrũ, arborum deniq; fœtus & flores pulchros appellamus. Illuc memorantur, quæ uulgus humanum pulchra putat

Pulchritudo quid sit.

tat cupiditatibus suis deditum: hic undiq; dei fulgorem uniuersitas rerum spectantium oculis obijcit. Item pulchritudinem superiorem, artificiosam: hanc uerò naturalem uocare non incommode possumus.

QVATVOR VIRTVTVM Genera.

Virtutẽ esse aiunt animi habitum, rationi rectæ consentaneũ. Recta ratio cognitio est tum legũtum sententiarum, quæ natura omnium animis inditæ sunt. Quales hæ apud Phocylidem:

Πτωχῷ δ' εὐθὺς δίδου μήδ' αὔριον ἐλθέμεν εἴπῃς
Πρῶτα θεὸν τίμα, μετέπειτα δὲ σεῖο γονῆας
Πλοῦτον ἔχων, σὴν χεῖρα πενητεύουσιν ὄρεξον
Λαῷ μὴ πίστευε, πολύτροπός ἐστιν ὅμιλος.

Virtutẽ mediã esse, atq; extrema utrinq; uitiosa constat. Sic fortitudo media inter temeritatem & ignauiã est: ueritas, inter arrogantiam atq; dißimulationem: uerecundia inter impudentiã ac stuporem: Ex his temeritas, arrogantia, impudentia uitia dicuntur, modumq; excedunt: ignauia, dißimulatio ac stupor defectu notantur, nec ad mediũ perueniũt. Propositæ sunt mortalibus uiæ duæ. Virtutum altera, quæ primo ingressu est ardua, cõfragosa: postea plana lucida, amœna. Quod Hesiodi uersus elegantißimè exprimunt:

Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν

Ἀθάνατοι μακρὸς δὲ κὴ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτήν. Idem post hunc à Luciano perscriptum ita: ὁ οἶμος ἐπ' ἀρετὴν ὄντι, μακρός τε, καὶ ὄρθιος, καὶ τραχὺς ἰδρῶτα ὀκ ὀλίγου ἔχων τοῖς ὁδοιπόροις. Altera uitiorum, quæ principio amœna est, multoq; tritior: postea præceps, saxis aspera, obducta sentibus. Virtutes omnes in formis quatuor diuidunt, quæ ordine describẽtur. Prudẽtia est rerum multarum memoria, & cõplurium negotiorum usus: A sapientia distat. Nam prudẽtia uersatur circa res humanas, & in quibus habet consultatio locum. Sapientia uero circa primas causas, & prima rerum principia, eaq; quæ à nobis nec fieri, nec immutari queunt. Quamobrem astrologum, qui siderũ motus ac naturas contemplatur, sapientem non prudentem nominamus. Iusticia, quæ unicuiq; rei suum tribuit. Fortitudo rerum magnarum expetitio, & rerum humilium contemptio, & laboris cum utilitatis ratione perpessio. Vel (ut Macrobius ait) Fortitudinis est animum super periculi metum agere, nihilq; nisi turpia timere, tolerare fortiter uel aduersa uel prospera. Aut: Fortitudo cum ratione honesta contemptus est periculi. Temperantia, est rationis in libidinem, atque alios non rectos impetus animi firma ac moderata dominatio.

PRV-

PRVDENTIAE SPECIES.

PRudentiæ genera tria sunt: Memoria per quam præterita perspiciũtur: intelligẽtia, qua præsentia cognoscimus: & prouidẽtia, quæ postmodo futura perscrutatur. Prudẽtis etenim hominis est tẽpora hæc tria accuratè obseruare. Hic memineris memoriã non pro animi ui, quam in cerebri cõceptaculo posteriore sitã esse diximus accipi, sed pro actiõe seu recordatiõe ipsa, qua memoriam res præteritas intueri sentimus.

IVSTITIAE GENERA.

RElegionem uim insitã esse aiunt, quæ deorũ metu et ceremonijs hominẽ ducit: uel quæ deo suũ tribuit, Pietatem esse in deos, aut in patriam, aut in parentes, aut in alios sanguine iunctos officium. Gratiam siue gratitudinẽ officiorum, honorum, et amicitiarum memoriam & remunerationẽ esse: uel quæ bene merentibus suũ tribuit. Obseruantiã per quam ætate & sapientia: aut dignitate aliqua antecedẽtes ueneramur. Veritatẽ, quæ monet nos, ut rẽ sicuti est, & sicuti scimus, dicamus. Beneficentiã qua gratis de alijs bene meremur. Amicitiã, quæ mutuã alijs beneuolentiã reddit. Vel duorum animorum summam in Deo colendo concordiã. De qua exemplum dignum memoratu recitabo. Tartarorũ rex quidam moriens filijs duodecim sagittas totidem in fascẽ ligatas tradidit, ut frangerent.

Illis autem frustra conantibus, solui eas iußit atq; fran gi singulas. Ita uestrũ, inquit, imperiũ si eritis concordes, firmum fuerit ac stabile: at soluto animorum consensu hostium iniuriæ obnoxium. Cõsuetudinẽ ius esse quod sine lege propter uetustatem, æque ac si legitimũ sit, usitatum est. Legẽ ius dici, quod aut populi aut imperatoris iussu sancitum sit. Quam ita exprimit Demosthenes: ὁ νόμος ἡ πόλεώς ἐστὶ ψυχή, ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα διεφθάρη ψυχῆς πίπτῃ, ὅτω καὶ πόλις μὴ ὄντων νόμων καταλύεται. Id est, Lex urbis anima est. Nam quemadmodum corpus decedente anima cõcidit, ita sublatis legibus actum est de repub. Plato ut ex Timæo, Phædro, & Georgia colligitur, quatuor legis species ponit: diuinam, quam prouidentiam uocat cœlestẽ, quam fatum: tertiam mouentẽ, quæ natura est: quartam humanam, quæ prudentium sit. Sunt itaq; legis genera Platoni hæc: prouidentia, fatũ natura, & constitutio humana.

FORTITVDINIS GENERA.

MAgnificentia, est rerum magnarum cum ampla animi cogitatione administratio. Fidentia est per quam animus in magnis & honestis rebus multũ in se fiduciæ certa cum spe collocauit. Perseueratiã quã & constantiã nuncupant, est in ratione bene cõsiderata, stabilis & perpetua permansio. Patientia, est

rerum

rerum arduarum, atq; difficilium, honestatis ac utilitatis causa, diuturna perpessio. Vel (ut Lactantius libro quinto inquit) patientia malorum, quæ inferũtur, aut accidunt, cum æquanimitate perlatio est.

TEMPERANTIAE PARTES.

TRia temperantiæ genera. Continentia, per quã cupiditas consilij gubernatione regitur. Clementia quæ animos in odiũ concitatos comitate retinet. Et modestia, per quam pudor honestus quandam sibi auctoritatem comparat. Vel continentia moderatio, seu temperantia cupiditatum est: clementia iræ: modestia morum.

ANIMI PERTVRBATIONES.

ANimi uitiũ, perturbatio, seu πάθος, est auersa à recta ratione animi cõmotio. Perturbationũ formæ quatuor sunt. Aegritudo, animi aduersante ratione contractio, quæ doloris morsum aliquẽ efficit. Metus opinio impendentis mali, quod intolerabile esse uideatur. Hic animi recessum quendam & fugam efficit. Lætitia hilaritas profusa est: sed gaudiũ, moderata. Hoc igitur posterius inter uitia nõ numerant. Libido, cupiditas effrenata est, aduersus rationẽ incitata uehementius. Sunt itaq; uitiorũ genera quatuor: ægritudo, metus, lætitia, libido. Aegritudinis causa est malũ præsens: metus malum futurũ; lætitiæ bonũ præsens: cupidi-

tatis bonũ futurum. Perturbationum inita non sunt in nostra potestate: progressus aũt et cõsensiones ut cobi beamus, omnibus nobis in manu est. Bedũ, inquit Cicero, quos nulli metus terrẽt, nullæ ægritudines exedũt, nullæ libidines incitant, nullæ futiles lætitiæ languidis liquefaciunt uoluptatibus.

AEGRITVDINIS GENERA.

INuidentia, animi ægritudo est susceptа, ppter alterius res secũdas, quæ nihil noceãt inuidẽti. Aemulatio ægritudo est, si eo quod quis cõcupierit, alius potiatur, ipse careat. Obtrectatio uel zelotypia ægritudo dicitur ex eo, quod alter quoq; potiatur eo, qd' ille ipse concupierit. Vel, ut Chrysippus ait: Zelotypia animi ægritudo est, inde proueniens, quod timeas, ne alteri contingat, quod cum nemine habere cõmune uelis. Misericordia est ægritudo ex miseria alterius iniuria laborantis. Angor ægritudo premẽs. Luctus, ægritudo ex amici cuiuspiam morte est. Mœror, ægritudo flebilis. Aerũna, ægritudo laboriosa. Dolor, ægritudo cruciãs. Lamentatio, ægritudo cũ eiulatu. Solicitudo, ægritudo cũ cogitatione. Molestia ægritudo permanẽs. Afflictatio, ægritudo cum corporis uexatione. Et desperatio, ægritudo sine ulla rerum expectatione melιorum.

METVS GENERA OCTO.

PIgritia est metus imminentis laboris. Pudor metus ignominiæ. Terror, metus, cõcutiens. Timor

metus mali imminentis. Pauor, est metus mentem loco mouens. Ennius: Tum pauor sapientiam omnem mihi expelleret ex animo. Exanimatio est metus subsequēs, & quasi comes pauoris. Conturbatio, metus excutiēs cogitata. Formido metus permanens.

LAETITIAE SEV VOLVptatis formæ tres.

MAleuolētia uoluptas est ex malo alterius sine emolumento suo: inuidentiæ cōtraria. Delectatio uoluptas est auditus, uisus: aliorúmue sensuum suauitate animum deliniens. Iactatio uoluptas est gestiens, & se efferens insolentius.

LIBIDINIS PARTES SEX.

IRa libido est puniendi eius qui uideatur læsisse iniuria. Aut est cupiditas ulciscēdæ iniuriæ. Vel (ut Possidonius ait cupiditas puniēdi eius, à quo te iniquè læsū putes. Aut est cupiditas doloris rependendi. Excandescētia ira est cito nascēs, ac desistēs à Græcis θύμωσις nuncupatur. Odiū ira inueterata est. Inimicitia, ira ulciscendi tempus obseruans. Discordia, ira acerbior est intimo odio & corde cōcepta. Indigentia seu auaritia libido inexplebilis est.

DE ILLICITO COITV.

ILlicito coitus formæ quinq; sunt, simplex fornicatio, adulterium, stuprum, incestus, raptus. Simplex

forni-

fornicatio, est soluti cum soluta corrupta. Adulterium cõmittitur in nuptã. Stuprum in uirginẽ, quam uocem sæpenumero Terẽtius usurpat. Incestus, in eos, qui cognatione aliqua iunguntur. Et raptus cum puella uiolenter de domo patris rapta. Partem sextam addunt, uitium contra naturam, quod hic non describemus.

SEPTEM VITIORVM, QVAE capitalia nominantur, origo.

ANimi passiões duæ: honoris appetitio, etamor uoluptatũ. Ex honoris adfectatiõe homo cũsu pra se attollitur in treis ppellitur scopulos: superbiã, irã, inuidiã. E corporis uerò illecebris ab humano fastigio prolapsus in ternas abyssos mergitur, gulæ siue uẽtris curam immodicã, libidinem, acediam. Illinc ceu tribus alis hominem homo transilire conatur, honores diuinos postulans, qui nondũ humanis dignus est. Hinc uoluptatibus blãde mulcẽtibus illectus, triplici grauatus põdere infra hoiem ruit, fitq; lõge homine inferior. Auaritiæ furor utriusq; particeps, cõducit nãq; ad honoris appetitionem, atq; ad corporis illecebras. Itaq; superbia, quã et arrogãtiã nõ inepte dixeris, ira, inuidia, ex honorũ cupiditate nimia proficiscũtur. Vẽtris cura immoderatus rei uenereæ usus, ac desidia, è corporis uoluptate. Ex utroq; habẽdi libido seu pecuniæ studium, auaritia. Hæc uitiorum origo, quæ capitalia religio christiana uocat. De animo satis dictum.

DE TRIBVS CORPORIS CONceptaculis. De neruis, arterijs, ac uenis.

TRia in corpore cõceptacula sunt: caput, pectus & uenter. Caput sensuum receptus est: pectus aëris, uëter alimenti. In his uiscera tria sunt, quæ principalia à medicis membra nominantur. In capite cerebrum, unde nerui oriuntur. In pectore cor, unde arteriæ uentre iecur, unde uenæ. Nerui mouendi ac sentiendi facultatem corpori ministrant: arteriæ uitalem uim, uenæ naturalem Venæ ruuli sanguinis sunt: arteriæ spiritus.

DE CAPITE AC COLLO

AD caput ea pertinent, quæ ante de somno, sensuum, colorum, saporumq; generibus exposuimus. Eius nunc partes aliquot exequemur: & quanã ratione noxij ex eo humores depellantur. Bucca maxillarũ ac oris portio est, quæ uento inflatur: unde buccinis nomen. Gena membrana dicitur oculũ tegens. Plinius: Grauiores alitum inferiore gena cõniuent. Mala inter & genã buccam prominens & rotundus tumor est instar mali. Duo capitis latera tempora nuncupantur, quod temporum ac horologiorũ more, quasi quibusdam interuallis seu uicibus mouentur. Ab hauriendis uocibus aures dictæ: ab occulendo, oculi: à palpitando palpebræ. Cerebrum purgari potest: sternutatione

tione, gargarizatiõe, quod nomẽ à uocis ſtrepitu ſumptum eſt, et ſolutione alui. Præter hæc utile crebrò pectore caput, et pãno aſperiore illud perfricare. In collo meatus duo ſunt: guttur tranſitus aëris aut ſpiritus: et gula cibi ac potus. Gutturis circuitus carthilagine conſtat: ut aër qui tenuis eſt, ingreſſum patentẽ reperiat. Item gutturis fiſtula ad pectus & pulmones ducit: gula, ad uentriculum.

DE PECTORE.

PEctus homini latum eſt: reliquis animantibus carinatum, præcipuè uolucribus. Hic ſedem habẽt cor, & pulmo, qui ex partibus quatuor componitur. Arteria uocali, quæ ex collo deſcendit. Venali arteria quæ cordis conceptaculo leuo adhæret. Vena (ut inquiunt) arteriali è dextero cordis ſinu exeunte. Et ſpumoſa pulmonis carne quæ in ſtupæ modũ, treis quas recenſuimus partes, implet ac committit. Hic ſpiritum ad cor meantem concoquit, & ut iecur ſtomacho calorem miniſtrat: ita et pulmo medium amplectitur cor, eiuſq; caloris cuſtos eſt. Quem admodum uenter alimento corpus ſic aëre pulmo animam nutrit. Reſpiratio frequens & magna, inflammationem pectoris notat: crebra & parua, pectoris dolorem: rara & magna delirium: rara & parua, extinctionem caloris.

QVA

QVA RATIONE EX SANguine ſpiritus fiat.

IN corde tria cõceptacula ſunt: in quorũ dextero ac medio ſanguis fit ſubtilior: in ſiniſtro ſpiritus fit. Ex iecore enim uena magna ſanguinẽ in dextrum cordis ſinũ defert. Qui uiſceris illic calore tenuior factus, ex eo in concauitatẽ mediam permeat, quæ nequaquã ſimplex eſt, quemadmodũ extremæ, ſed è poris multis conſtat. In ſinu eo ſanguis itidem præcoquitur magis. Inde in conceptaculum leuum tranſit: ibiq; humor calore uictus, in ſpiritũ tenuem, qui uitalis eſt, ac ſalutaris uitã corpori miniſtrans, conuertitur. Hæc ideo ſcripſi, quoniã pleroſq; Medicæ artis ſcriptores, in ſpiritus ratiõe hallucinatos eſſe uideam, eum in cordis parte media naſci ſeu perfici arbitrantes.

DE ARTELIALI VENA, ARteria uenali, coſtis, ac ſpina.

COrdis igitur pars dextera ueną habet magnã, quæ ſanguinẽ ex hepate pertrahit: ſiniſtra, originem arteriarum. Præter quas, alia quoq; eidem annectuntur. Siquidem ex cordis dextero latere uena oritur, quàm appellant arterialem. Hæc ſanguinẽ pulmoni miniſtrat, quo ipſe nutriatur. Vena dicitur, quia ſanguinẽ defert. Arterialis, quod duas membranas habeat, quemadmodum arteriæ, uti maior ſit ſanguinis optimi

optimi custodia. Ex leuo autẽ cordis conceptaculo arteria oritur quam ratione contraria uenalem uocant. Hæc è pulmone aëra defert, qui cordis ꝯalorem refrigeret: & uapores inutiles si qui cũ spiritu uitali sint sursum tollit in pulmonem, ut inde per gutturis ductũ eijciantur. Arteria nominatur, quoniam spiritus contineat. Venalis, quia simplici solum membrana constet uenarum modo, propter aëris aduentitij, uaporumq; utilitatem. Costæ aliæ perfectæ sunt quæ coëunt: aliæ imperfectæ quæ non clauduntur. Spina os oblongũ est quod per medium dorsum tendit, in qua tricenæ uertebræ sunt, ex singulis bini oriuntur nerui.

DE PRAECORDIIS.

Διάφραγμα, membrana lata est, quæ pectus à uentre separat. Dicitur & cinctus, quoniã corpus ueluti cingit. Et à Columella septem transuersum Tranuersum, ait, ex ualida membrana septũ est. Præcordia itidem eam nuncupant, quia cordi ipsa prætenditur. Retento spiritu, diaphragma premit intestina, eoq; modo egeruntur excrementa.

DE STOMACHO, ET ALIMENTI CONCOCTIONIBUS.

Sub pectore uentriculus gulæ adhæret, exitus habens duos. Ideò bifariam purgari potest, uomitu, ac alui solutione. Hic cibus percoquitur: qua de re in præ-

præsentia nonnihil dicendum. Quatuor alimenti concoctiones sunt. Quarum prima in uentriculo fit: secunda in hepate: tertia in uenis: quarta in singulis membris. Cõcoctionis primæ excrementum est: quicquid per intestina egeritur: secũdæ urina: tertiæ inutilior sanguinis pars, quæ ex uenis in uesicã refunditur: quartæ sudor, sperma, sordes q; quæ in cute extrema conspiciuntur. Cæterum semẽ, licet inde colligatur, purgamentũ tamen proprie uocari non debet, quoniam non reijcitur. Hæc breuiter exposuimus. Verum quò cõmodius accipi queant, apertius eadẽ explicabo. Cibus potusq; per uiam eandem, quam gulam uocamus, in uentriculũ descendunt. Vnde misti simul percoctiq; ad intestinorum flexus pelluntur. Inde quicquid corpori aptum existit, per tenues uenas in iecur defertur. Quicquid in intestinis remansit, cõcoctionis primæ excremẽtum appellatur. Succus in hepar delatus in humores cõuertitur, qui inde per uenas ad membra diuersa abscedũt. Verum sanguis qui minus corpori idoneus est, in uesicam per renes eijcitur. Eam ob causam urinam sanguinis colaturã nominamus. Humoris igitur in uenas missi concoctio earum calore perfectior fit. Mox id quod natura reijcitur, per renum spiramenta seu poros in uesicam descendit. Id purgamentum tertium uocauimus. Concoctione postrema membris omnibus uenæ

alimentũ ministrant. Ea caro, cutis, ungues, & corporis partes reliquæ nutriuntur. Quod post eã superest in sudores ac sordes effluẽtes trãsit. Corpora bene concoquentia cibũ, minus excrementorũ habent. Post sumptum cibum potumq; in membra extrema nutrimentũ penetrat horarum nouem intercapedine.

QVATVOR CORPORIS VIRES.

IN corpore uires seu facultates quatuor sunt: δεκτικὴ uis quæ alimentum attrahit: κρατητικὴ retinendi facultas: ἀλλοιωτικὴ immutandi: & ἀποκριτικὴ uis expellendi. Vt magneti uis inest ferrũ attrahendi: sic natura unumquodq; membrum ad se trahit alimentum, tractum retinet, retentum in suam cõuertit substantiam, expellitq; superuacua.

DE QVATVOR HVMORIBVS, & ratione minuendi sanguinem.

HVmores quaterni traduntur: sanguis, phlegma quã Cicero pituitã uocat, bilis flaua, ac melancholia, quæ & atra bilis dicitur. Sanguinis humor, aëris naturã refert, & cæteros in sese cõmistos cõtinet: flaua bilis igniũ: phlegma, aquæ: bilis atra, terræ. Sanguis, calidus ac humidus est: flaua bilis, calida et sicca: plegma, rigens & humectum: melancholiæ fix, & frigida & sicca. Hi omnes in sanguine per uenam sectã emisso cernuntur. Quippe flaua bilis semper spuma,

uel tenuior, atq; superior sanguinis pars est. Plegma aquosum illud, quod in sanguine ueluti riuulis diffluit. Bilis atra, fex grossior est in fundo hærens. Reliquum sanguis. Quod hoïes nunc hilares nunc tristes sint, causa est humorũ abundãtia. Exuberante enim flaua bile, agiles sumus, ingenij celeris & iracundi: atra, inertes pusillanimes, timidi: pituita, segnes ac frigidi: sanguine, alacres, ad risum propensi. Hunc redundantẽ minuere licet quum Luna Veneri coniungitur: quando stella Iouis, Veneris, aut Solis hexagono eam conspectu, uel trigono intuetur: et quũ Iouis siue Veneris sidus, mũdi diametro, uel triẽte à Lunæ globo distat. Omnes inter Mercurium Lunamq; radij, ad rem istam utiles sunt. Venas aũt pertundere non licet, quando Luna cũ Sole Saturno, Marte, capite, aut cauda draconis est, quum ipsa radijs tetragonis à Sole, Saturno, aut Marte absistit, et quãdo à sideribus iisdẽ Sole, Saturno, aut Marte mundi dimetiente, siue fex significri signis abest. Sanguis exiens, uomitu è stomacho uenit: cum tussi ex pulmone: cum sputo ex gingiuis.

SIGNA HVMORVM.

Signa quædã sunt, quibus humores abundantes cognoscamus. Cholericos enim membra habere gracilia peruulgatum est, ob calorem res cunctas consumentem: hirsutos esse, capillitio crispo, colore fusco,

uenis eminentibus, siue tumidis: eosq; arma, pugnas, ac res igneas per somnum uidere. Melãcholicos, pallidos esse, tristes, cogitabundos, uenis strictis, uix apparentibus, atq; horrenda his somnia esse. Phlegmaticos hirsutos minus, carne molli, ut plurimum pingues, capillo demisso, ac dormientes putare præcipites se agi in flumina, aut se uidere natantes, aliaq; quæ ad aquas pertinent. Sanguineos in obseruationibus cunctis, quas memoraui mediocres esse, rubicundos, atq; per somnum res oẽs colore rubro ijs apparere. Quatuor hæc somnia certa ratione semper redundantes humores indicant. Sæpenumero usu uenit, ut etiam antequam dormiamus, dum nosmet ad somnum cõponimus ante oculos uersentur ignes, pugnæ, gladij, res horrendæ, recessus profundi & obscuri, aquæ, flumina, maria, homines, aut ranæ natantes. Ex quibus omnibus intelligimus, flauam uel atram bilem aut pituitam redũdare. Mane sanguinem: meridie choleram: atram bilem occasu Solis: media nocte phlegma uigere arbitrantur. Idq; in spatijs singulis per tres fieri horas inæqualeis.

DE LIENE, ET SEDIbus adfectuum.

Σπλὴν, aut lien membrum oblongũ est, et spongiosum, quò facilius feculentam sanguinis partem

tem ex hepate trahat. Naturæ frigidæ est, & in corporis latere leuo sub διαφράγματι & membrana. Eam ob causam membra sinistra imbecilliora, dextera uerò ualidiora esse aiunt: quod hic iecoris calor, robur: illic lienis rigor debilitatem adferat. In hoc risus esse locũ adfirmant, quod quum ualet, trahat ad se fecosum omnem & melancholicum humorem, quo sanguis purus ad cerebrũ ac cæteras corporis partes permeet. Occasione data, de adfectibus nonnihil dicendũ. Timor sedem habet in corde, libido in lumbis, amor in iecore, ira in felle lætitia in splene. Quæ eadẽ penè forma sic Ouid. in Tristibus tradit:

Cor sapit, & pulmo loquitur, fel commouet iras,
Splen ridere facit, cogit amare iecur.

Ouidius hic ueterũ more mentem in corde posuit. Placidiora quæq; animalia minus fellis, timidiora plus cordis, salaciora plus iecoris, lætiora plus splenis habent. Inter adfectus, alij cor confortant, ut ira, spes, ambitio: imbecillius reddunt, ut desperatio, pœnitentia, timor.

DE VRINA.

INfima uesica, quæ superiore parte, qua humorem recipit, fistula caret, ideoq; in eam urina per meatus occultos percolatur, ac defluit. Hæc repleta intestina premit, et aëra in his cohibet subinde, nec exire permittit: quæ causa efficere uidetur, ut cum urina inte-

rim uenti emittantur. Quemadmodũ ex lacte serũ, ita ex sanguine urina fit: Egestã hanc regionibus, seu partibus quatuor distinguunt. Suprema circulus nominatur, quem attribuunt cerebro. Secundã arteriæ uocali, pulmoni, cordi. Tertiã hepati, uentriculo, splẽi, ac intestinis. Quarta fundus appellatur: hic membris, quæ ad generandi facultatẽ pertinent, adscribitur: lumbis, renibus, testiculis. In urina res quatuor spectari solẽt: color, substãtia, quãtitas, atq; cõtentũ, siue ὑποστασις. Colores, ex ijs, quæ de sensuũ ratiõe diximus, discerni possunt. Materiã tenuẽ, aut spissam per digitos cognoscimus manu tenentes matulã. Tenuẽ nanq; uocant, si cõmode per eam digitos cernas. Ingens urinæ copia, frigoris: contrarius euentus, caloris est indicium, ac æstu liquorẽ absumptũ esse. Hypostasim nominamus: imprimis illud, in urina sparsum: qd genus arenæ, pili, nubeculæ. Arenæ si albæ sint, in uesica calculũ significãt, si rubræ, in renibus. In circulo sæpenumero spumã uidemus, quæ si protinus euanescat, humores in corpore tenues, ac probe percoctos indicat. Vt enĩ in aqua bullæ, ob liquoris tenuitatẽ ilico soluuntur: ita & hic subtilis humor erumpentẽ spiritum nequit cõtinere. Sin spatio lõgiore duret, humores in corpore crudos esse indicio est: similis olei spumæ, quæ nõ facile dissoluitur, propter crassum humorẽ, qui tenuem includit spiritum.

Granula

Granula sunt quasi spuma intercisa, & seiuncta in circulo, atq; in particulas uarias diuisa. Ea significant magnam in capite humorum copiam, ac ipsorum è cerebro defluxum. Qui humores si ad nares descendant, κορύζαν gignunt. Si ad oculos opthalmiam. Si super oculos, supercilij dolorem. Si ad aures, tinnitũ & uentositatem, & surditatem. Si ad uuam, eius laxationem Si ad guttur, raucedinem. Si ad os, linguæ ac oris ulcerationem. Si ad maxillarum neruos, gingiuarũ & dentium dolorem. Si ad fauces, brãchos & nodos in gula. Si ad tracheam arteriam, tussim. Si ad pulmonem, asthma. Si ad intestina, lyenteriã, quod tum spumosæ egestiones indicant.

VNDE MORBORVM NOmina sumantur.

COrporis parteis aliquot absoluimus. Superest, ut de morbis nonnihil dicamus. Hi quandoque nome habẽt à membro adfecto: ut περιπνευμονία, à pulmone. Interim à causis: ut μελαγχολία, est enim bilis atra, & humor, & morbi uox, si ipsa redundet. Elephas & cancer à similitudine dicuntur. Nõnunquã ab his, qui ijs laborauerunt: ueluti Herculanus, quem nomine alio, tum comitialem, tum ἐπιλημψίαν, nuncupant. Quatuor morborum tempora: principium, augmentum, status, declinatio.

SIGNA FVTVRI MORBI IN capite, pectore, uentre, ueſica.

CAput grauari noxijs humoribus indicant: uertigo, capitis dolor, ſuperciliorũ grauitas, aurium tinnitus, punctura temporum, oculorum matutinis horis & lachrymæ, & caligatio, quum repentinũ lumen ferre nõ poßint, hebetatio olfactus, ac gingiuæ tumor. Iſthæc huiuſcemodi morbi conſequi ſolent, niſi medicorum cura obſiſtat. Lippitudo, cerebri tabes, capillorũ defluxus, ulcera capitis, ac dentium dolor. Protinus itaq; purgandũ adiuuandũq; caput, quando hoc genus notas ſentimus. Quum uerò pectori morbus imminet, hæc uidẽtur indicia. Sudor uniuerſum corpus occupat præcipue thoracẽ. Lingua craßior fit. Spuũt uel ſalſa, uel amara, uel biliоſa. Latera ſcapulasq; dolor ſine ca caſiõe infeſtat. Vigiliæ, ſuffocatiões, ſitis, afficiũt. Animus ex ſomno triſtior redditur. Pectus brachiaq; refrigerantur, & tremunt manus. Eiuſmodi ſigna ſequi ſolent: πλευρίτις, περιπνευμονία, μελαν χολια, febres acutæ, phrenitis, λήθαργος, ardor cum ſingultu. Vomitus hic præcipuũ remedium, & prouocatio ſputi. In uentris morbo hæc ſentiuntur ſigna. Venter cõuoluitur, atq; turbatur. Grauãtur genua, & lumbi rigent, ita ut flecti uix poßint. Sine cauſa & crurator pent, & corpus totum fatigatur. Morbi, qui hæc indicia ſequũ

cia sequi possunt, ni medicamenta succurrant, sunt: dysenteria, lyenteria, ἀπόπληξία, articularis morbus. Vesicæ incommoda præcedunt: corporis totius pallor somni graues, urinæ liuidæ, neq; facile effluẽtes, ac pudendorũ tumores. Inde sequuntur: ὑδρωψ, lienis magnitudo, calculus, renum dolor, urinæ stillicidium, & uentriculi plenitudo. Hæc leuantur medicamentis urinam cientibus.

MORBORVM ALIQVOT descriptiones.

ORthopnœã uocant, quum tanta oritur spirãdi difficultas, ut laborantes recti sedere cogãtur. Apnœan, quasi non spirationem, nulla ut aspicientibus uidetur, facta spiratione, φθίσιν, seu tabem exiccationem corporis, quando pulmo læsus ad similitudinem follis pertusi, haud satis cõmode cor refrigerat. Quocirca augescente calore, corpus paulatim consumitur. Morbum ita Ouidius describit:

Cernis ut è molli sanguis pulmone remissus,
Ad Stygias certo limite ducat aquas.

Eo solent laborare, quibus humeri & spatulæ eminentes, colla longa, parua capita, guttur item prominens pectus strictum, deniq; qui facile irascuntur, & sæpe numero tussiunt. Lyenteriã appellant intestinorum leuitatem, quum cibus egeritur non percoctus. Dysente-

riam uerò contrariã huic, quando non facile, neq; sine dolore excrementa egeruntur. Regium morbum, diffusionem bilis per totum corpus. Πλευρίτιδα dolorẽ pungentem in latere, aut pellicula, quæ operit costas. Stranguriã, quum retinetur urina, aut guttatim emittitur. Id plerunq; usu uenit, quando calculus in uesicæ collum incidit: qui corporis supini concussu expellendus est. Aut quum adeò repleta uesica est, ut collũ comprimatur. Vnicum tunc remediũ, ut abstineatur à diureticis, hoc est, prouocãtibus urinã, atq; si opus sit, fissura fiat inter anum & testiculos, quò urina per fistulam educi queat. Febris omnis est uel in spiritu, quæ dicitur ephemera. Vel in humoribus, quæ triplex est. In phlegmate, quotidianam: in flaua bile tertianã, in atra quartanam uocant. Vel in membris, quæ nuncupatur hectica, eò quod membra ipsa inuaserit. Eũ quæ in humoribus est, in continuam intermissamq; distribuunt. Distant ephemera, quotidiana, continua. Siquidẽ ephemera dicitur: quasi unius diei, quod uno duntaxat die duret. Quotidiana, quoniã quotidie semel affligat cum intermissione. Continua, quod laborent assiduè, non intermisso morbo.

QVID ΑΠΟΠΛΗΞΙΑ ΕΠΙΛΗΨΙΑ seu comitialis morbus, paralysis, stupor, torpor, & spasmus.

Απο-

Αποπληξίαν esse haud dubiũ est subitã quandam consternationẽ, quum pariter nerui tum sentiendi, tum mouendi, uim amiserunt. Επιληψίαν uerò seu morbũ comitialẽ, quum facultas nõ mouendi, sed sentiendi, amittitur. Eundẽ & Herculanũ nuncupant, quod eo laborabat Hercules. Itẽ Lunaticũ, quoniam interlunio æditi eo ferè corripiantur. Et comitialem, quod propter eum soluebantur comitia. Paralysin, neruorũ resolutionẽ duntaxat in parte aliqua corporis, qua & motus & sensus depereunt. Stuporẽ imperfectam neruorũ resolutionẽ esse. Oritur sæpe eximia brachiorũ seu pedum cõpressione. Imperfecta dicitur, eò quòd uis cerebri, hoc est, facultas mouẽdi et sentiendi mox redeat. Deniq; spasmũ siue conuulsionẽ neruorum contractationẽ dici. Huius duas esse causas tradunt, repletionẽ inanitionemq;. Priore modo contrahi, quum plegma crassum circa iuncturas cohæret, quo humore neruus, quemadmodũ membrana liquore infuso cõtrahitur. Posteriore quũ per uulnus aliquod tantum humorum effluit, ut corpus nutriri, nequeat. Id tum arescere membra indicat, & alimentũ defluere, seu in putidam materiã conuerti. Qua de re Hippocrates: Spasmus uulneri accidens, letale.

QVO DIFFERANT PHRENItis, lethargus, melancholia, mania.

Phre/

PHrenitis est in pelliculis, quæ cerebrum operiunt circa frontē apostema calidum, quod uel ex flaua bile, uel ex cholerico sanguine natū est. Lethargus apostema est frigidum è phlegmate, uel bile atra ortum in parte posteriore cerebri, nō membranæ. De hoc Plautus: Lethargum patitur, sui paulisper oblitus est. Eundē alio nomine ueternum, hoc est, morbum, qui ex nimio otio ac somnolētia oritur, nominant. Verg. de Ioue qui exacto aureo seculo ad laborem humanum genus coëgit:

Neç torpere graui passus sua regna ueterno.

Μελαγχολία est cōmotio quædam mentis cum timore, propter spiritus melācholicos turbātes spiritus animales, & ueluti atro colore inferentes metū. Quemadmodū enim tenebræ nocturnæ, ita istiusmòdi causæ timorem plerunq; efficiūt. Inde Græcis μελαγχολάω est atra bile laboro. Quod uerbum Lucianus usurpat ubi Polyphemus apud Neptunū de Vlysse cōqueritur: συνεκάλεσα ὦ πάτερ τοὺς ἄλλους κύκλωπας, καὶ ἧκον, ἐπεὶ δ' ἤτοντο τοῦ ἐπιβουλένοντος τὸ ὄνομα, ἠ ἀγὼ ἔφην ὅτι οὖτίς ἐστι, μελαγχολᾶν οἰηθέντες με, ᾤχοντο ἀπιόντοτες. οὕτω κατεσοφίσατό με ὁ κατάρατος τῷ ὀνόματι. Mania, est insania, quæ fit ab atra bile adusta. Distat à melancholia, nam ea ab atra bile naturali oritur, nō exusta. Posteriores duo à

prio=

prioribus differunt: quoniam melancholia & mania sine apostemate, phrenitis ac lethargus cum apostemate fiunt.

DE PESTE, ET QVARE Sol Apollo uocetur.

PEstem appellant aëris uenenum, & uaporem quendam noxium, quo spiritus uitales inficiuntur. Cuius signa perquirere difficile. Etenim clara non nunquam urina, etiam morte instante uisitur, eò quod nondũ ad iecur humores peruenerint. Et quandoq; conualuisse putãtur: utpote quum cordis natura primum robustior, à sese uenenum depulerit: quæ postmodo tamen ictu crebriore defessa, uictaq; succumbit. Itaq; in periculo tanto, anxie perspicere conuenit, quas potissimum causas uitare possimus. Augescit uenenum Solis Lunæq; coitu: ac stellis issdẽ diametro distantibus. Ingrauescit, quo tempore Lunæ sidus sub Saturno consistit, magisq; sub Marte, aut quum siderum eorundem radios ipsa tetragonos attingit. Grassatur itidem magis dierum partibus quatuor, quibus aëris uis immutari cõsueuit, Solis exortu, occasu, meridie, media nocte. Vere sæuit, æstate magis, plus autumno. In primis calores immodici exitiales sunt. Ideò Solem Apollinem ὡς ἀπόλλωντα τὰ ἑῶα uocant. Eãq; ob causam Homerus Apollinem tela in Græcorum exercitum iacu-

lantem

lantẽ iuducit, queis nõ solũ homines, sed pecora quoq; periere. Vnde & Apollinem Lindij cognomine λοιμιον, hoc est, pestilentẽ colunt. Morbi rẽmedium præcipuum est soli cœliq; mutatio: quod non homini modo uerum animantibus etiam brutis mire conducit.

PERORATIO OPERIS.

ALiquam naturæ uim expressẽrũt opera mea: uentura secula post me nonnihil quemadmodum & ego feci, conentur depingere. Quòd si celsiore spiritu præditi plerosq; inuenerint, qui cõtemplatione tam alta, tã uera, tam iucunda nõ moueãtur, sciant hos non hoïes esse, sed animãtes prodigiosas, quæ ratiõe, q̃ sibi natura dedit nõ utuntur, quæ pabula solum pecudum more terram spectantes quæritant. Hæc postrema uerba scribebam die quodam festo, quum Sol means per undecimam domum primamq; faciem Arietis hortos amœnissimos, in quibus erã sic illustrabat, ut in eis penè ducenti homines ducti serenitate aëris expatiarentur. Vites erant ordine satæ, quas circumuolabat ingẽs copia auium. Decurrebat fluuius aqua nitidissima leui murmure per petras: resonabant grato susurro arbo-

res

res. Primum colligebam incredibilem esse molem Solis ex hoc, quòd tanto amotus interuallo tanta luce orbem illustret uniuersum, quòd cuncta æstu compleat. Mirabar deinde terræ uires effundentis tot colores, tot sapores odoresq; . Tum uidens florentes arbores, admirabar qua ui radicum succus per durissimum lignum in ramos sublimes erumperet, secum certas & florũ & fructuum formas adferens. Contuebar uiolas & innumera herbarum genera. Conuersus ad flumen, plura sunt, inquam, miracula rerum, non omnia campus unus ostentat. Hæc aqua in mare defluit, inde sursum trahetur feruore Solis nubesq; facta decidet in alueos duersorum fluminum, quò rursus misceatur oceano. Quin lucidus mundus tam tenui constans materia, qui semper implet pectus meũ, cuius admiratio mihi multò maior uoluptas est, quàm uerbis queã proloqui, certa lege ruit circum eandem lineam secum trahens ignẽ causam ignium cæterorum. Alia ex alijs colligebã, audito concentu auium, succurrebãt uirides psitaci, pauones cauda nobiles, leones, leopardi, elephanti. Demum exclamabam uoce exigua, ne obambulantes me exaudirent, sed magno stupore ac gemitu, ô numen mundi, quã pulchrum uiuere est? uidere Solem, mutabilẽ Lunam, frutices, herbas, gemmarum uires? Contrà quam triste mori? orbari uita? cœli, stellarũ atq; tot uultus,

tot

tot formas hominum derelinquere? O quàm durum hoc mihi fuerit, qui paulum supra communem hominum sensum in naturæ cognitione sapere cœpi? O quã breui cadendum est? supersunt forsitan duo anni, ad summum uix tres aut quatuor. Quàm sæpe hæc cura me cruciat? præsertim quum ruentia tam certa lege sidera oculis aspicio? quum Solis splendorem, siue Lunæ uices intueor, aut quum cogito, quã incertum tempus hominum uitæ datum sit? O utinam Phœbe decimumquintum orbem ageres: tricies te Scorpio uidit ab ortu meo: iam singulis annis mors, quum mortalibus cunctis, tum mihi metuenda est. O si per, fata adeò pura, adeò tranquilla, adeò insigni lætitia per multos annos frui liceret? O natura parens rerũ, terra centrum mundi est, orbis magnitudinem ac capacitatem cõprehẽdere nequit homo, qui uix terræ punctus est, te tua propago canit, miraturq; animus in corpore hærens perituro, autorem omnium immortalem, causarũ causam, cuncta mouentem, expertem motus. Pauca recensui, cõpulsus dulci impetu, quo me plerunq; celer mundus concitat, quæ aliquando de siderum cursu, de natura rerum conceperim. Vnde intelligas, quantũ gaudij, quantũ uoluptatis literarum studia nobis pariant. Isthæc nonnullos, qui manibus pedibusq; per sentes, & rupes, & mille pericula semper sursum enituntur, qui nihil

nihil nouerunt, quod non præclarum sit, admittere, ad laborem incitabunt. Alios stupidos, & sensus nobilioris expertes qui clarissimam Solis lucem haud ferũt, qui tenebris gaudent, qui corporis uoluptates quærunt, non mouebunt magis, quàm elegantissimæ picturæ cæcos, quàm surdos cantiones suauissimæ. Proinde illis hæc non scribimus, illi hæc ne aspiciant, alant illi corpus suum, & pereant ut pecudes. Magnis ingenijs loquimur, petentibus alta, quæ seruitutem dedignantur, quæ socium non patiuntur, quæ apta sunt ad imperandum, quæ nemini cedunt, quæ non fugiunt sudores, puluereres, uulnera, quibus charius mori est, quàm succumbere. Quemadmodum cœpi, adolescentes ad literarum decus hortari pergam, & præcipuè ad stili uictoriam, qua nihil speciosius, nihil maius, nihil durabilius in orbe est, ut operam dent ne scriptores ueteres per tantum æuum primas parteis teneant, ut ostendãt se uixisse. Meminerint reliquum hominum genus nullã relicta memoria sui nebularum modo quotidie euanescere. Aliquid efficere pulchrum est, celebres autores superare pulchrius: quenquam eò euadere, quò nemo consequi posit, pulcherrimum. Hunc tanto maiorẽ uoco Hercule, Achille, Bæsare, tanto nobiliorem maximarum gentium regibus, quanto animi uirtus corpori præstat: tantò clariorem omnis æui laude, quantò cæ

teris mortalibus antecellit. Hic libertate summa fruã tur, blandimẽta respuat, nihil nõ arroget armis: turpe ducat assentatione aut precibus gloriam quærere uel augere doctrinæ famã, in uiribus suis uictoriã ponat. Hic sedeat celsus in æthere ornatus fulgentibus armis à uertice ad plantam pedũ. Dextra ensem immoto lacerto teneat. Soliũ sit ingẽs nõ nisi purissimo auro gemmisq; cõpositum. In cuius latere dextero sint cœlum, φαίνων, Phaëtõ, πυρόεις, princepsq; Sol, ἕωσφόρος, σίλεων, Luna cum dracone. In læuo cælentur κλειώ, εὐτέρπη, θάλεια, μελπομένη, ἑρατώ, πολύμνια, οὐρανία, atq; suprema Calliope. Supra caput prominẽti solio affigatur dei simulacrũ candida ac illustri specie manu sphæram agitantis spectantisq; imaginẽ sui animũ. In sphæræ circuitu sint Helice, Cynosura, Βοώτης, Anguis, Ericthonius, Arcturus, Vergiliæ, Sirius, Cetus, Centaurus, Fera, Canopus, & obliqua uia siderũ errantiũ. In eodẽ orbe latitudo arctoa graduũ duorum & quinquaginta duodecim domosha beat. Mũdi pars media, quà solis iter est, ignea sit: axis fines frigoris candore niteãt. Onus inclusum opposita Soli umbra premens stellæ motum imitetur. In interiori ac posteriori planicie sedis, quæ opposita est capiti sedentis, argentea scriptura adhæreat: OMNIS SPES IN VIRTVTE PONENDA.

Infra

Infra pedes latè sedes pateat, ibi ostentet se terra cum oceano & riuis decurrentibus. Nubes è mari ad montes humorẽ referant, ut semper fluant flumina. Aquas habeant Neptunus, Proteus, Nymphæ, delphini, nauigantes. Terra liquore non oppressa distinguatur Europa, Aphrica, Asia. Europa, Hispania, Gallia, Germania, Italia, Græcia. In hac auro elatiore emineant Olympus, Ossa, Pelius, Pindus, Parnasius, & Athenæ ciuitas. In Italia, Roma. In extrema Germaniæ parte ad littus oceani è regione Britanniæ Andouerpia. Dextra Hellespontiterra Troiæ locum habeat. Ab Aquilone Tanais in Mæotin: ab austro Nilus in mare fluat. In Italia stet Iulius Cæsar magnarum gentium domitor: in Græcia Alexander Macedo: in Germania Carolus, cui nostra ætas regimen orbis credidit. A tergo murus aheneus esto altissimus. Vtriq; lateri adsint armati mille, licet illorũ defensione non egeat. Inter quos & cathedram nunc suauis cõcentus musicorum, nunc tubarum sonitus imperatoris aures studeat oblectare. Ante pedes adolescentes uaria artium genera discant. Alij orandi uim exerceant, alij circulos & triangulos pingant, alij cõstruant sphæras, cilyndros, anulos. Omnes ambiat aurea uitis. Hoc regnum animi est inter omnia regna maximum, hoc per omne æuum durat. Hoc laboris præmiũ, hic triumphus, hæc gloria,

hæc laus literatis uiris proposita sit. Si cui nõ desit pectus generosum, si quis ad alta natũ se putet, huc summa uirtute enitatur. Næ mens humana potentia pollet ardua petit, diuina est, maiorem se noui præter deum neminem. Quò aliquanto magis iuuenum animos ad literas commoueam, recitabo quid dudum uiderim. Equo exibam ciuitate causa uisendi campos, defessus nanq; eram studio domestico. Circa mœnia occurrit pædagogus quidam doctißimus cum sex aut septem uiris: Saluus sis, inquit, Ioachime, quò nunc abis? O mi charißime amice, tu itidem salue, cupiditas inceßit animo lustrandi agros, præsertim hoc uerno tempore. Si placet, ait, adolescentes adducant equum in stabulum, & uidebis mirabilem pugnam. Ingressus sum cum eo in domum instructam uaria supellectile. Oportet, inquit, sumamus aliquid alimenti, ne belli mora nobis uires deficiant. Positis super mensam dapibus, adferebãt cyathos aureos, quos implebant redolente uino. Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξέρου ἕντο, uenimus in aulam ampliß imam, parietes operti erant pictis aulæis, ijsq; adfixi flores, herbæ, & rami uirentes. In circuitu stabant circiter trecenti pueri eximia forma & uenusto rubore, quorũ capita redimita erãt frondibus: in manibus singuli ramos gestabant. Multi eorum gallinaceos gallos certandi studio comparauerant.

rant. In medio locus erat tectus stragulis, ibi nos duo cum aliquot uiris sedebamus. Mox unus gallum suum ante nos demittit, alter suum opponit. Illi repente inuicem se inuadunt: pugna longa est & dira, sanguinẽ ex rostro uomunt, cristæ lacerantur: demũ alter saucius fugit: illum auferunt, adponunt alium. Sic factum usq; ad triginta gallorum numerum: quorum rex uocabatur, non postremus, sed qui plures uicerat. Ergo puerum, cuius auis superior euaserat, ilico adornant amictu aureo, capitcoronã, apponunt auream, distinctam smaragdis & adamantibus, ipse sceptrum tenẽs equo altissimo imponitur. Cum rege splendide compti equis insidebant alij circiter centum & quinquaginta. Aureæ torques ingenti pondere multis de collo pendebant. Ducis equum uelabat argenteum tegmen, in quo miro artificio Hercules Centauros domabat, sæuosq; leones, ac cœlum tollebat humeris. Principem præcedebant sex equites armati, totidẽ eum sequebantur. Hos per urbem ducebant litui regium ac bellicum quid sonantes. Incredibile dictu, quàm me hoc spectaculũ incitarit. Themistocles, sicuti memorant historiæ, quũ uideret milites non satis animatos esse ad pugnã, & periculum fore, ne ignauiæ pœnas darent, ad eundẽ modum gallos produci iussit. Hi, aiebat, mutuo se conficiunt, non pro patria, non pro liberis, nõ pro salute sua

ſed laudis gratia, quia pulchrũ uincere eſt, quia turpe apparet ſocium admittere. Quo certamine adeò illos inflammauit, ut confeſtim ceu furioſi irruerint in hoſtes, ut in manu non fuerit, etiãſi uoluiſſet, eos retinere. Animal hoc tam animoſum eſt, ut licet exiguo ſit corpore, uix aliud timeatur à leonibus: nam roſtro & unguibus oculos fodit, neſcit cedere, uulnera non metuit. Sed dicat quiſpiam quur tantopere alios ad ſumma trahis? nónne ipſe uictoria potiri malis? Breue tempus mihi ſupereſt, ante paucorum annorũ finem è ſuauiſſima luce Solis, quæ ſæpe ſudantẽ eſt conſolata, ſub umbras longas deſcẽdere cogar. Tum ſi quid forſitan efficere queo, pulchrum duco aperto Marte uincere. Superare imbellem turbam haud arduum eſſe arbitror. Strenuos duces antecedere, hoc uirtutis opus eſt. Non placet pugna, quæ citra cruorem & uulnera peragitur, in qua nõ aliquot milia armata manu proſtrata iacent uitam cum ſpiritu exhalantia. Magna prælia ſanguine campos, quemadmodum ipſe uidi, uſq; ad uictoris genua replent. Porrò neminem à ſtili labore deterreat fama autorum ueterũ, quòd ferè tanto magis aliquid ſit in pretio, quãto eſt antiquius. Magna quippe in iudicando inſcitia eſt, unuſquiſq; perſuadet ſibi omnia talia eſſe, qualia uulgus prædicat. Pauci ſunt, quibus exercitium ueram doctrinam & uerum iudicium

compa-

comparauit: pauciores qui præter communem famam de ueterũ scriptis aliquid ausint iudicare: solum semper in ore habent, quid de illis senserint alij. Fateor Ciceronem optimè scripsisse & multa, sed ea opinio insita est mentibus hominum, ut nemo par illi futurus sit unquam, nisi qui eum longè superauerit tum splendore orationis, tum rerum cognitione. Apud eum non pauca desiderabit is, qui singulas res & singula uerba diligenter excusserit: tamen nihil est apud Ciceronem, quod non summè probetur etiam ab illis, qui ipsum nondum legerint. Vtrunq; iniquum iuxtà cẽseo, & ueræ laudis quicquã alteri detrahere, & tribuere aliquid, quod non sit tribuendum.

FINIS.

ANDREAE GERARDI HYPERII IN LAVdem. Ioa. Fort. Ring. Andouerpiani, Oratio ad Senatũ Parisiensem.

NEgotium me hercules arduũ, nostrisq; humeris impar. P.C. in præsentiarum suscepimus, simul quod mihi nõ ita multum hac in re exercitato in hanc literarum palæstram rarius descendere contigerit: simul, qd' Ioachimus iste noster Ringelbergius talis tantusq; sit, ut eius laudes amplissimas, de quibus uerba facturus sum, haud facile æquare possim oratiõe. Nã quum in animo mecum paulo altius reuoluo adeò admirandum hominis ingenium, dum præclaram omnium artium (ad quas uix dum mortaliũ ullus tam dexẽro numine aspirauit) cognitionem suspicio, haud paruã futuræ dictionis posuit spem, nostrã in differendo tenuitas. Attamen hæsitantem me non mediocriter inuitabat, quod satis superq; per me factũ iri putaui, si meã in uirum undequaque doctissimum beneuolentiã quoquo pacto ostenderem. Quanquam enim neq; pro dignitate eius, neque pro uestra expectatione, neq; pro meo officio, eius laudes uberrimas exprimere ualeo: bonam tamen gratitudinis partem retulisse uidebor, si

quod

quod ingenij uires ſuppeditant, præſtitero. Quo itaq; tantarum laudum nonnihil attingam, ordine recenſebo quibus haſtenus ſtudijs fuerit deditus & uolumina in communem ſtudioſorum utilitatem ædiderit. Neq; uerò hanc prouinciam ſuſcepi ob quæſtum ullum, aut gloriam: ſed ut aperte proferrem in medium, quod in pectore delituit, quodq; diutius diſſimulare nequiuerim. Si qui mirentur quæ res me, quis ardor, ad hunc tantopere extollendum rapuerit: omnia eius opera diligenter euoluant, & deſinent mirari. Mitto rerum multarum peritiam de quibus nondum quicquam ſcripſerit. Quare uuat ſane magnopere animum meum talis uiri aliquam apud patres ſplendidiſſimos mentionem facere, Cæterum primo ingreſſu ea rerum copia occurrit, ut non uideam, quo ſermone rem tantam fœliciter aggrediar. Veruntamen uela uentis cõmittam, atq; ad rem ipſam coram celeberrimo cœtu, obeundã iam nunc accingor. Relicta morum, patriæ, parentum uitæq; mentione, ſumendum uidetur exordium ab hiſce rebus, quas cum primis ad præſtantiſſimi uiri laudes pertinere opinor nimirum quibus artibus diſcendis teneros annos impenderit. Primũ quum iam tempore non paruo imperatoris Maximiliani in aula celeberrima uerſaretur, uaria typorũ genera deſcribere conſueuit: in eo artificio uix paſſurus aliquem ſecundũ,

nedum parem. Tantopere huius nunquam satis lauda
tum ingenium delectabant characteres apte compositi
pulchri, ac uarij: ut quindecim diuersas scribendi for-
mas collegerit, præter eam quam Italicam nominamus
Quibus demum neglectis, ad pingendi artem non infe
lici Marte se transtulit. Sic pyra, mala, flores, acres
alias permultas uenuste & elegãter depictas reliquit.
Inde cælandi artificium in ære læuigato agressus testi
monium suæ artis nobis reliquit tabellã æream. Hæc
uerò omnia cum tam prospere attentarit: plurimũ cer
te admirari possis, ad quæuis aptum & facile hominis
ingenium. Circa decimumseptimũ ætatis annum impe-
ratoriam aulã deserens, Louanium illud musarum op
tatißimum hospitium cõceßit, prima latinæ linguæ ru
dimenta percepturus. Intra breue tẽpus igitur indolis
egregiæ specimen exhibuit se aliquando eum fore, qua
lem nec prior ætas unquã tulit, nec posterior satis ad-
mirabitur. Hic præterire uolo quod non mediocri ora
tione posset quisq; perstringere, quàm fuerit iuuenta
illi solers in perquirẽdis artibus, quantus labor in euo
luendis optimis autoribus, quot noctes ductæ insomnes
in iucunda elegantis stili exercitatiõe. In physice uero
& Metaphysice quemadmodũ pædagogum habuit Pe
trum Curtiũ in omni literarum genere nõ mediocriter
eruditũ: ita nec earum rerum imperitus aut rudis no-

fuer

ster Fortius euasit. Videntur hæc forte plura & maiora, quàm quæ paruo temporis spatio, ab uno adolescente facile queant intelligi: at quæ sequuntur in eodē hominis ingenio, uita uel longissima posse inueniri, uos in stuporē conuertent. Quotusquisq; per deos immortales, hodie uiuit, aut etiam priscis illis seculis ut latius nonnihil liceat uagarier, inuentus est qui plures easdemq; distinctas disciplinas quemadmodū hic teneret, non secus ac in unaquaq; sola omnes uitæ dies exegisset. Quid uero hic iactem artem illam oratoriam, omnium opinione & maxime frugiferam & præstantissimam, in qua tradenda, uiros non modo multos, uerum & lōge exercitatissimos, imò seipsum penè superauit. Ex ea quantum sibi parauerit fructus, quam famam, quā celebre nomen adeptus sit, uel hinc satis arbitror liquere: quod toties tam expolitas, nitidas, tam latinas declamationes peregit. Deum immortalem, quod in illis decus? quàm atticus lepos? quot floscŭli? quā placidi dispositiq; colores? Libros aliquot de artibus diuersis ædidit, è quarum ordine prima occurrit Dialectice, quæ cæteris haud dubie si fructum cernas, longe antecellit. Hanc partibus omnino quatuor distinxit. In quarum prima de simplicium uocum natura, & quæ ad easdem pertinent, de finiendi diuidendiq; ratione differit: in secunda axiomatum genera tractat: inter-

in tertia formulas argumentorũ: in quarta locos exprimit elegantißime. Omnibus sane quæ uel dictat, uel scribit, plurimum semper inspargit gratiarum, nusquam non moderata addit uerborum pondera. Si quo pacto orationis texat modum, cõponat numeros, distribuat elegantias, oculis coram uideas: cœleste potius quàm humanum ingenium uocaueris. Exactum & elimatũ est quicquid colligit, subtilis ubiq; inuentio, acre iudicium, aptum & concinnũ quicquid ob oculos spectandum ponit. Quo ferè effectum est ut inimitabilem capitis quoq; periculo, audeã assequare. Nemo eorum qui huius opera candide legerint, dubitat, si sic quemadmodum auidißime cœpit, in bonis literis uirtute duce, comite fortuna grassari pergat, futurum: ut non cum huius tempestatis uanis forte aliquot oratorculis sed cum priscæ fidei primiq; seculi Demosthene & Cicerone uiris illis clarißimis, de literarum primatu contendere posßit. Hunc igitur in modum adolescens uirilem animum, cor sublime, in pectore gestabat. Offerũt sese & reliquæ artes, interq; eas Mathematicæ breuiter hic annectẽdæ. His ita Ringelbergius noster est imbutus, ut certiores ex tot tamq; præclaris magnæ Germaniæ uiris, uix ullus, imò nemo habuisse credatur. Siquidem in academijs multis, ubi complures uel Arithmeticam, uel Geometriã, siue publice siue priuatim

Profitebantur: neminem esse arbitror, sicuti in omniū ore est, qui huic æquari merito potuerit, tantum abest ut dicam ali quo modo præferri. Nemo, inquiunt, cœli stellarumq; naturam, tam compendiose, tam absolute tradidit, quàm Ioachimus Ringelbergius. Nusquā non audias nostrum Fortium rei mathematicæ scientissimum. Dispeream si non uera loquor, ut interim paulo agens liberius, commune aliorum adferam iudicium, nuper uiri aliquot probe literati prædicabant omnia quæ ad Astronomiæ artem faciunt, breuibus institutionibus, quas ædidit ornatissimas, exacte describi. Ad de quod Geometriæ usum iucundissimum Chao quodā mathematico comprehenderit. Sed hic quis nisi planè fungus aut caudex, non admiretur summopere tantam stili breuitatem? Quis in breuitate tantam dictionis claritātem non suspiciat? O præclaras animi dotes. O fœlix nimium, & ter quaterq; beatum ingeniū. O excolendum in homine, & illo mortali, diuinum pectus, omni doctrina abundantissime præditum. Quò nunc rapiar? Quò me diuertam? Pergámne an cœptis desistam? Commemorémne, quæ innumera sunt? Præstat animi cōponere motus, & menti pristinam restituere tranquillitatē. Omnia profecto quibus, uel Astronomi, uel Astrologi occupantur diligentissime exploratuit. Pertranseo in hac parte Cosmographiā, & similes,

miles, quæ astrologiæ affines sunt. De quibus magis fusa oratione, & prolixiore sermonis ambage nonnihil recenserem, si modo ex his gloriam nasci magnam ex æquo perpenderent omnes. Vtinam nõ adessent morosuli aliquot superciliũ contrahentes, quibus hæc parum digna uidentur, ac proinde displicent. Cæterum hos ego lippos φιλαύτους καὶ παντάλαβους mentisq; expertes nomino: quum oculis hisce meis uideam non infimæ sortis uiros, nec inter postremos literarum alumnos numerandos, despici, uellicari, morderi, ab homuntionibus huiusmodi etiam abiectissimis, qui humanitatis habent tam parum, quàm nihil. Sed ualeant pestes illæ, ac abeant, longius abscedãt quicunq; sint, suis cum nænijs propria inuidia consumendi. Ego tales per Iouem omnibus diris deuouens in squalidum carcerem coniectos, tandem ut digni sunt, ad miseram crucẽ rapi, ac male perdi cupiam. Quid si nunc Græcæ linguæ copiosissimæ, cognitas omnes partes uestris occinam auribus? Num iterum tanti ingenij magna uos ceperit admiratio? Non mediocris hercle opinor. Homerũ illum Græcorũ toties iactatum laudibus, nec minus Latinorum ore probatum, ad unguem memoriter tãtum non recitare ualeret Hui: adeò fuit hactenus intentus ut omne ingenij acumen illius lectioni accommodauerit. Nunc

rit. Nunc itaq; quid dicendum restat? Tam alacer iste hominis animus quò non aspirauit? Est ne uiri clarissimi quod amplius in Ringelbergio desideretis? Homo est, ita me deus bene amet, cui nihil deesse uidemus quod uel ad morum integritatem, uel uitæ candorem possit adiungi. Qui tam est comis, tam humanus in omnes, ut maximi quique uiri eius consuetudinem crebro summis uotis ambierint. Hunc omnes penè musarum cultores, uelut præsidium quoddam suum & dulce decus, colunt, uenerantur, obseruant. Vt quod uix de aliquo proferre audeam, huic non incommode tribuerim, ingenium ipsis Gratijs medius fidius, non modo dignius, sed & uenustius, & gratius. Præter hæc animus generosus regiones, ut uarias ita & & plures lustrauit, siue quo doctorum uirorum frue retur interdũ iucundissima necessitudine, siue ut reperiret aliquando eum, ex quo noui aliquid addisceret, uel ut ipse se uelut clarum iubar omnibus suspiciendũ præberet. Verũ nõ est mihi celeberrimus uir ita iactãdus, ut omnia quæ de eo mihi certo cõstãt expendãne dicere uidear, musarum zelotypo inanis arrogãtiæ aliquid subrepsisse. Cuius si animi candorem adferre uellem, iterũ longe plura quàm quæ iam dicta sunt nobis essent exponenda. Quàm serios, quàm festiuos in uita non-

nonnunquã recreandi animi gratia, & leuandi tædij iocos atq; sales deprompsit. Quid si experimenta illa si multiformes diuinandi ſpecies enumerem? Vociferabuntur mox omnes dubio procul, me amentem esse, rationis oblitum, & ad longiora duci, quàm locus postulabat. Quare nunc quod maxime dictum oportuerat, auditu fortaſsis nõ indignũ, animus est in medium adferre. Quum Ioachimus iſte tot adeptus pulcherrima literarum ornamenta, ſemper Fortium ſeſe præstaret, hoc est ſui ſimilis esse pergeret, cũ iam animus firmior multo, quàm antea, indies maiora conciperet, quod uix aliquis aut ſaltem mortaliũ pauciſsimi mẽte agitarunt, cum gigantibus, Polyphemis, Briareis, & Cyclopibus de eloquentiæ uictoria certamẽ cenſuit ineundum. Nam quid non facile audeat Fortius? Itaque ne uel aliqua in re ſeſe Fortiũ præstare deſineret, animum ad ſtudia diuerſa flectens, quũ omnia perpetuæ gloriæ nominiſq; immortalitati posthabenda existimaret, conatum omnem, omnes neruos, uires denique omnes tũ animi tum corporis, toto impetu ad ſtili exercitationem conuertit. Optimum ergo ex multis, & non niſi ſelectis autoribus ſcribendi modum, ſummo labore, pluribus uigilijs, frequenti ſudore, ſibi demum comparauit. Hic autem, ut nemo non nititur excellentiſsimus haberi, ita iſte tam inſigniter laborauit, ut ex

tot

tot milibus eiusdem certaminis palæstritis, uictoriæ so
lus tulerit palmam. Porrò siue quo subobscuras adhuc
literas illustr ret, siue quo nos ad ardua quæq; obeũda
negotia, uelut classicũ canens, hortaretur: libros com=
plures in lucem emsit, quorum nonnullos lubet recen
sere. Studuit iuuentuti maiorem in modum prodesse,
quum schemata, elegantias, dicendi uaria genera, &
periodos explicaret. Quàm uero modeste, quàm exa
cte in peragendo Dialectico & Rhetorico artificio,
suo functus sit munere, iam notũ est omnibus, qui earũ
aliquid gustarunt. Astronomis, cæteris q; mathemati=
cis quomodo fecerit satis, libri ea de re cõscripti (qui=
bus Erasmus literarum decus, & musarum delitium
honoris permultum tribuit) palam uelut ore loquun=
tur. Non pauci, quos equidem norim, ut interim de me
ipso sileã, ingenuo quodã pudore quantum per hunc
profecerint, fatẽtur. Deniq; plurimum huic debent om
nes quicunq; literis bonas horas collocant: utpote qui=
bus omnem studij rationem adeò polite præscripsit, ut
nullo unquam seculo tale opusculũ prodierit. Librum
de homine ædidit, in quo fatearis oportet Ioachimum
Fortium nominis immortalitatẽ sibi conciliasse. In alijs
quidem uicit multos: at hic seipsum, Fortium inquam,
superasse uidetur. Quis obtestor uos ego P. C. non ui
deat, quàm uere hominẽ totũ expressérit, quàm scite

eũ suis depinxerit coloribus? Nemo igitur in hunc pa-
rum amico esse animo debet, cui & nos oẽs & tota iu-
uentus maximã referre gratiã debemus. Sed prolixa
oratione opus non est referre gratiã debemus. Sed pro
lixa oratiõe opus nõ est efferre, quæ diuinũ ingenium
quotidie meditatur, quin potius rei euentus & exitus
uestro desiderio, abunde ut spero, faciet fidẽ. Virũ hũc
merito à me esse laudatũ existimo, qui etiã laudationẽ
omnẽ facile excedit. Cognoscitis opinor satis quas uir
tutes, quas tũ animi tum corporis dotes, quas bonas ar
tes, quã probam uitã, parens natura in unum hunc ui-
rum cõtulerit. Tibi uero ô Ioachime, ut ad te semel ue
niam, hominum cunctorum quos terra sustinet doctis-
sime, quis mortaliũ grates persoluet labore tuo dignas
Quibus potissimum xeniolis, animũ tuum regium salu
tabimus? Auróne? an lucidissimis gẽmulis? Sed hæc tu
tuis delectatus musis auersaris. Tute igitur gloriæ im
mortalitatem, atq; summã beatitudinem, pro tot sudo
ribus à supremo illo opifice rerum sis precor habitu-
rus. Te colant, ornent, obseruent omnes, doctrinam, si
adsequi nequeant, suspiciant, ac imitari conentur.

HYPERIVS RINGEL-
bergio.

EVclidem mirati sunt plurimum sui Megaren-
ses. Ptolemæum suum iactauit Aegyptus. Illi
geome-

geometram inclytum: hæc astrologum expertißimum. Arpinates mire applaudunt Tullio, Mantuani, Vergilio. Isti celeberrimo gaudent poëta: oratore illi præstantißimo. Felix aliquot seculum laudauit Priscianum, laudauit & alia ætas insignes Dialecticos. Te uerò Ringelbergi doctißime, non sine causa laudibus extulimus, nõ astrologum modo & præclarum grammaticum: uel geometram aut Dialecticum, sed oratorem incomparabilem: unicum totus rei literariæ & ornamentum, & lumen serenißimum. Male sani & infausto sydere nati, qui tuis non fauent laudibus, qui te per alios promoueri ægre patiuntur. Tu compendioßißime, ut paucis libellis, ita & perpolitis, omnium animos, ad meliora studia amplectenda hortaris. Tu eleganter in tuo gymnasio, tua in patria pueros docuisti Plautina, Terentianaq; uerba sonare. Tu sophistarum uitandas probas apodixes. Tu Græcas literas, optime tuo munere fungens, profiteris clarißime. Boni consulas quæso, inuerecundam nostram laudationẽ, qua tuũ nomen plus fortasse offuscari ualeat, quàm illustrari. Multum ego tibi, plurima debent omnes. Sed ualebis, tui Andreæ nõ immemor, qui clientulos inter postremos rogat annumerari.

DE ACCENTIBVS ET NOtis admonitio.

Quoniã bona pars Latini sermonis consistit in rectè proferendo: idcirco, ut rectæ pronunciationi doceamus pueros assuescere, in plurimis dictionibus accentus notauimus, quorum notæ hæ sunt.

ACCENTVS GRAVIS.

à è ì ò ù) Signari solet in fine dictionũ indeclinabilium, quæ declinatæ alibi reperiuntur, ut ferè, iustè, malè. Prætereà in quibusdã præpositiõibus, ut cũ dicis, à patre.

ACVTVS.

á é í ó ú) Hic ferè notatur aut in antepenultima siue breui, siue longa, quoties breuis est penultima: ut, dóminus, amáueram: aut in penultima longa, cum longa quoq; est ultima, ut legérunt.

Apponitur etiã syllabæ, quã statim sequitur enclitica dictio: ut, Arma uirúmque. Hominésne. Oblitúsue sui.

CIRCVNFLEXVS.

â ê î ô û) Hic nunquã ferè notatur, nisi in penultima eaq; longa naturaliter, breui tamẽ ultima: ut, docêre.

ALIAE NOTAE PRAETER Acentuum.

Longa syllaba,	ā ē ō ū.
Breuis syllaba.	ŭ ĕ ŏ ŭ.

Apostrophus, est collisiõis nota, ut uidén', aín', egón': pro uidésne, aísne, egóne.

Hyphē, uirgula est subincurua, quæ supponitur fini unius dictionis, & principio alterius, cum coniungere eas uolumus: ut, de ⏑ industria, ante ⏑ malorum.

HYPERII EPIGRAMMA.

Delciium terræ gens Battaua laudet Erasmum,
Agricolam Phrysius cantet, in astra ferat.
Barlandos referat nunc clara Zelandia doctos,
Dorpius & magnum sit decus usq; suis.
Longolium sequitur iam Ringelbergius autor,
Aedidit hunc nobis terra Brabanta uirum.
Pierides uestrum decus hoc redamate sorores.
Pieridum decus hoc, uos redamate uiri.

DES. ERASMVS ROT. IN Institutiones Astronomicas.

Si cupis astrigeri primordia discere mundi,
Ac mox æthereos implexos orbibus orbes,
Deniq; quàm uario cinctu, quæ ducitur arte
Linea, conuexi spatium secet, hæc age pubes
Perlege, quæ triplici Ioachimi cura libello
Tradidit, ac facilem patefecit ad ardua callem.
Surrige te, qui repis humi, patriamq; reuise.
Astra leuis repete astra, genus qui ducis ab astris.

IN EASDEM IOANNIS Oporini carmen.

Qui cupis astrorum uarios prædiscere uultus,
Quæ mundi ætates, qúæue sit effigies.
Quem peragat Phœbus, nec non uaga Delia cursum,
Quot signa atq; orbes, signiferiq; gradus.
Quæ ue sit horarum ratio, quæ puncta, diesq;,
Quo pacto exurgant sidera, quoq; ruant.
Quid ue sit Arcturus, nutrixq; Capella, Canopus:
Et musæ, atq; Helice, Arctophylaxq;, Canis.
Et quæ Pleiades, Hyades, Cynosura, Triones,
Quem natura sagax feruet ubiq; modum.
Huc properes, nec te moueat quia parua uidentur:
Sæpe ingens paruis gratia rebus inest.

Eiusdem aliud hexasticon.

Si bene Ioachimi lector studiose libellum.
Verses, non dubium, commoda multa feres.
Nam docet æthereos certa ratione meatus,
Quo quæq; exurgat stella, cadátue loco.
Dispeream si quisquam eadem tam scripsit acute:
Magna sub exiguo corpore Gaza latet.

Eiusdem aliud gliconicum,
Asclepiadeum.

Huc uortat facilem gradum

Si quem cel ſa iuuat ſidera perſequi.
Qua natura potentia,
Et mundum, & uarias condiderit uices
Quis muſas uariat modus.
Quæ ue Atlantiades, Vergiliæ, Canes.
Omnino hic mage candido,
Quàm ſi bella legas, ingenio eſt opus.
Sed nec conferat huc pedem
Terrenis animum fractus amoribus.
Sunt hæc libera, liberos
Exquirunt animos, candida pectora.
Summa hic fungus aget nihil,
Tantum hæc ingenijs nobilibus patent.

Eiuſdem aliud phalecium.

Non magno caret hic breuis libellus
Fructu, quem bene cuncta honeſta doctus
Ringelbergius ædidit refertum
Doctis Pierijſq;, Gratijſq;.
Sic nanq; æthereos canit meatus,
Vt non quiſquam alius magis diſerte
Antehac ſcripſerit, hunc tibi parare
Non magno eximium potes libellum.

VT AD CHRISTVM PVERI STA-
tim accedant, carmen paræneticum in hanc
ipsius CHRISTI *sententiam,*
Sinite paruulos uenire ad me, & ne prohibueritis eos.
Talium est enim regnum Dei. Mar. 10 & Mat. 19.
Item Lucæ 18.

PVERO PVER PROFICERE CV-
pienti salutem à CHRISTO IESV.

QVã non dant homines opto tibi corde salutẽ
O puer, à CHRISTO pax tibi, uita, salus.
Moribus humanis multi docuére beatè
Viuere: sed paucis profuit iste labor.
Namq; ad ciuilem retulērunt omnia uitam.
Nec de summo illis numine cura fuit.
At nos, quos summus præceptor ad alta uocauit,
Addecet in primis quærere mente Deum.
Est pater æternus, qui nos, nobisq; creauit
Omnia, nos autem puluis & umbra sumus.
Ille quidem lux est, quæ mentes undiq; lustrat,
Nos uerò tenebræ, noxq; profunda sumus.
Ipse suum nobis natum demisit ab alto:
At gratis, nostro non precio aut meritis.
Dicitur is CHRISTVS, proprium cui nomen Iesus.
O nomen, melius quo nihil esse queat.

Seruato=

Seruatoris enim signat uenerabile nomen:
Vtpote quo nobis est reparata salus.
Hic nos asseruit, moriens à morte redemit:
Se nobis moriens tradidit in precium.
Nunc quoq; semper adest nobis patronus, & eius
Assiduis precibus flectitur ille pater.
Impetrat hæc nobis, Deus ut pater ipse remittat
Omnia, det nobis quicquid habemus opus.
Ille uiam cœli cunctis monstrauit aperto
Tramite, & æternæ quale salutis iter.
Dux idem, atq; uia est, quæ uitam ducit ad illam
Est ubi lux, & pax, & sine fine quies.
Hæc uia non fallit, non præceps ducit in antrum.
Hac unquam nemo qui uia aberret, erit.
Ergo accede puer, toto pete pectore CHRISTVM:
Qui regit, & tutas perdocet ire uias.
Vnica sufficiat tibi CHRISTVS formula uitæ:
Quam sibi tot sancti proposuere patres.
Eius ad exemplum mores componere disce:
Hunc propone tibi protinus archetypum.
Hunc tibi doctorem præ cunctis elige certum:
Quo sine, profectus nil nisi fumus erit.
Si desit CHRISTVS, nequicquam discis, & omne
Est uanum, quicquid proficere ipse putas.
Fœlix quem doceat lenis præceptor IESVS.

Nam sine uerberibus nos docet atq̃; metu.
Quinetiam gaudet nulla mercede docere.
Quodq̃; magis mirum, quem docet, hunc & alit.
Dat sine mensura cunctis, nihil exprobrat ulli.
Audit, amat, dulci corrigit eloquio.
Est comis, placidus, uerax simul atq; fidelis:
Est facilis, simplex, mitis & innocuus.
Quid precor esse potest CHRISTO iucundius usquã?
Dulcius aut melius quid precor esse potest?
Indoctũm ne putas illum esse, parũm ue disertum?
Eloquio linguas imbuit, arte animum.
Illius est uerbum longè flammantius igni:
Quod qui concipiet, frigidus esse nequit.
Afficit, inflammat: mira dulcedine cunctos
Allicit: & sensus pectoraq̃; intus agit.
Ille nec obruitur turba, quin suscipit omnes.
Omni accedenti fautor amanter adest.
Nec tamen expectat uenientes, aduocat ultro,
Admonet, & promptam porrigit ipse manum.
Si modo non renuas acutus adesse uocanti.
Nam cessator ei displicet omnis iners.
Quid moror? in primis pueros complexus amore,
Illorum tenerum prouehit ingenium.
Ad se optat pueros pura cum mente uenire:
Quos magis atq; magis purificare cupit.

Talibus

Talibus ipse suum regnum promittit, & eius
Expetit æternum participes fieri.
Ergo age chare puer CHRISTVM cõplectere, gra
Qui uocat, & gratis qui tibi doctor adest. (tis
Ac etiam cessas? dubitas accedere? quid te
Detinet? ô dubia crudelitate puer?
Hunc pete, si me audis: huic uni semper adhære.
Quò propius uenies, hoc magè lætus eris.
Ille tibi poterit patris exorare fauorem,
Hunc solus poterit conciliare tibi.
Sed quid opus uerbis? quid opus te plura monere?
Omne bonum menti suggeret ille tuæ.
Denique si tantum continget habere magistrum
Mi puer, ô quantas experieris opes?

DE CHRISTIANA PIETATE coniungenda sermonis studiorumq; elegantiæ obtestatio.

DIsce loqui propriè doctorũ exempla sequendo
Mi puer, & linguam disce polire tuam.
Hinc exempla petes, puris è fontibus hausta,
Quorum præsidio barbariem excutias.
Excute barbariem, Romanis utere uerbis.
Excolat ingenium lingua Latina tuum.

Nec

Nec satis esse putes sermonis adesse nitorem,
Omnis sermo nocens absit ab ore tuo.
Absit ab ore tuo laxæ petulantia linguæ.
CHRISTI discipulum non licet ista loqui.
Non pudet ô demens à CHRISTO ducere nomen:
Et caput in nullo uelle referre tuum?
Hunc studeas quæso uerbis, uitaq; referre,
Quo nihil in uita dulcius inuenies.
Si ferus es, disces ab eo mitescere, dum tu
Accipias animo quæ documenta dedit.
Mente puer purus, uitaq; & moribus esto.
Comis adolescens, cresce per omne bonum.
Nec te pœniteat comptum ciuilibus esse
Artibus, accedat si pietatis opus.

FINIS.

ERRATA

In libello cui inscribitur

Elegantiæ.

Fol. 128 *lin.* 15 lege. Nataq; de flãma corpora nulla uides. *Et in eadem pag. lin.* 22 gemmatum lege geminatum.

IN LIBELLO DE TEMPORE

in cap. Dierum nomina

in fine.

Fol. 553 lin. 19 τεσαρεσκαιδεκάτις, lege τεσσαρεσκαιδεκάτης.



BASILEAE,
APVD BARPTHOLOMAEVM
VVESTHEMERVM
ANNO M. D.XXXVIII.



BIBLIOTEKA KÓRNICKA PAN

BIBLIOTEKA KÓRNICKA
14148

IICKA
3